



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Tractatvs VIII. De veritate obiectiua Dei, deque eius cognoscibilitate  
intuitiua, siue per propriam speciam. Atque adeò de Visione beatificà.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

# TRACTATUS VIII. DE VERITATE

OBIECTIVA DEI. DEQUE EIVS  
cognoscibilitate intuitiua, siue per propriam  
speciem. Atque adeo de Visione  
beatifica.



**I**NTER attributa, quæ transcendunt diuinam substantiam, omnesque ipsius formalitates, vt sunt Immensitas, Aeternitas, Vnitas, Infinitudo, Bonitas, &c. suum sibi vendicat locum Veritas obiectiua. De qua proinde, postquam iam egimus de alijs, sequebatur agendum. Ceterum, quia Veritas obiectiua Dei formaliter sumpta, quo pacto inter alia ipsius attributa connumeranda venit, in conformitate Dei cum sui cognitione, aut in ipsius cognoscibilitate per cognitionem veram consistit. De eaque sub isto conceptu nihil speciale dicendum restat, præter ea, quæ generatim diximus in Pharo Scient. disp. 3. q. 7. de veritate obiectiua entis; & facile ab vnoquoque possunt Veritati obiectiua Dei applicari: dumtaxat superest, vt impræsentiarum tractemus de cognitione, qua Deus cognoscibilis est; & à qua habet denominationem veri obiectiua: non quidem de cognitione, qua Deus est cognoscibilis à se ipso; nam de hac agendum est infra in tractatu de Scientiâ Dei: nec de cognitione, qua est cognoscibilis à creatura abstractiua, per alienas species, & aliter, quam est in se; nam de hac satis diximus supra disp. 1. remittentes nos ad multo plura dicta de illâ sub vniuersaliori conceptu in Pharo nostrâ Scient. fere per totam: sed de cognitione, qua cognoscibilis est intuitiua, per propriam speciem, & sicuti est in se. De qua proinde Dei cognitione, quæ potissimum visio Dei intuitiua dicitur, totus Tractatus præsens erit. Quem maioris distinctionis gratiâ in quinque diuidemus disputationes. Quarum prima, & secundum totius operis ordinem 17. de naturâ, possibilitate, & existentia Visionis intuitiua Dei erit. Secunda de supernaturalitate eius. Tertia de principijs. Quarta de obiecto. Et quinta de eiusdem proprietatibus, siue passionibus. Quibus insuper sextam quasi appendicem adijciemus de Nominibus Dei.



## DISPUTATIO XVII.

De naturâ, possibilitate, & existentia  
Visionis intuitiua Dei.

**I**N hac disputatione de essentiâ, possibilitate, & existentia Visionis intuitiua Dei agemus potissimum. Vt tamen vniuersalius procedamus, de essentiâ itidem, & possibilitate cuiusuis alterius cognitionis Dei à creaturâ habitæ per speciem propriam in vniuersum disseremus.

## QVAESTIO I.

*Virum intellectus creatus clarè, & intuitiua  
videre possit; aut etiam de factò vi-  
deat Deum, sicuti est.*

**V**idere, si primam vocis impositionem spectes, actum significat, quo oculi percipiunt suum obiectum. Vnde Deus oculis corporeis videri dicitur, cum in specie, siue figurâ corporeâ visibilique apparet, vt Genes. 18. & 32. Exod. 3. Num. 12. Ezech. 1. 6. & 10. Daniel. 7. Isai. 6. &c. De qua visione latè Aug. lib. 2. de Trin. cap. 8. & epist. 111. & 112. & Greg. lib. 18. Moral. cap. 36. Ceterum, quia cognitio capta per oculos clarissima est omnium, quas experimur pro hoc statu: idcirco verbum *videre* ad quamlibet cognitionem claram, seu euidentem significandam translatum est. Quo iure dicitur Sap. 13. *A magnitudine*

dine speciei, & creatura poterit Creator horum videri. Et Iob. 36. Omnes homines vident eum. Et Exod. 20. Cunctus populus videbat voces, &c. Imo inde etiam ad cognitiones obscuras solet extendi, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum, & in enigmate. Propriis tamen usurpatur pro cognitione magis ad simili visioni oculorum, qua videlicet intellectus obiectum suum, non in alienâ similitudine, seu instar alterius, aut obscure; (vti solet pro hoc statu); sed immediate, clarissimè, & sicuti in se est, intuetur, ad eum fere modum, quo oculi intuentur colorem; longè tamen perfectiùs. Quocirca huiusmodi cognitio, seu visio intuitiua vocari solet ad distinctionem aliarum, quas abstractiuas vocant; tamen si ne in hisce quidem vocabulorum usurpationibus deficiat inter Theologos controuersia.

Gabriel enim q. 1. prologi art. 2. cui annunt Soar. lib. 3. de Anim. cap. 12. n. 5. & alij statim referunt, docet, notitiam quantumvis claram, immediatam, & per proprias species habitam, si præcindat ab obiecti existentia, abstractiuam esse appellandam, non verò intuitiuam. Plus tamen addit Scotus in 2. dist. 3. q. 9. & quodlib. 6. & 7. & sæpe alibi; ad hoc, vt aliqua cognitio sit intuitiua, debere insuper attingere suum obiectum vt præsens; atque ita abstractiuam esse, non solum, quæ ab existentia, sed etiam, quæ à præsentia præcindit, quantumvis ea sit clara, immediata, & per proprias species. Scotus, præter Scotistas, consentiunt Egidius Lusit. tom. 2. de Beat. lib. 8. 2. p. 9. 5. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. n. 32. & disp. 5. n. 30. Molina 1. p. q. 1. ar. 2. disp. 4. vbi ait, intuitiuam cognitionem esse rei præsentis, vt præsens est; id est, quæ suapte natura pendet à præsentia obiecti; abstractiuam verò rei non, vt est præsens. Alij verò, è quibus est Vazq. 1. p. disp. 134. cap. 3. omnem cognitionem clarâ, immediatam, & per proprias species habitam intuitiuam censent esse appellandam; non abstractiuam, quantumvis à præsentia, & ab existentia obiecti præcindat. Addunt alij, quos refert, & sequitur Alarcon tract. 1. disp. 4. cap. 1. & 2. et si huiusmodi cognitio præcindat ex parte obiecti vnâ formalitatem ab aliâ, tangendo vnâ, & non aliâ, intuitiuam nihilominus esse vocandam; solum enim esse dicendam abstractiuam, quæ obscure, & per alienam speciem in enigmate, siue in alienâ similitudine tangit obiectum, vt nos pro præsentis statu solemus attingere.

Quæ autem cognitio dicenda sit quiditatiua, etiam sub lite est. Nam Scotus, & alij cum eo nuper relati, quibus accedit Herice disp. 36. ante cap. 1. quiditatiuam appellant omnem cognitionem, quæ quiditatem, siue essentiam obiecti attingit; quantumvis abstractiuè attingat. Alij verò cum Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 22. existimant, solam cognitionem intuitiuam totius essentia vocandam esse quiditatiuam. Quod videtur S. Th. supponere, dum 1. p. q. 12. ar. 1. & q. 94. ar. 1. & sæpe alibi pro eodem usurpat, videtur Deum per essentiam, hoc est, quiditatiuè, vt exponunt Caiet. & alij, ac, Deum cognoscere, intuitiuè.

Quoniam autem omnia ista diffidia de modo loquendi sint, vt apparet; oportebit tamen distinctionis gratiâ statuere, quo pacto nobis loquendum sit. Certè, si analogia intuitionis corporalis, vnde ad intellectualem nomen translatum est, exactè esset obseruanda, sola cognitio

obiecti existentis, atque præsentis clara, immediata, & per proprias species concepta dicenda esset intuitiua; quia visio, qua intuentur oculi, talis est. Verùm, quia ad distinguendam cognitionem per proprias species habitam ab eâ, quæ per alienas species fit, simplex vocabulum non habemus, non abs iure nomen intuitionis ad omnem cognitionem per proprias species habitam extendi solet. Similiter, si abstractionis etymologia cum rigore obseruanda esset, omnis cognitio præcindens, seu abstrahens quoquo modo ab aliqua seu formalitate, seu veritate, seu statu obiecti, quantumvis ea per species proprias haberetur, abstractiua dicenda esset. Quia tamen huiusmodi abstractiones potissimum per cognitiones habitas per alienas species fiunt, ad has solas contrahi solet nomen cognitionis abstractiua. Itaque ampliato nomine intuitionis, omnis cognitio obiecti habita per proprias species intuitiua; abstractiua verò ea sola, quæ habetur per species alienas appellari solet communiter. Sicque propere nos in hoc opere sæpe appellamus. Ceterùm, quia cunctis cum quibus differimus, morem gerere in loquendo necesse est; ne controuersia rerum ad sola nomina traducantur, triplex genus cognitionum ad distinctiùs, cum opus fuerit, loquendum distinguere, non erit abs re. Ita, vt alia dicatur strictè intuitiua; ea scilicet quam Scotus, & sui intuitiuam vocant. Alia strictè abstractiua; quæ habetur per alienas species. Alia late intuitiua, & late etiam abstractiua; quæ cum sit clara, & immediata, & per proprias species habita, præcindit tamen à præsentia, aut etiam ab existentia obiecti. Porro ex his sola strictè intuitiua, loquendo proprie, dicitur apud omnes visio.

Obseruandum tamen propterea est, bifariam posse cognitionem dici immediatam. Primò; quia est cognitio tangens obiectum, non in extranea similitudine, idolo, siue phantasmate sensibili tanquam in quodam substituto, vt nos tangimus pro hoc statu cuncta, quorum non habemus proprias species, iuxta dicta in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. sed in se ipso abique eiusmodi substituto. Secundo, quia est cognitio ad quam, non medium aliquod ab obiecto distinctum, sed obiectum ipsum per se determinat. Si ergo sermo sit de primo genere immediationis, omnis cognitio habita per proprias species est immediata, & omnis habita per alienas mediata, vt constat. Si verò de secundo, tam inter habitas per proprias, quam inter habitas per alienas alia immediata, alia mediata reperiuntur iuxta doctrinam tradendam latius in tract. de Scientiâ. In præsentis verò eam, quæ vtroque modo immediata est, videntur vocare plerique absolute immediatam, sed semper nihilominus oportebit distinctionem hanc habere præ oculis.

Iam verò, si etymologia vocabuli sit cum rigore retinenda, omnis cognitio tangens obiectum quoad quid est, siue prout in statu quiditatiuo dicenda est quiditatiua; siue sit habita per proprias, siue per alienas species. Sed verò, quia per species alienas, et si iudicemus, quid res sit, pariter concipimus illam longè aliter, quam est reuera: consentaneum rationi est, vt ea sola cognitio speciatim quiditatiua nuncupetur, quæ rei quiditatem, seu essentiam attingit clarè, & per proprias species, sicuti est in se, siue strictè, siue late sit intuitiua, iuxta distinctionem paulo ante traditam.

Igitur, his ita positis, quod in præsentis

Q. 2

quæ.

quærimus est, an sit possibilis intellectu creato, in eo ve reperitur de facto visio strictè intuitiva, atque quiditatiua Dei, sicuti est in se. Vtutrumque dicuntur communiter negasse olim Armeni, & Græci quidam recentiores ex Armacano lib. 14. qq. contra Armenos cap. 1. ex Castro verbo *Beatitudo*, Guido. Carmelitâ de hæresibus, & Prateolo verbo *Armeni*. Quem eundem errorem sequuti dicuntur Abailardus, & socius eius Arnoldus Brixensis apud Castrum loco citato, Item Almaricus apud Prateolum supra, & apud Turrecrem. lib. 4. de Eccles. cap. 35. tameti alij censeant, Armenos, & Abailardum dumtaxat negasse existentiam, non item possibilitatem visionis. Qua de re videri potest noster Gualterus in Chronologia pag. 550. errore 1. & pag. 658. errore 15. & pag. 684. errore 2. Porro Henric. 1. p. Sum. art. 24. q. 1. Auctorem facit erroris negantium possibilitatem visionis Dei Ioannem Scotum, Benedictinum auditorem Bedæ, & commentatorem Dionysij de cælesti Hierarchiâ. Quem immerito Pamelius confundit cum Doctore subtili, vt notauit Genebrardus lib. 4. Chronologia anno 879. Tritemius de scriptoribus Ecclesiasticis, & Sixtus Senens. lib. 4. Bib. verbo *Ioannes Scotus*.

### Propositio vnica.

Veritas tamen catholica est, Deum à Beatis non solum posse, sed de facto etiam videri intuitiuè, & quiditatiuè, sicuti est in se.

Constat enim id imprimis, ex sacra Scriptura dicente Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Ioan. 14. *Et manifestabo ei me ipsum.* 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum, & in enigmate; tunc autem facie ad faciem.* 1. Ioan. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* Apocal. 22. *Et videbunt faciem eius, &c.* Quibus in locis aperte esse sermonem de clarâ, & intuitiuâ visione Dei, communis est sententia Patrum, aliorumque Interpretum. De quo plura Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Beat. Agid. Lufit. tom. 2. de Beat. lib. 12. q. 1. Iulianus in locum Pauli relatum ex 1. Corin. 13. Vazq. 1. p. disp. 37. cap. 5. Herice disp. 36. cap. 1. & alij tum Expositores ad loca Scripturæ citata; tum Scholastici ad hanc quæstionem.

Constat secundo id ipsum ex Ecclesiæ definitione. Nam Euaristus Papa epist. 1. quæ habetur tom. 1. Conciliorum, disertè affirmat, Dei substantiam à Beatis intuitiuè videri. Quod colligit ex loco citato ex 1. epist. Ioan. dicens, *Sed cum apparuerit, tunc verè illum videbit, sicuti est, qui eius conspectibus fuerit dignus coaptari; & non sicut Moyses, caterique Prophete per anigma, & figuram.* Et Concilium Francofordien. in epist. ad Episcopos Hispaniæ ait, *Prædicemus Christum vnum Deum, & vnum, & verè filium Dei, vt ad eius beatissimam visionem peruenire mereamur, in qua est æterna beatitudo.* In Extraneagante etiam *Benedictus*, quam ad Verbum refert Castro verbo *Beatitudo* citato, & ante ipsum Bacchonus in fine lib. 4. Sentent. & Argent. in 4. dist. 49. q. 4. sine cum alijs, expressè dicit Pontifex *Benedictus* (non quidem vndecimus, vt cum Castro, & alijs putarunt Vaz. 1. p. disp. 37. cap. 5. & Suar. lib. 2. de Attrib. cap. 7. sed duodecimus, vt te-

nent. Valen. 1. p. q. 12. ar. 1. pun. 1. Mol. ibidem. disp. 2. & Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Beat. c. 2. cum alijs) expressè, inquam, dicit, *animas beatas, videre diuinam essentiam immediatè, se bene, & clarè, & apertè illis ostendit.* Quam visionem paulò post vocat *intuitiuam, & facialem*. Tandemque contra tenentes oppositum mandat, vt *procedatur, sicut contra hæreticos.* Denique Concilium Florentinum sess. vlt. in decreto de purgatorio definit, *animas intuevi clarè ipsam Deum trinum, & vnum, sicuti est.* Huc facit insuper cap. *Dammatus* de Sum. Trinit. & fide cath. ad finem, vbi error Almarici reprobat. Necnon Concilium Senonense, vbi damnatus Abailardus. Lege Bernard. epist. 187. Vnde, licet S. Th. dicta q. 12. ar. 1. solum dicat, *priorem opinionem* (Armenorum scilicet) *inconuenienter defendi*; tamen ibidem art. 2. meritò eam vocat *erroneam*; & q. 8. de verit. art. 1. *hæreticam*.

Tertiò, eadem catholica veritas ex communi Patrum doctrinâ, qui eam expressè tenentur, perspicuè confirmatur. Videantur speciatim Dionys. de cælesti Hierarch. cap. 4. Orig. lib. 1. Periarch. cap. 1. Irenæus lib. 18. cap. 58. Nazian. orat. 25. sine. Epiph. hæres. 70. Nysen. orat. 6. de Beatitudinibus, Martialis epist. ad Thololosanos cap. 27. Ambros. lib. 1. in Iucam ad illa verba, *Apparuit ei Angelus Domini.* August. copiosius de re agens epist. 6. 30. 111. 112. & 150. & lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 23. & lib. 12. cap. 34. & lib. 14. de Trinit. cap. 8. & lib. 22. de Ciuit. cap. 29. Gregor. lib. 18. moral. cap. 36. & Bernard. serm. 31. in Cantica. Nonnulla horum testimonia recitant Vazq. supra. Granad. 1. p. controu. 1. tract. 4. disp. 3. sec. 2. Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dubit. 3. 4. & 5. Marat. tom. 1. disp. 20. sec. 9. & Recupitrus lib. 6. q. 1. cap. 2.

Quartò ratione theologica potest probari eadem veritas. Quia, vt suo loco ostendimus, beatitudo supernaturalis, ad quam Deus creaturas intellectuales euecit, inatiquatè saltem consistit in clarâ visione ipsius Dei. Sed certum secundum fidem est, huiusmodi beatitudinem, non solum esse possibilem Angelis, & hominibus, sed etiam à multis eorum de facto obtineri. Ergo certum quoque esse debet, visionem claram Dei tum possibilem, tum existentem esse in multis Angelis, & hominibus. Vtrum autem eius possibilitas ratione etiam naturali probari possit, & quâ efficaciam, inferius disp. 18. examinandum est, vbi de argumento, quo eam probat S. Th. desumptum ab appetitu naturali visionis non nihil dicemus.

Ceterum contra statutam veritatem nonnulla opponuntur, Et primùm loca Scripturæ, in quibus Deus inuisibilis prædicatur. 1. ad Tim. 1. *Regi autem saculorum immortalis, inuisibili soli Deo honor, & gloria.* Ad Hebræ. 11. *Inuisibile enim tanquam videns sustinuit.* (de Moyse loquitur). Ioan. 1. & 1. Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest.* Respondet, in his, & similibus locis planè esse sermonem, aut de visione corporali oculorum; aut si de intellectu, de comparatâ, seu comparandâ à creaturâ vel solis naturæ viribus, vel in hac mortalitâ vita; aut etiam nonnunquam fortitè de visione comprehensiuâ Dei: non de visione beatificâ, quam sæpè alijs in locis, clarissimè que adstruit Scriptura. Illud verò, quod etiam solet opponi ex 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli*

*prospicere*; non denotat, Angelos beatos de facto non prospicere Deum; quia eiusmodi eorum desiderium, ut ait S. Th. 1. p. q. 58. art. 1. ad 2. non *excludit rem desideratam; sed eius fastidium*; iuxta illud Eccles. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.*

13 Secundò obijciuntur multi Patres, qui aperte videntur negare, visionem claram Dei possibilem esse creaturis. Potissimè omnium Chrysostomus, qui, ut declinaret extremum errorem Anomæorum dicentium, se propriâ virtute posse, & de facto comprehendere Deum, disertis verbis per extremum oppositum alteri errori Armenorum videtur sæpè suffragari Homil. 14. in Ioan. & quinque alijs homilijs, quas tom. 5. habet contra Anomæos de incomprehensibili Dei naturâ. Chrysostomum sequuti sunt Eutymius, & Theophilactus in illud Ioan. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Theodoretus in dialogo, cui titulus est, *Immutabilis*, post fol. 3. Quibus etiam consentire videntur ex græcis Patribus Basil. lib. 1. contra Eunomium post medium, Epiphanius hæresi 70. Cyril. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 22. & Ierosol. catechesi 6. Nyfen. lib. de Beatitudinibus explicans illud Mattha. 5. *Beati mundo corde &c.* Ex latinis autem Hieron. in cap. 1. Isai. ad illa verba, *Audite verbum Domini, &c.* Primasius in illud 1. ad Corint. 13. *Cognosciam; sicut & cogniui sum.* Isidorus in cap. 41. Exod. & Ambros. in cap. 1. Luc. explicans illud Ioan. 1. *Deum nemo vidit unquam.*

14 P. Vazq. disp. illâ 37. cap. 2. censet, hos Patres ab errore Armenorum vix posse defendi. Quod speciatim, relictis interpretationibus, conatur probare de Chrysof. Theoph. & Theod. Sentit itaque, eos per ignorantiam inculpata, ad dictum errorem accessisse. Neque immerito, inquit Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 1. n. 5. quia mirum non est, Patres errasse in re nondum exploratâ suo tempore. P. etiam Mol. 1. p. q. 12. art. 1. disp. 1. 5. *Similia testimonia* fatetur, sibi videri multis ex græcis Patribus prædicto errori suffragari. Idem de aliquibus ex citatis censet P. Fernández de Visionibus veteris testamenti Vis. 7. sec. 1. n. 3. Idem de Theod. & Nyfen. putat Herice disp. 36. citatâ cap. 3. n. 40.

15 Sed verò, ut rectè Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 2. n. 18. *Non est verisimile, tam apertum errorem; & Scriptura manifestè contrarium communi sensu tantorum Patrum receptum fuisse.* Fuisse enim intolerabilis lapsus. Neque in eis inveniuntur verba, quæ dictam piam expositionem non admittant. Nimirum, prædictos Patres loquutos esse aut de visione corporali, aut de spiritali solis naturæ viribus, vel in præsentî vitâ acquirendâ; aut certè de visione comprehensivâ, quam adstruebant Anomæi, contra quos ipsi disputabant, quorumque errorem repellebant. Nec mirum, eos interdum ad extremum oppositum videri inclinari, quò magis viderentur distare ab errore, quem refutabant. Nam hoc apud Patres contra hæreticos disputantes mos satis frequens est; qui tamen iuxta subiectam materiam semper intelligendi sunt, ut eruditè varijs exemplis adductis probat noster Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 3. vbi, & dub. 4. singulatim, eorum relatis verbis, commemoratos Patres vindicat ab errore Armenorum. De quo etiam latè egit Herice supra. Et quidem cæteri ferè Scholastici cum S. Th. quorum plurimos ibidem citat Fasolus, unanimi consensu fatagunt piè prædictos Patres interpretari. Cum quibus ex nostris insuper sentiunt Valent. Arrub. Gran.

Tann. Becan. Merat. ad eum art. Ruiz. disp. 6. de Scient. sec. 7. Salmer. tract. 31. in Ioan. verit. 6. Maldon. Ioan. 1. n. 21. & alij communiter. Nec desunt, qui pugnant P. Vazq. quod rigidè exposuerit prædictos Patres: quem tamen ab aduersis aculeis defendunt Herice supra, & Alarc. trac. 1. disp. 1. cap. 1.

16 Tertiò à ratione sic obijcitur. Deus, ut est in se, non minùs, imò magis est improporcionatus intellectui creato in ordine ad intuitionem sui spiritualem, quàm Angelus, aut sonus oculis in ordine ad visionem sui corporalem: quandoquidem plus Deus ab intellectu, quàm Angelus ab oculis distat; cum illa distantia infinita sit; hæc finita. Sed Angelus nullatenus oculis, ut est in se, videri potest. Ergo nec Deus intellectu. Nonnulli plus quò laborant in concinandâ solutione huius argumenti, quasi ea, seclusâ fide, evidens exhiberi possit; quod non est ita. Legatur Herice supra cap. 5. Ego breuius me expedio.

17 Respondeo primò, cum fide sanctum sit, posse intellectum creatum à Deo eleuatum clarè intueri ipsum Deum, inde constare, virtutem obedientialem, seu inchoatam habere intellectum ad Deum videndum; quam secundè constat habere oculos ad videndum Angelum; atque ita maiorem esse proportionem intentionalem in ratione obiecti, & potentia inter Deum, & intellectum respectiue ad visionem claram, quàm inter oculos, & Angelum: quantumvis in ratione entis plus distet physicè Deus ab intellectu, quàm Angelus ab oculis.

18 Respondeo secundò, stando præcisè in ratione naturali, hanc esse huius veritatis coniecturam probabilem. Quòd intellectus ex vnâ parte naturaliter Deum cognoscit cognitione abstractiua; atque ita aliquo modo habet illum intra spheram sui obiecti naturalis. Ex aliâ parte modus cognoscendi intuitiue non est ab ipso alienus; quandoquidem sensibilia obiecta per proprias species; atque ad eò per quoddam genus intuitionis attingit. Vnde, quòd Deum naturaliter intueri non possit, non tam ex totali defectu, quàm ex imbecillitate virtutis nasci videtur habentis se respectu Dei instar virtutis oculorum vespertilionis respectu Solis secundum comparationem S. Th. 1. p. q. 12. art. 1. in corp. & Arist. lib. 2. Met. text. 1. Si ergo Deus auxilio supernaturali huiusmodi virtutem eleuet, atque corroboret, ut potest, nil deerit, quominus intellectus ipsam possit clarè videre. At verò oculi corporali cum nullo modo naturaliter attingant Angelum, non est, cur vel minimam virtutem, adhuc obedientialem, siue inchoatam, ad eum clarè videndum dicantur habere. Et quantum attingant colores; cum modus cognoscendi iudicatiue necundè eis competat, non est, cur virtus vel inchoata ad iudicandum de coloribus eis possit attribui. Quo fit, ut ne eleuari quidem à Deo aut videre Angelum possint, aut iudicare de coloribus: quia sine virtute obedientiali, seu inchoatâ nihil ad quidquam præstandum potest à Deo eleuari; ut infra suo loco ostendemus. Nec per coniecturam similem licet inferre; intellectum creatum posse eleuatum comprehendere Deum; utpote, qui Deum naturaliter cognoscit aliquo modo, & aliâs modus cognoscendi comprehensiuè ipsi non est alienus circa alia obiecta. Quoniam, ut ex dicendis postea constabit, comprehensio ex suo conceptu talem naturam habet, qualem cognitioni creatæ nequit comparatione

Dei

Dei conuenire; et si possit comparatione aliorum obiectorum. Visio verò non comprehensua nihil habet ex suo conceptu, quod non queat in cognitione creatà etiam comparatione Dei reperiri.

19 **Quartò** obijcitur, Deus vt clarè visibilis est quid supernaturale, vt iam indicauimus, & infra ex professo trademus. Ergo intellectus creatus, qui adquatè est quid naturale, nequit ab illo vt sic specificari. Specificaretur autem, si haberet potentiam adhuc inchoatam ad Deum clarè videndum; quia omnis potentia à suo obiecto specificatur, vt constat. Quinimo huiusmodi potentia & esset naturalis; quia identificata adquatè cum ente naturali: & non esset naturalis; quia ad actum supernaturalem. Quæ est clara contradictio. Respondeo, non esse inconueniens in eo, quòd ens naturale à supernaturali specificetur extrinsecè; qualiter specificantur potentia ab obiectis. Potentiam autem, siue virtutem inchoatam, quam intellectus creatus habet ad claram Dei visionem, et si reuerà sit quid naturale, vt pote quid indistinctum ab intellectu naturali, non tamen debere appellari potentiam naturalem; quia hæc sonat potentiam, cui actus est connaturalis, vt pote naturaliter debitus; qualis non est visio Dei clara comparatione potentia inchoatæ, quam habet intellectus ad illam. De quo plura dicenda infra disp. 2. Pro quinta obiectione, quæ supererat, instituo vniuersalitatis gratiâ questionem sequentem.

## QVAESTIO II.

*Verùm visio Dei clara, & vniuersim omnes actus, atque respectus creaturarum ad Deum eo ipso debeant euadere essentialiter infiniti, quòd circa Deum essentialiter infinitum versantur, ab ipsoque specificantur.*

20 **V**idetur affirmandum propter illud argumentum calculatorium, quod sæpè in varijs materijs occurrit, molestum quidem, & (vt reor) non satis hæcienus extricatum. Illud autem est huiusmodi. Actus specificatus ab obiecto eo perfectior est essentialiter, quòd obiectum ipsum perfectius est. Constat enim, visionem intuitiuam de Angelo perfectiorem esse visione intuitiuà de lapide. Ergò, quâ proportionem sese excedunt obiecta quoad perfectionem, eadem sese debent excedere actus ad talem obiecta terminati. Sed Deus infinite excedit in perfectione cetera cuncta obiecta creata. Ergo actus habens pro obiecto Deum nequit non infinite excedere actus aliorum obiectorum; & consequenter nequit non esse infinitus quoad perfectionem essentialem. Proce- dit autem argumentum, ceteris paribus, ex parte aliorum actus pradicatorum, præter illud, quod ab obiecto præcisè desumitur, vt ita efficacius procedat iuxta dicenda.

21 **Et confirmari potest primò.** Quia nequit non esse infinita perfectio illa, ad quam impossibile est peruenire per additiones determinatas infinitum progrediendo. Sed talis est perfectio actus habentis pro obiecto Deum. Ergo est infinita. Maior, quæ est certa, declaratur. Nam

si ponamus quantitatem, ad cuius æqualem, aut maiorem repugnat Deum peruenire in æternum, progrediendo à quavis quantitate finita per quamlibet proportionem ascendente à minori versus maiorem inæqualitatem, v. g. creando primam quantitatem viginti vlnarum; deinde quantitatem quadraginta vlnarum; postea octoginta; & sic duplicando sine fine; non potest non quantitas illa, quæ ponitur, esse infinita; nam si finita esset, nequiret non tandem per progressionem di- gitam accedere Deum ad quantitatem, quæ vel æqualis esset, vel maior, quàm illa, vt est notum, manifestèque demonstratum supra disp. 13. de infinito. Stet ergo certum, perfectionem se- phy- sicam, seu metaphysicam, ad quam accedere est impossibile per infinitam progressionem de- terminatarum additionum, non posse non esse infinitam; quæ erat maior syllogismi facti. Quod autem perfectio metaphysica actus habentis pro obiecto Deum huiusmodi sit, quæ erat minor, facilè offenditur. Suppono autem ex communi sententiâ, quam ego supra monstrauimus disp. citatâ, possibilem esse seriem infinitam creaturarum sese excedentium quoad perfectionem secundum quamvis proportionem excessus finiti; ita vt, productâ quavis, possit Deus aliam producere duplæ, vel triplæ, vel quadruplæ perfectionis, & ita deinceps sine fine. Ex quo fit, possibilem etiam esse seriem infinitam actuum tendentium in dictas creaturas, quorum qui tendit in primam, duplo sit minoris perfectionis, præcisè ratione obiecti, ceteris vndequeque paribus, quàm, qui tendit in secundam; & hic duplo minoris, quàm, qui tendit in tertiam; & ita deinceps sine fine; quin sit possibile peruenire ad actum tam perfectum ratione obiecti, & consequenter absolutè, si cetera vndequeque sint paria, quàm est actus tendens in Deum. Sicut impossibile est peruenire ad obiectum creatum, tam perfectum, quàm Deus est. Actus ergo tendens in Deum non potest non esse quoad perfectionem infinitus; quandoquidem à quolibet tendente in creaturam ad illum interuallum est infinitum.

Secundò confirmari potest. Quia, sicut Deus non solum singulas creaturas, sed quamvis collectionem infinitam earum excedit in perfectione; ita actus tendens in Deum, non solum singulos actus tendentes in creaturas, quorum cetera paria sunt, sed quamvis collectionem infinitam eorum debet pariter in perfectione excedere iuxta dicta: siquidem, quæ proportione sese excedunt obiecta, eadem sese debent excedere actus, vt supponitur. Sed quicquid excedit in perfectione multitudinem infinitam perfectiorum, non potest non esse infinitum in perfectione; sicut, quod excedit in quantitate molis multitudinem infinitam quantum, non potest non esse infinitum in tali quantitate. Igitur actus tendens in Deum nequit non esse infinitus in perfectione. Ex quibus omnibus concluditur, visionem claram, & vniuersim omnem actum, atque respectum terminatum ad Deum, non posse non esse essentialiter infinitum. At creatura essentialiter infinita aliunde est prorsus impossibilis. Igitur tam visio clara, quàm alij actus, atque respectus tendentes in Deum prorsus sunt impossibiles. Quod est alienum à Theologiâ.

Solutio communis propositi argumenti, quam omnium fortasse explicatissimè dedit Arru- bal 1. p. disp. 13. cap. 5. est, actum non crescere iuxta

iuxta perfectionem obiecti proportione arithmetica, sed geometrica; id est, (vt multi non intelligentes terminos explicant), non crescere tantum, quantum obiectum, ita, vt æqualem habeat perfectionem cum illo; sed secundum proportionem, ita, vt actus de obiecto perfectiori perfectior sit actu de obiecto imperfectiori. Vnde inferunt, actum de obiecto infinito, qualis est Deus, non debere esse infinitum. Cæterum argumentum factum amplius non poscit, quam quod hæc solutio concedit. Solum enim supponit, quod obiectum perfectius est, eò esse actum perfectiorem secundum proportionem geometricam, non secundum arithmeticam; & nihilominus concludit, actum de obiecto infinito debere esse infinitum; non quidem quia actus sit tam perfectus, quam obiectum; sed quia, sicut obiectum infinitum excedit infinite finitum, sic actus de obiecto infinito actum de finito pariter debet excedere infinite.

24 Etenim, vt apud Mathematicos est notissimum, ea crescunt secundum proportionem arithmeticam, quorum incrementa æqualia sunt, vt videre est in hac numerorum progressionem 2. 4. 6. 8. 10. 12. quorum quilibet supra præcedentem duas omnino unitates addit. Ea verò crescunt secundum proportionem geometricam, quorum incrementa non æqualia, sed proportionalia sunt, vt patet in hac progressionem 2. 4. 8. 16. 32. 64. cuius numeri ita procedunt, vt sicut primus se habet ad secundum, ita se habet secundus ad tertium, & tertius ad quartum, &c. quæ est proportio subduple iuxta dicta latius supra disp. 10. q. 2. Crescerent igitur obiecta, & actus secundum arithmeticam proportionem, si quantum secundum obiectum excedit primum, tantumdem actus de secundo excederet actum de primo; quod fieri posset, etsi nullus actus æqualis suo obiecto esset in perfectione: dato enim quod esset primum obiectum perfectum vt quatuor, secundum verò vt quinque, si primus actus esset perfectus vt duo, secundus vt tria, proportio arithmetica seruaretur; quia tantum adderet secundus actus supra primum, quantum secundum obiectum supra primum, & tamen neuter actus esset æqualis suo obiecto. Vt hinc appareat plurimum Theologorum deceptio, qui ad proportionem arithmeticam inter actus, & obiecta requirunt, quod tanti sint actus, quanta obiecta, quoad perfectionem. Secundum proportionem autem geometricam crescunt obiecta, & actus, quando, sicut secundum obiectum se habet ad primum, & vice versâ, ita secundus actus se habet ad primum, & vice versâ; nimirum, vt, si obiectum secundum excedit primum in dimidio, vel in duabus tertijs partibus, estque propterea ad illud duplum, aut triplum; secundus quoque actus excedat primum in dimidio, vel in duabus tertijs partibus, ad illamque subinde sit duplus, aut triplus. Quam proportionem, & non aliam supponens argumentum factum inter actus, & obiecta, vt dicebam, concludit, si obiectum secundum excedat primum infinite, non posse non secundum actum excedere primum infinite.

25 Ob id Arrubal, qui melius prædictos terminos intelligebat, non concedit absolutè, crescere obiecta, & actus in perfectione secundum proportionem geometricam, vt plerique incautè concedunt; sed tantum crescere secundum quandam proportionem geometricam. Non enim,

inquit, est necesse, vt, si obiectum duplo sit perfectius altero, illius etiam cognitio duplo sit perfectior; propter imperfectionem scilicet cause efficientis, à qua perfectio etiam cognitionis oriri debet. Ea igitur solum proportio est necessaria, vt, si obiectum perfectius sit certo obiectorum numero, cognitio etiam perfectior sit cognitionibus eorum obiectorum: sit autem omnium perfectissima, ad cuius perfectionem nulla cognitio perueniri possit, si illius obiectum omnium sit perfectissimum. Hæc ille. In quibus imprimis iam concedit, quod satis est ad concludendum, cognitionem Dei esse infinitam, iuxta primam argumenti confirmationem, nempe talem eam à perfectissimo obiecto euadere, vt ad eius perfectionem nulla alia possit peruenire. Quod enim tam ipse, quam alij addunt, perfectionem cognitionis non solum ab obiecto, sed etiam à principio nasci; indeque fieri, vt eius perfectio limitari à principio possit decrescens scilicet ratione principij, quantum debebat crescere ratione obiecti, estò esset verum, de quo mox, difficultatem tamen, argumenti facti non minuit: quia illud cum suis confirmationibus dumtaxat procedit, vt notauimus, casu, quod cætera vndequeque sint paria, præter obiecta solum.

In tali autem casu probò efficaciter id, quod 26 argumentum supponit; nempe non posse non crescere actus in perfectione, quo passu eorum obiecta crescunt, secundum figuratam proportionem geometricam; supposito nimirum principio illo, quod omnes hic vt certum statuunt; nempe, si cætera cuncta sint paria, non posse non actum obiecti perfectioris perfectiorem esse actu obiecti minus perfecti. Ex quo sic. Communicet verbi gratia obiectum primum, actui, quem terminat, quartam partem suæ perfectionis, ita, vt, si obiectum sit perfectum vt quatuor, actus sit perfectus vt vnum. Certè, si cætera cuncta paria persistant, non erit, cur obiectum secundum actui, quem terminat, non communicet etiam quartam partem suæ perfectionis, ita, vt actus perfectus euadat vt duo, si obiectum est, perfectum vt octo. Quo fiet, vt, sicut se habet obiectum ad obiectum, ita se habeat actus ad actum; quæ est ipsissima proportio geometrica.

Iam verò ex eo, quod perfectio actus non 27 solum ex obiecto, sed etiam ex principio sumatur, non fieri, vt illa in nostro casu ita ex principio limitetur, vt non euadat ab obiecto infinita, euasura aliàs, si principium perfectius esset; inde planè probatur: quia summum decrementum perfectionis, quod potest actus subire, ab imperfectione principij in eo stat, vt nihil penitus perfectionis desumat à principio. Quo posito, cum debeat nihilominus vt etiam supponitur, eò maiorem ab obiecto perfectionem desumere, quod obiectum ipsum perfectius est, non potest non iuxta factum argumentum, quando obiectum est infinitum, euadere ab illo infinite perfectus; quantumvis ex parte principij summè perfectio eius decreseat; quatenus nihil ab illo perfectionis desumit. Aliter namque imperfectione principij perfectionem actus limitare non potest, quam illi non communicando ex parte suâ perfectionem, vt constat. Si enim limitaret impediendo, ne obiectum communicet, quam ex se potest, sequeretur contra id, quod Auctores supponunt, quando principia sunt æqualia; æquales quoque euadere actus, quidquid sit de inæqualitate obiectorum: quia æqualia principia non

non possent non æqualem perfectionem in actibus taxare, ut est notum.

28 Ostendo præterea pro complemento huius puncti id, quod omnes hic consentunt; non tamen probant: obiecta scilicet, & actus quoad perfectionem non posse crescere, seruatâ proportionē arithmetica; quia posito, quod obiectum non potest per se refundere in actum tantam perfectionem, quantum habet, ut etiam Auctores supponunt, repugnat, ut quantum se excedunt obiecta tantum se excedant actus, quæ est legitima proportio arithmetica. Fieret enim, ut illi obiectorum excessus tantumdem refundere in actum, quantum ipsi sunt. Quod est obiectum refundere in actum tantam perfectionem, quantum habet, contra suppositionem. Si enim obiectum perfectum ut duo, & obiectum ut quinque, cæteris vndequeque paribus, terminaret actum perfectum ut tria, quinto dumtaxat gradui obiecti secundi responderet integer gradus tertius secundi actus; quandoquidem quatuor alij gradus obiecti duos tantum possunt communicare actui, ut patet in obiecto primo.

29 Hæc contra Arrub. statuta pariter faciunt contra alios Theologos, qui, concessa proportione geometrica, & negata arithmetica in accrementis actuum penes accrementa obiectorum, putantes se argumento, de quo agimus, satisfacisse, re minus benè explicatâ pergunt ad reliqua; cum tamen illud ad vim suam satis sibi habeat cum proportione geometrica, ut vidimus, quam ipsi concedunt. Videantur Hærice disp. illâ 36. cit. cap. 4. à num. 63. Alarc. tract. 1. disp. 1. cap. 1. à num. 2. Card. Lugo disp. 5. de Incarnat. sec. 3. à n. 30. & alij, qui in varijs materijs rem hanc attingunt.

30 Jam verò ad primam, & secundam argumenti confirmationem Arrubal, Hærice, Lugo, & quidam Recentiores indistinctè concedunt, visionem Dei, aut alium actum ad Deum terminatum habere sub se infinitos actus minoris perfectionis. Ad consequentiam tamen illatam hinc variè respondent. Arrubal enim ait, ex eo, quod aliqua res infinitam seriem aliarum minoris perfectionis habeat sub se, tunc solum sequi, eam esse infinitam, quando omnes sunt in eadem specie perfectionis; secus verò, quando in diuersis. Visionem autem Dei ex obiecto increato perfectionem habere superiorem omnibus alijs cognitionibus, atque in diuerso genere. Hærice dicit, ex eodem antecedente dumtaxat sequi, esse eam rem negativè infinitam, non positivè. Lugo autem, & Recentiores, esse infinitam secundum quid, seu respectivè, & æquivalenter; non verò absolutè, & simpliciter. Qui omnes termini idem videntur ex parte obiecti significare apud hos Doctores; nempe, eam rem, quæ, cum in se finita sit, excedit tamen in perfectione infinitas, quas sub se habet, aliquod genus infinitatis sortiti. Talem autem exillimant esse visionem Dei, & vniuersim, omnem actum ad Deum terminatum: imò Angelum, hominem, & alias huiusmodi entitates, quæ, inquit, in perfectione excedunt infinitas alias se inferiores.

31 Ego, ut ad argumentum factum dicam, quod sentio, suppono ex doctrinâ traditâ supra disp. 13. q. 8. & 9. possibilem esse creaturam infinitam quoad perfectionem, aut etiam quoad quamlibet aliam metaphysicam quantitatem. Talem autem eam esse, quæ tantam perfectionem, aut

aliam quantitatem metaphysicam habet, quantum habet multitudo infinita aliarum creaturarum notæ inferioris. Imo possibilem esse creaturam adeò infinitam isto genere infinitudinis, ut toti aggregato haud dubiè infinito omnium aliarum præter ipsam creaturarum possibilem æqualis sit. Quomodo autem eiusmodi creaturarum infinitudo multis ex titulis sit longè, imo infinities infinitè inferioris rationis, quam Dei infinitudo, ibidem dictâ q. 9. explicatum est. Quomodo item ab huiusmodi infinitudine possint, aut non possint creaturæ secundum essentiam, dici infinitæ, in eadem disp. q. 1. & disp. 14. q. 5. explicatum est. Insuperque in dictâ q. 1. doctrinam vniuersalem statuiamus, ex qua colligi potest, quando creaturæ prædictæ infinitæ secundum quid, & quando infinitæ simpliciter in genere suo dicendæ sint. In quo tamen solum esse potest controuersia de nomine.

Hinc censeo primò, per argumentum factum benè probari, infinitam esse perfectionem visionis Dei, si verum est illud principium, quod omnes ferme Auctores supponunt: eò scilicet perfectionem cognitionem euadere; quo perfectius obiectum habet, cæteris paribus; atque ita, qua proportione geometrica sese excedunt obiecta, eadem sese excedere cognitiones ad illa terminatas. Hoc namque principio semel statuto, necesse est, quod visio Dei sit infinita. Tum quia excedere debet alias cognitiones, qua proportione Deus excedit alia obiecta; & certum est, Deum excedere alia obiecta infinitè. Tum quia, sicut per nullam progressionem obiectorum inæqualium perfectionis finitæ potest ascendi ad obiectum tam perfectum, quam perfectus est Deus; ita per nullam progressionem cognitionum inæqualium ad talia obiecta terminatarum perfectionis etiam finitæ potest ascendi ad cognitionem tam perfectam, quam est perfecta visio Dei: & est certum, quantitatem, ad cuius æqualem per nullam progressionem quantitatum inæqualium ascendi potest, necessariò infinitam esse, ut ex doctrinâ de infinito traditâ supra disp. 13. constat. Tum denique quia eo ipso, quod perfectio Dei maior est, quam perfectio aggregati infiniti aliorum obiectorum, ut est certissimum; nequit non esse quoque maior perfectio visionis Dei, quam perfectio aggregati infiniti aliarum cognitionum terminatarum ad talia obiecta: & constat ex suppositione factâ, non posse non esse infinitam eam perfectionem, quæ aut est æqualis, aut maior, quam perfectio integri aggregati infiniti aliarum perfectionum. Itaque supposito prædicto principio, per argumentum propositum, perque eius confirmationes apertè probatur, visionem Dei quoad perfectionem infinitam esse. Ex eo autem, quod asseratur infinita quoad perfectionem, nullum sequi inconueniens, per doctrinam à nobis suppositam, & locis citatis fusiùs traditam sit manifestum.

Cæterum, quia falsum est mihi dictum principium ab omnibus ferme Auctoribus, ut dicebam, in præsentibus suppositum: probavi siquidem latè in Pharo Scient. disp. 16. non ita specificari actus à suis obiectis, siue terminis, ut quò perfectius est obiectum, seu terminus, eò perfectior, cæteris paribus, debeat necessariò esse actus; id circo absolutè censeo secundò, per argumentum factum ex defectu dicti principij, cui prorsus nititur, nihil probari. Itaque, cum non sit necesse, ut eò perfectior euadat actus, quò, cæteris paribus, est perfectius eius obiectum, possibile vti que erit,



erit, ut actus habens pro obiecto Deum minus perfectus sit ex suo intrinseco modo tendendi, quam actus habens pro obiecto creaturam, etiam si sint cætera paria ex parte principiorum. Hoc enim pacto iudicium de creaturâ perfectius videtur esse, quam apprehensio simplex de Deo ab eodem intellectu oriunda, & cognitio eximie clara de creaturâ perfectior haud dubie esse potest, quam cognitio obscura de Deo; etiam si ambigat oriunda à principijs æque perfectis; ut circa dubium etiam possunt. Recognoscatur doctrina vniuersalis de specificatione actuum loco citato Phari tradita. In qua, quod attinet ad rem præsentem, mecum sentit Fasola. p. q. 12. art. 1. dub. 7.

QVÆSTIO III.

*An sit possibilis cognitio quiditativa Dei clara, immediata, & per propriam speciem habita, qua non sit strictè intuitiua, nec viso beatifica.*

**E**ste talem cognitionem possibilem Angelis; imo de facto habuisse eos inditam speciem ad illam, multis in locis tenet Scot. in 2. dist. 3. q. 9. & in reportatis eadem dist. & q. in 3. dist. 14. q. 3. in 4. dist. 10. q. 2. art. 3. & in quodlibet. 6. 7. 13. & 14. Idem tenent cum eo Lichetus, & Antonius Andreas eisdem locis. Mayron. q. 15. Prol. art. 2. & quodlib. 4. art. 2. Rada controuert. 10. art. 1. & alij Scotistæ communiter. Consentient Gabriel q. 1. Prol. art. 3. & in 2. dist. 3. q. 2. art. 3. Maior. in 2. dist. 3. q. 2. Ocham. ibid. q. 14. & 15. & q. 1. Prol. art. 5. Basolis, Marfilus, & alij Nominales. Item Capreol. in 2. dist. 3. q. 2. ad argumenta contra 6. concl. & dist. 23. q. vnic. docens, posse dari speciem, quæ repræsentet Deum trinum, & vnum immediatè, abstractiuè tamen, & imperfectè: qualem putat habuisse Paulum post raptum; quia recordabatur Dei à se visi: additque, Adam sic cognouisse Deum ante lapsum. Id quod etiam videtur congruere cum doctrina S. Tho. q. 18. de Verit. art. 1. 2. & 3. vbi docet, Adamum in statu innocentie per speciem à Deo supernaturaliter infusam, atque adeo non alienam, sed propriam cognouisse immediatè Deum; tamen illum, nec intuitiuè, nec quiditativè cognouisse. Eandem Scoti sententiam amplectuntur ex modernioribus Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 1. num. 6. & sect. 7. n. 32. & disp. 5. sect. 2. n. 30. Mol. 1. p. q. 1. art. 2. disp. 4. & q. 56. art. 3. & Egid. Lufir. lib. 4. de Beat. q. 9. art. 2. num. 6. & lib. 7. q. 5. art. 1. s. 2. & lib. 8. 2. p. q. 5. Dissentiunt tamen hi Doctores ab Scoto, quòd ille ordinis naturalis facit prædictam cognitionem: hi verò opinantur, non posse non esse illam supernaturalem quoad substantiam. Stat etiam pro sententiâ istâ nouissimè Quiros tom. 1. de Deo disp. 26. sect. 2. cum Granad. & Martimon. ab ipso relatis. Pro oppositâ verò sententiâ stant contra Scotum Vazq. 1. p. disp. 134. & disp. 206. num. 1. Soar. disp. 30. Met. sect. 11. & n. 21. & lib. 1. de Trinit. cap. 11. & lib. 2. de Angelis cap. 17. Arrub. disp. 115. cap. 2. Gran. 1. p. contr. 1. tract. 7. disp. 3. Alarc. tract. 5. disp. 1. cap. 3. Ruiz tom. de Trinit. disp. 42. Fasol. 1. p. q. 12. art. 2. dubit. 16. Bann. 1. p. q. 56. art. 3. dub. 1. Valent. 1. p. disp. 4. de Angelis q. 7. punc. 3. Cabrera 3. p. q. 11. art. 1. disp.

5. 5. 6. & 7. Becan. cap. 9. q. 2. & alij vniuersaliter arbitantes, neququam esse possibilem cognitionem Dei claram, quiditativam, immediatam, & per propriam speciem, quæ non sit strictè intuitiua, & viso beatificans habentem eam.

Propositio I.

Possibilis est simplex apprehensio clara, & per propriam speciem habita de Deo, sicuti est in se, vi cuius nequeat determinari intellectus ad absolutè, & de præsentem iudicandum, esse Deum à parte rei, sicut per talem apprehensionem repræsentatur.

Probo propositionem primò. Quia in tali simplici apprehensione nulla ceratur repugnantia. Ergo non est ea deneganda omnipotentia Dei.

Secundò. Quia non repugnat, huiusmodi apprehensionem circa quæuis alia obiecta versari. Ergo nec circa Deum. Consequentia est firma: quia nullum, quod ad rem attinet, potest dari idoneum discrimen. Probo antecedens. Et primùm: quia de facto etiam dantur in nobis apprehensiones simplices claræ, & per species proprias habitæ obiectorum sensibilium, quæ visu, aut alio sensu aliquando percepimus: cum tamen nequaquam iudicare possimus ex vi talium apprehensionum, siue specierum, an absolutè, & de præsentem existant à parte rei talia obiecta, uti à nobis apprehenduntur. Deinde: quia Deus de altero Deo chymarico prout actu, & de præsentem existente clarissimam apprehensionem simplicem habet, dum iudicat, *Non est alius Deus præter me.* Deut. 32. uti monstrabimus in tract. de Scient. de quo tamen nullatenus iudicare potest, quod apprehendit. Cætera etiam quæque obiecta proprio, clarissimoque conceptu apprehendit Deus simpliciter, nihil omnino de ipsis iudicans ex vi talium apprehensionum, prout videbimus in eodem tract. Ergo potiori iure per speciem inditam à Deo poterit intellectus creatus quoduis obiectum, atque adeo Deum ipsum proprio, & claro conceptu apprehendere; quin possit vi talis apprehensionis, siue speciei absolutè iudicare, utrum à parte rei existat, quod apprehendit.

Tertiò. Deus hanc veritatem (quam ipse claro, & proprio conceptu noscit iuxta doctrinam à nobis tradendam in dicto tract. de Scient.) *Si Deus existit, Trinitas personarum in unitate essentie existit,* Angelo potest citra dubium per speciem propriam notificare. Ergo & Angelus potest de Deo, prout existente apprehensionem simplicem constituentem eam hypothèsim per speciem propriam habere; quin possit vi eius iudicare de absolutâ existentia Dei. Hypothèsis quippe alicuius conferre non potest ad iudicandum de illo absolutè, sed tantùm conditionatè, quod in hypothèsi ipsâ positum est, ut est notissimum.

Quartò. Si quis ad breue tempus videret Deum intuitiuè, ut multi consent de Moyse, & Paulo, transectâ visione, recordaretur, se Deum vidisse. Ergo simul cum iudicio de visione præterita, simplicem apprehensionem haberet, qua Deum proprio conceptu, sicuti ab ipso visus est, apprehenderet; nec iudicaret tamen. Sicuti nos modò proprio conceptu apprehendimus colorem

antea visum, dum illum nos vidisse meminimus, quin possimus vi talis apprehensionis determinari ad iudicandum, num color de presenti existat, sicuti à nobis antea visus, & de presenti apprehensus est. Connaturale enim est intellectui creato, reseruire sibi speciem obiecti cogniti, qua postea clarissime meminisse queat, se illud antea taliter, vel taliter cognouisse, seu concepisse; ad quod opus est, illud sub eodem profus conceptu, quo prius conceptum est, apprehendere; siue proprius, siue alienus conceptus sit.

39 Quinto. Apprehensio simplex, quantumuis perfecta, & clara, & per speciem propriam habitata, cum sit incapax veritatis, & falsitatis, vt suo loco ostendi, non postulat naturam suam, quod subsistat obiectum, qua ratione ab ipsa apprehenditur, vt patet in apprehensionibus simplicibus clarissimis, propriissimis, ac perfectissimis, quas Deus habet chymararum impossibilium iuxta superioribus dicta. Ergo natura sua indifferens est ad hoc, vt existat, vel non existat id, quod representat existens. Ergo nequit natura sua per se, vel per speciem, à qua nascitur, determinare intellectum ad iudicium de existentia obiecti apprehensa. Bene ergo intelligitur possibilis apprehensio simplex Dei existentis clara, & per propriam speciem habitata, quæ nec sit, nec secum ferat intuitionem iudicatiuam eiusdem existentis Dei.

40 Sexto. Possibilis est intellectus, qui nihil possit concipere per speciem alienam, (vti non potest de facto visus corporeus); & tamen quoduis ens creatum clarissime intueri possit vt relatum ad Deum, non viso similiter Deo intuitione iudicatiua; quia in tali intellectu nulla cernitur repugnantia. Igitur possibilis est apprehensio simplex de Deo habitata per propriam speciem, sine qua, Deo iudicatiue non viso, nequiret à tali intellectu creatura relata ad Deum intuitiue, & clare videri. Mitto alia. Stetque ex dictis, possibilem esse apprehensionem simplicem clarissimam, & per speciem propriam habitam de Deo existente, sicuti est in se, tum constituentem hypobesim, tum etiam non constituentem, iuxta diuisionem datam in Pharo Scient. disp. 2. q. 2. citra iudicium intuitiuum, & absolutum eiusdem obiecti vt existentis.

### Propositio 2.

41 Apprehensio simplex de Deo, de qua in præced. propos. neque dicenda est absolute cognitio Dei intuitiua, aut quiditatiua, (tamen si simplex Dei apprehensio quiditatiua, & intuitiua non abs iure vocari possit). Neque vilo modo casu, quod detur, erit visio beatifica.

Prima pars propositionis inde conspicua, est; quia nomen *cognitio* absolute sumptum iudicium sonat; eo quod cognoscere absolute non, vtunque apprehendere, sed iudicatiue percipere id, quod cognosci dicitur, est. Apprehensio tamen simplex habitata per species proprias non est, cur non appelletur quiditatiua, atque etiam intuitiua in suo genere ad distinctionem eius, quæ habetur per species alienas.

42 Secunda autem propositionis pars probatur. Primo; quia apprehensio simplex de Deo quantumuis clara, & propria, non potest esse possessio Dei; (qualis esse debet visio beatifica); eo quod

ex natura sua cum suo obiecto non est connexa, sicut iudicium intuitiuum, & clarum; perindeque, quantum est ex se, illud representaret, etsi illud per impossibile non existeret. Constat autem, non posse esse rei possessionem, quæ vi sua non ponit, aut non supponit rem existentem; nam res non existens reuera possideri non potest. Secundo; quia per apprehensionem simplicem, & de qua tractamus, non persuadetur intellectus esse obiectum à parte rei, sicut representatur; atque adeo neque quiescit in veritate eius. Visio autem beatifica talis cognitio debet esse, qua quiescat intellectus beati in veritate obiecti visæ, vt constat. Tertio; quia apprehensio simplex nequit mouere apprehendentis voluntatem ad efficaciter amandum obiectum apprehensum, vt cum communi probo alibi. Visio autem beatifica talis cognitio debet esse, quæ ad amandum Deum efficacissime moueat voluntatem beati. Quarto; quia visio beatifica titulo beatitudinis saltem præcipua creatura rationalis in perfectissima operatione sui generis tali creatura possibili consistere debet; qualis non est apprehensio, sed iudicatiua intuitio primæ veritatis, vt constat. Sufficiens hæc pro re competat.

Ex quibus infero cum Egidio contra Vazq. supra, casu, quod aliquis per propriam, & claram speciem cognosceret Deum etiam iudicatiue vt futurum, vel abstractum ab existentia, nequaquam illum per talem cognitionem fore beatum; & idem est de cognitione conditionata Dei, etiam per propriam speciem habitata; quia nulla talium cognitionum potest esse reuera possessio Dei, prout requiritur ad beatitudinem. Absolute enim, & de presenti non potest possideri reuera, adhuc per cognitionem, quod absolute, & de presenti reuera existens non supponitur; quia ad possessionem non sufficit intentionalis presentia, quam quiditatiua cognitio tribuit suo obiecto; alioquin per apprehensionem quiditatiuam alterius Dei chymarici diceretur quis talem Deum possidere; imò & beatum esse. Quod est absurdum. Sed requiritur, quod cognitio quiditatiua cum obiecto prout absolute, & de presenti existente essentialiter connexa sit; qualis solum est, quæ Deum absolute, & de presenti existentem clare intuetur iudicatiue. Adde, prædictam cognitionem ineptam fore ad faciendum appetitum creatum, prout ad beatitudinem requiritur, aliisque prærogatiuis veræ beatitudinis destitutam; vt sunt agere cum Deo facie ad faciem; physica eius presentia frui; de bonis eius infinitis gaudere; & similes; quæ sine intuitionem iudicatiuam presentis Dei constare non possunt. Hæc agitur sola, & non alia habet esse beatificam.

### Propositio 3.

Possibilis est cognitio iudicatiua Dei quiditatiua, clara, & per propriam speciem habitata, quæ non sit strictè intuitiua; neque visio beatifica.

Consentio in hac propositione cum Doctoribus primæ sententiæ relata n. 34. sed non omnino in fundamentis, nec profus forsitan in sensu. Ego illam intelligo de cognitione quiditatiua tum absolute, qua iudicatur, non quidem an sit, sed quid sit Deus absolute de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo; tum conditionata,

qua indicatur, quid sit Deus conditionatè de suo ex aliqua hypothesi factà. Vtramque autem esse possibilem citra beatificam visionem, ex fundamentis imprimis primà, & secundà propositione iactis venit mihi probandum. Quoniam, semel posità simplici apprehensione quiditatia, & proprià Dei, quam esse possibilem ostendimus proposit. 1. confessim intellectus creatus, aut per eandem talis apprehensionis speciem aut per aliam ipsi annexam determinari potest ad iudicandum quiditatiè etiam, & proprio conceptu, aut absolutè esse Deum talem ex suo conceptu obiectiuo, qualis per apprehensionem apparet, aut conditionatè talem Deum fore ex quavis, in quavis hypothesi factà. Neutrum autem horum iudiciorum quantumvis clarum, & per speciem propriam habitum esse beatificam visionem, ex doctrinà datà circa prop. 2. compertum est: quia vtrumque præscindit ab existentia absolutà Dei, seu potius ab statu Dei existentiali absoluto, in quo opus est, quòd videatur Deus existens, vt à vidente per visionem possideatur, illumque beet.

45 Deinde probatur id ipsum. Quia, vt constat ex generalis doctrinà traditã in Pharo Scient. disp. 10. q. 1. veritas quiditatiua, seu absoluta, seu conditionata vniuersiufque entis, etiam increati, diuersa est ratione status à veritate existentiali absolutà eiusdem: diuersoque subinde iudicio iudicabilis à quouis intellectu est. Poterit ergo illa ab intellectu humano per propriam speciem indicari, quin eodem actu hæc iudicetur. Quod proinde iudicium quiditatiuum, per propriam speciem habitum, & non strictè intuitiuam erit, neque visio beatifica.

46 Præterea certum apud omnes est, vt videbimus in trac. de Scien. scientiam simplicis intelligentiæ, quam Deus habet de possibilitate, atque adeò de quiditate creaturæ, diuersam esse à scientiã visionis, quam habet de eius existentia absolutà, (qua ratione actus diuini diuersi inter se sunt). Tum illam ab hac independentem esse: maneret enim illa in Deo, etsi hæc, non existente creaturà, vt potuit contingere, deficeret. Vnde etiam scientia, quam Deus de sua quiditate habet, diuersa censenda est à scientiã quam habet de sua absolutà existentia; quatenus per primam Deus se cognoscit prout habentem esse quiditatiuum, siue intra statum existentium; per secundam autem se cognoscit prout habentem esse existentiale siue intra statum existentialem. Hic enim duplex modus essendi duplex est veritas obiectiua per duplicem actum scientiæ scibilis non solum in creaturà, sed etiam in Deo; tamen in Deo prima sine secundà esse non possit, vt potest in creaturà, iuxta dicta in Pharo Scient. disp. 10. q. 1. iam citatã. De quo latius in trac. de Scientiã. Igitur possibilis est cognitio humana iudicatiua, quiditatiua, & habitata per propriam speciem de Deo quoad esse quiditatiuum, quæ non sit de Deo quoad esse existentiale absolutum; atque adeò, quæ nec strictè intuitiua, nec visio beatifica sit. Consequentia bona est à paritate rationis. Antecedens autem supponitur ex trac. de Scien.

47 Ex quibus colligo, possibilem quoque esse cognitionem humanam iudicatiuam, & per propriam speciem habitam habentem pro obiecto Deum prout existentem non absolutè, sed sub aliqua conditione, quæ proinde nec strictè intuitiua, nec visio beatifica sit, iuxta superius di-

ca. Nam existentia conditionata Dei diuersa quoque veritas obiectiua est ratione status ab existentia Dei absolutà, & consequenter diuerso iudicio etiam per speciem propriam habito iudicabilis. Quocirca diuersa itidem scientiã se Deus cognoscit prout existentem sub conditione, ac prout existentem absolutè, vt latius etiam ostendimus in trac. de Scientiã.

48 Obijcitur tamen primò contra propositionem. Existentia actualis est prædicatum Dei essentialiale non minus, quam cætera, quæ constituunt essentiam eius: eò enim differt Deus à creaturà, quòd ille necessariò, & essentialiter existit; hæc verò accidentaliter solum, & contingenter. Ergo Deus non potest quiditatiue, siue quoad essentiam cognosci clarè, & per speciem propriam, quin simul cognoscatur, vt actu existens, atque adeò per cognitionem strictè intuitiuam, & beatificam. In quo rursus Deus à creaturà differt, cuius essentia cum existentiam actuaalem in suo conceptu non inuoluit, bene poterit clarè, & quiditatiue cognosci quin actu existens videatur.

49 Respondet Ægidius supra cum Salas primò, existentiam diuinam non pertinere ad essentiam Dei, sed ad modum tantum essendi eius, atque adeò bene posse essentiam quiditatiue, & per propriam speciem cum præcisione ab existentia cognosci. Sed non bene. Quia, licet existentia diuina non sit de conceptu essentiæ metaphisicæ Dei, sed veluti modus, seu actus attributalis eius; de quo modò non est curandum: ast nequit negari, esse eam physice idem cum Deo, atque ita ad essentiam eius physicam spectare. Quod satis est, vt nequeat Deus per speciem propriam tangere suam essentiam, quin suam quoque existentiam tangat. Quia cognitio per propriam speciem nequam potest præscindere vnam formalitatem ab aliã identificatã cum illã, vt in nostrã Pharo Scient. disp. 13. multis monstratum est. Secundò respondet Ægidius, etsi existentia diuina pertineat ad essentiam Dei, atque ita essentia sine existentia cognosci nequeat; possibile tamen esse, vt existentia non sit obiectum formale motiuum, & terminatiuum alicuius cognitionis: idque esse satis, vt talis cognitio abstrahat essentiam ab existentia, & non sit strictè intuitiua, nec visio beatifica. Sed minus bene. Primò; quia, positò, quòd existentia pertineat ad conceptum essentiæ, repugnat prorsus, esse essentiam obiectum formale motiuum, & non existentiam; imò sola realis identificatio essentiæ cum existentia sufficeret; vt id repugnaret, vt ex doctrinã traditã disp. 13. Phari citatã satis, superque constat. Secundò; quia, quidquid sit de motiuo cognitionis, si semel per illam proprio, claro, & iudicatiuo conceptu certitur Deus prout à parte rei absolutè, & de præfenti existens, nihil deest, quominus ea strictè sit intuitiua Dei, & visio beatifica.

50 Respondeo ergo ad argumentum, concedendo antecedens, nempe existentiam Dei actuali esse prædicatum Dei essentialiale; & distinguendo consequens quoad primam partem. Ergo non potest Deus cognosci quiditatiue quoad essentiam, quin cognoscatur actu existens in eo statu, in quo cognoscitur quoad essentiam; concedo. In alio; nego. Et nego secundam partem consequentis; debere scilicet strictè intuitiuam esse, & beatificam quamlibet quiditatiuam Dei cognitionem. Itaque in triplici sta-

tu, quod ad rem attinet, potest spectari Deus cum omnibus suis essentialibus prædicatis, atque adeo etiam cum prædicato actualis existentia; nempe in statu merè quiditativo, eoque aut absoluto, aut conditionato, & in statu existentiæ absoluto: ex quibus duo priores à tertio posteriore præsciunt quoad suam cognoscibilitatem; atque ita in illis integer Deus cognosci potest quoad omnia sua prædicata essentialia; quin per eandem cognitionem in hoc cognoscatur. Quo fit, ut cognitio de integro Deo, atque adeo etiam de existentia actuali eius prout in statu quiditativo præcisè, quantumvis per propriam speciem habita, ita quiditativa sit, ut non sit strictè intuitiva, & visio beatifica; vti est cognitio de Deo ipso, & deque eius actuali existentia prout in statu existentiæ absoluto. Itaque, etsi existentia actualis sit prædicatum Dei essentialia perinde, ac bonitas, vel intellectus, vel voluntas, &c. nihil refert, quominus Deus in tribus statibus prædicatis per propriam speciem possit cognosci quoad actualem existentiam; quemadmodum & quoad bonitatem, vel intellectum, vel voluntatem, &c. quin aut status isti, aut cognitiones correspondentes singulis confundantur. Diuersum quid igitur est, iudicare aut absolute, aut conditionate, Deum esse bonum, vel actu, & necessario existentem de suo, siue ex suo conceptu obiectivo præcisè; ac iudicare absolute, Deum esse bonum, vel actu, & necessario existentem à parte rei existentially. Primum enim etiam de secundo Deo chymarico iudicari potest, de factoque iudicatur verè non solum à creaturà, sed etiam à Deo: cum tamen secundum de illo verè iudicari non possit, ut constat. Quæ omnia ex vniuersali doctrinà traditâ disp. 10. Phari citatâ conspicua sunt.

Instabis. Existentiæ actualis Dei non utcumque est prædicatum Dei essentialia, sed prout in statu absoluto existentiæ: quia Deus per suam essentialiam habet realiter, & absolute, atque existentially existere. Ergo, nisi Deus agnoscat, seu iudicetur absolute, existentiallyque, existens à parte rei, non cognoscetur quoad essentialiam; proindeque nec quiditativè. Distinguo antecedens. Existentiæ actualis prout in statu absoluto existentiæ est prædicatum essentialia Dei considerati in eodem statu; concedo. Considerati in alio; nego. Et distinctâ pariter probatione; nego consequentiam. Quia Deus non solum est quiditativè iudicabilis prout in statu absoluto existentiæ, sed etiam prout in statu tum absoluto, tum conditionato quiditativo. Intra vnumquemque autem sunt ei essentialia, quæcumque sunt ei essentialia; non verò licet ex vno ad alium statum comparationem facere: quia alioquin non essent diuersi; sed inter se confunderentur contra vniuersalem doctrinam ex disp. 10. Phari citatâ sæpe statutam.

Ex dictis omnibus liquet primò, cognitionem quiditativam Dei, & per speciem propriam habitam optime posse Deum ipsum attingere cum præcisione ab existentia absoluta; non quòd vnam formalitatem diuinam ab aliâ præsciudere valeat; hoc enim repugnat; sed quòd totum Deum in aliquo statu diuerso ab absoluto existentiæ possit attingere: hoc enim bene fieri potest, vti explicuimus. Tantumdemque venit dicendum de cognitione existentiæ conditionatâ, quæ Deus prout existens sub conditione per propriam speciem cognosci potest, ut statuimus. Secundò

liquet, quomodo quævis eiusmodi cognitionum non sit strictè visio intuitiva Dei, nec faciens beatum habentem illam. Per quod ad cætera. Aduersariorum argumenta oppositum positum contententia patet solutio.

#### QVÆSTIO IV.

*An sit possibilis cognitio clara, & per propriam speciem habita de Deo prout absolute existente, quæ non sit de eodem prout præsentem. Atque adeo neque visio beatifica.*

PRO resolutione suppono primò, Deum bifariam posse cognosci vt præsentem. Primò præsentem temporali. Secundò præsentem locali. Id cognoscitur vt præsens præsentem temporali, quod cognoscitur vt iam nunc existens in eadem temporis mensurâ, in qua iam nunc existens est tum cognitio, per quam cognoscitur, tum cognoscens, à quo cognoscitur. Quippe rem esse præsentem temporaliter, siue existentem de præsentem, nihil est aliud, quàm illam habere iam nunc actuale esse, siue illam iam nunc actu existere in rerum naturâ. Similiterque tempus præsens, seu potius pars temporis præsens à futuris, & à præteritis distincta ea dicenda venit, quæ, quæ ratione est, iam nunc æqualiter, siue præsentem est, vt pluribus explicatum est in Pharo scient. disp. 10. q. 3. id autem, rigorosè loquendo, vt præsens præsentem locali cognosci dicitur, quod cognoscitur vt existens in eodem spatio locali, in quo est cognitio, per quam cognoscitur, & cognoscens, à quo cognoscitur. Tametsi, loquendo laxius, id etiam vt præsens localiter cognosci dicatur, quod cognoscitur vt existens in spatio ita propinquo, seu potius aperto cognoscenti, vt inde illum conaturaliter mouere queat ad sui cognitionem. Sic enim solent oculi videre vt præsentia ea obiecta, quæ in eorum prospectu sunt.

Suppono secundò ex dictis etiam latius loco citato, rem esse futuram, aut præteritam, nihil esse aliud, quàm existere illam in tempore, quod prius, aut posterius est tempore præsentem, in quo, siue ex quo dicitur illa futura, aut præterita. Dicitur autem absolute res futura, aut præterita, quæcumque in tempore posteriore existura est, aut extitit in anteriore respectu præsentis; siue ea in præsentem etiam existat, siue non item. Tametsi, quæ de præsentem non existit, purè futura, aut purè præterita dici possit ad distinctionem alterius casus.

Suppono tertio ex dictis ibidem, rem esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam, diuersas veritates esse obiectiuas comparatione intellectus creati diuersis iudicijs successu temporis iudicabiles ab ipso verè, & non aliter. Iudiciaque proinde creata, siue ea per proprias species, siue per alienas sint habita, de futuro, de præsentem, & de præterito suapte essentialia esse diuersa; atque adeo vnum in aliud nullatenus transire posse. Cuius vtriusque esseri probatio ex loco citato petenda est.

Suppono quartò ex dictis q. præced. possibilis esse apprehensionem simplicem de Deo prout

existente clarâ, & per propriam speciem habitam, quæ neque determinare valeat intellectum, illam habentis ad iudicandum, existere Deum de præsentia, neque sit simpliciter, cognitio quiditatiua, aut intuitiua Dei; nedum visio beatifica. Solum igitur est quæstio præsens de cognitione, iudicatiua clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout absolute existente, quæ non sit de Deo prout præsentem.

Propositio I.

57 Possibilis est cognitio iudicatiua clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout absolute existente, quæ non sit de eodem prout præsentem præsentia temporali.

Quia possibilis est cognitio iudicatiua clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout absolute existente in tempore futuro, aut in præterito, atque adeo de Deo prout futuro, aut prout præterito, tamen non purè. Ergo possibilis est cognitio iudicatiua clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout absolute existente, quæ non sit de eodem prout præsentem. Antecedens est certum. Quia, cum sit verissimum, esse Deum exiturum in tempore futuro, eoque sensu esse futurum, & exitisse in præterito, eoque sensu esse præteritum, compertum est, eiusmodi obiectiuam veritatem per iudicatiuam cognitionem clarâ, & habitam per propriam speciem iudicabilem esse, & consequenter talem cognitionem possibilem esse. Consequentia ergo probatur. Quia esse Deum absolute existentem, in tempore futuro, aut præterito, atque adeo esse futurum, aut præteritum, tamen non purè, & esse Deum absolute existentem in tempore præsentem, atque adeo esse præsentem, diuersæ veritates sunt obiectiuæ diuersis iudicijs etiam per proprias species habitis à creaturâ iudicabiles iuxta suppositionem tertiam. Ergo nihil est, quod verè, iudicium etiam clarum, & per propriam speciem habitum de Deo prout futuro, aut prout præterito non esse de eodem prout præsentem.

58 Et confirmari potest primò. Quia possibilis est cognitio iudicatiua clarâ, & per propriam speciem habitâ de Antichristo vt futuro, quæ non sit de ipso vt præsentem, utpotè qui præsens non est. Ergo & cognitio similis de Deo vt futuro, quæ non sit de ipso vt præsentem. Quamvis enim Deus præ Antichristo nequeat non esse præsens: quia tamen præsentia, & futuritio de suo diuersæ veritates sunt obiectiuæ, vt cernitur in ipso Antichristo, cui conuenit vna, & non altera: etiam in Deo poterit vna, & non altera per iudicium, aliquod clarum, & per propriam speciem habitum iudicari.

59 Secundò confirmari potest. Quia nos per species alienas benè, & facile possumus iudicare de Deo, ipsum postea exiturum, siue futurum esse, quin eodem iudicio iudicemus, ipsum esse præsentem; vt satis ex se est manifestum; & quicquid poterit experiri. Ergo tantumdem per proprias species poterit conuenire. Ad rem quippe nulla potest idonea disparitas assignari.

60 Dices. Ad quiditatem Dei spectat existere in omni tempore. Ergo repugnat, cognosci Deum clarè, & per propriam speciem, atque

adeò quiditatiuè prout existentem in tempore futuro, aut præterito, quin simul cognoscatur prout existens in tempore præsentem. Ergo repugnat cognitio de Deo prout futuro, aut præterito, quæ non sit de eodem vt præsentem. Respondeo, existere in omni tempore ad quiditatem Dei spectare, non quidem omnino intrinsicè, & absolute, sed semixtrinsicè à consortio temporis, & ex eius suppositione. Supposito enim, quòd est tempus, qua ratione est, à suâ quiditate habet Deus non posse non existere in illo. Sicque supposito, quòd est tempus, coexistere Deum illi, siue existere in illo, proprietas est necessaria omnino quiditatis diuinæ; tamen semixtrinsicè illi. Vnde patet, bene posse Deum cum totâ suâ intrinsicè quiditate clarè, & per propriam speciem cognosci prout existentem in tempore futuro, aut præterito, atque ita prout futurum, aut præteritum; quin per eandem cognitionem cognoscatur prout existens in tempore præsentem, atque ita prout præsentem. Verum quidem est, per cognitionem quiditatiuam, & clarâ de Deo vt futuro, aut præterito connaturaliter fore determinandum intellectum illam habentem, & aliunde insuper cognoscentem temporum differèntias, ad inferendum, atque adeò ad iudicandum medio discursu, Deum esse præsentem: eo quòd futuritio, aut præteritio Dei cum eius præsentia necessariò est connexa; & talem intellectum non lateret ista connexio. Hinc tamen non sequitur, vt cognitio quiditatiua & clarâ de futuritione Dei, aut præteritione debeat quoque esse cognitio de præsentia eius. Sicut non sequitur, cognitionem de quouis alio antecedente connexo cum consequente; & cognitionem de consequente debere esse eandem ex eo, quòd cognitio de antecedente absque cognitione de consequente connaturaliter esse nequeat. Hoc siquidem benè componitur, si cognitio de antecedente prout connexo cum consequente alteram de consequente ipso necessariò progignat. Recognoscatur ad rem doctrina tradita à nobis in Pharo Scient. disp. 2. q. 5. vnâ cum traditâ disp. 7. quæst. 2.

Itaque eo ipso, quòd est possibilis cognitio 61 quiditatiua, clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout existente in tempore futuro, aut in præterito, nequit non esse possibilis cognitio iudicatiua, clarâ, & per propriam speciem habitâ de Deo prout existente, quæ non sit de Deo prout præsentem. Quia possibile est, quòd iudicium de Deo prout futuro, aut prout præterito non sit de eodem prout præsentem, vt constat ex dictis. Superest tamen dubitandum, an sit possibile iudicium clarum, & habitum per propriam speciem de Deo prout existente cum præcisione ad omni tempore, quòd non sit de eodem prout præsentem.

Existimo, non esse possibile. Quia censeo, 62 omne iudicium creatum etiam per propriam speciem habitum de quouis obiecto prout existente necessariò debere esse ex suo intrinsicè modo tendendi aut de præsentem, aut de præterito, aut de futuro. Nam aliàs non notificabit intellectui illud habenti vllam ex veritatibus existentialibus, quæ obiecto existenti prout existenti competere possunt: proindeque nec erit iudicium de obiecto prout existente contra suppositionem. Quippe nulla est veritas existentialis vlli obiecto prout existenti conueniens, quæ non sit veritas aut de præsentem, aut de præterito, aut de futuro. Nullum enim obiectum potest esse verè existens, nisi aut  
exi.

existendo simpliciter, aut existendo non simpliciter: quia non datur medium, ut constat. Si sic verè existens, non tamen simpliciter, dumtaxat verificabitur de illo vel quod antea existit, vel quod postea existit: cum nullus sit alius modus verè existendi, & non simpliciter, ut constat. Hoc autem ipsum est, tale obiectum existens esse aut in tempore præterito, aut in futuro, atque adeò non esse existens præcisè, seu præcisè in tempore. Si autem sit verè existens simpliciter, de illo verificabitur, quòd iam existit, siue quòd iam actu existens est. Hoc autem ipsum est, esse illud existens de præsentibus; siue ab intellectu creato concipi, & iudicari, possit cum præcisione ab omni tempore, siue non possit, sed necessariò concipi, & iudicari debeat cum respectu, siue cum conatione ad tempus præsens prout præsens. Quod mihi longè verius est. Eo quòd ex vna parte censeo, omne iudicium creatum etiam per speciem propriam habitum suapte essentia esse alligatum vnicò dumtaxat instanti temporis, in quo primò existit, iuxta doctrinam, quam de iudicio nostro habito per alienas species dedi in Pharo Scient. disp. 2. q. 4. sect. 6. & de visione beatifica, aliisque iudicijs habitis per species proprias dabo inferius disp. 21. q. 5. Vnde omne iudicium creatum se ipso aut est quoddam instans temporis realis, si pro vnicò instanti temporis imaginarij durat, aut est quoddam tempus reale ex partibus essentialiter successivis compositum, si durat pro pluribus, vel lococitato explicabitur. Ex alià verò parte omne iudicium creatum de obiecto prout existente simpliciter, atque adeò prout præsentibus, quale est quòd huic propositioni responderet, *Hoc obiectum existit*, siue huic, *Hoc obiectum iam nunc actualiter est existens*, necessariò connotat prout præsens aut se per se ipsum experimentaliter notum, quasi dicat, *Hoc obiectum mihi præsentibus, siue de præsentibus existenti coexistens est*; aut tempus, in quo iam præsentibus ipsum simul, & obiectum existunt, quasi dicat, *Hoc obiectum iam nunc mecum existens est in instanti temporis præsentibus*. Vtrius autem modo peragatur iudicium creatum, non de obiecto prout existente simpliciter cum præcisione ab omni tempore, sed de obiecto prout existente simpliciter cum connotatione aliquis præsentibus temporis iudicium est, ut constat. Ex quo patet, non videri possibile iudicium creatum de obiecto prout existente simpliciter, atque adeò prout præsentibus, quòd non sit de obiecto prout connotante aliquod tempus præsentibus prout præsentibus.

63 Ex quibus omnibus concluditur, solam cognitionem indicatiam claram, & per propriam speciem habitam de Deo prout existente in tempore futuro, aut præterito posse non esse de Deo ut præsentibus. Non verò item cognitionem de Deo prout existente cum præcisione ab omni tempore. Etenim existentia exercita Dei siue ut præcisè ab omni tempore, siue ut coniuncta cum tempore præsentibus nequit non Deum constituere existentem simpliciter, atque adeò præsentibus. Cum tamen ut coniuncta cum tempore aut futuro, aut præterito non simpliciter existentem, atque adeò neque præsentibus con-

## Propositio 2.

Cognitio possibilis, de qua propositio 1. nequiquam est visio beatifica.

64 Quia eo ipso, quòd non est cognitio Dei ut temporaliter præsentibus, & consequenter neque ut existentibus simpliciter, sed præcisè ut futuri, aut præteriti, atque adeò ut existentibus non simpliciter, nequit esse possessio actualis, & præcisè Dei, qualis debet esse visio beatifica. Siquidem bonum aut futurum, aut præteritum præcisè, quòd tale nequiquam potest actualiter, & de præsentibus possideri. Nam solum bonum, quòd iam de præsentibus adest, atque adeò simpliciter est existens, quòd tale, non verò item, quòd antea fuit, neque, quòd postea erit, quòd talia, sub actuali, & iam præsentibus possessionem cadere possunt, ut satis ex se est manifestum.

## Propositio 3.

65 Possibilis est cognitio iudicativa clara, & per propriam speciem habitam de Deo prout absolute existente, quòd non sit de eodem prout præsentibus præsentibus locali tam laxè, quàm strictè sumptà, iuxta diuisionem eius factam suppositione primà.

Quia possibile est, ut intellectus existens Matrì per cognitionem indicatiam claram, & per propriam speciem habitam cognoscat Deum prout existentem Roma, non verò item prout existentem Matrì: quandoquidem existeret Deum Roma, & existeret Deum Matrì, diuersa veritates sunt à diuersitate locorum siue spatorum Romani, & Matrìensis: diuersisque proinde iudicijs sunt iudicabiles, ut est manifestum. Eiusmodi autem cognitio de Deo erit ut prolixi absente, nullatenusque præsentibus localiter respectu cognoscentis: utpote quòd cognitio erit non de Deo prout existente Matrì; uti opus erat, ut esset cognitio de Deo prout strictè præsentibus localiter cognoscentis: nec de Deo prout existente in loco, vnde connaturaliter posset ad talem cognitionem mouere obiectiue cognoscentem; uti opus erat, ut esset cognitio de Deo prout laxè præsentibus ipsi cognoscenti localiter: eo quòd ad talem cognitionem, utpote ei supernaturalem, ut modò ex dicendis disp. 18. supponimus, necunde potest Deus connaturaliter cognoscentem obiectiue mouere.

66 Addo, similem cognitionem de Deo prout existente cum præcisione ab omni loco, siue spatio locali etiam fore de Deo prout simpliciter existente, & non prout præsentibus localiter cognoscenti. Nam ad hoc, ut obiectum sit præsentibus localiter cognoscenti, non sufficit, quòd ambo existant, atque adeò sibi coexistant simpliciter; ut sufficit ad hoc, ut sint sibi mutuo præsentibus temporaliter iuxta dicta propositio 1. sub finem; sed insuper requiritur, quòd simul existant in eodem loco, siue in eodem spatio locali, si sit sermo de præsentibus locali strictè; aut alterum in prospectu connaturali alterius, si sit sermo de laxè. In quo præsentibus localis, & præsentibus temporalis rerum discriminantur inter se.

Propositio 4.

67 **C**ognitioni possibili, de qua propositione tertia, nihil deesse videtur, quominus sit visio beatifica.

Quia nihil ei deesse videtur, quominus sit actualis possessio Dei, prout requiritur ad visionem beatificam. Quandoquidem absentia, siue distantia localis non obstat, quominus bonum absens, seu distans sub possessionem cadat, ut cernitur in bonis temporalibus absentibus, siue distantibus sæpe sepius localiter ab eis hominibus, sub quorum dominio, atque etiam possessione sunt. Quod maximè est verum, quando possessio in actu intellectus consistit, per quem non minus obiectum absens, siue distans localiter, quam obiectum præsens localiter, potest apprehendi, & teneri, atque adeo possideri.

68 **V**nde apparet etiam discrimen inter distantiam localem, & distantiam temporalem obiecti existentis comparatione cognoscentis illud. Distantia enim localis non tollit, quòd obiectum distans à cognoscente actu, & simpliciter sit existens, coexistentisque ipsi cognoscenti: atque adeo nec tollit, quòd ab ipso per cognitionem possit possideri actualiter, Cum tamen distantia temporalis, à qua habet obiectum, quòd sit præteritum, aut futurum respectu cognoscentis, omnimodis tollat, quòd sit illud actu & simpliciter existens, coexistentisque ipsi cognoscenti; atque adeo & quòd ab ipso possit per cognitionem actualiter possideri. Siquidem nequit possideri actualiter, quòd actu, & simpliciter non est existens; quantumvis illud vel antea extiterit, vel sit postea exiturum, prout dicebamus proposit. 2.

QVÆSTIO V.

An sit possibilis cognitio, seu visio comprehensiva Dei.

69 **T**risariam solet comprehensio usurpari. Primò pro assequutione, seu adeptione rei, quam insequimur. Quo sensu inter alias dotes Beatorum comprehensio computatur consistens in obtentione ultimi finis, quem Viatores sperant, & insequuntur. Iuxta quam acceptionem ait Paulus 1. ad Corinth. 9. Sic currite, ut comprehendatis. Et ad Philip. 3. Sequor autem, si quomodo comprehendam. Eademque vtuntur aliqui Patres, ut Iræneus lib. 4. aduersus hæreses cap. 37. ante medium, Nazian. orat. 25. ad Arianos fine, & orat. 34. quæ est secunda de Theologia in medio, & Epiph. hæresi 70. prope medium. Et de comprehensione quidem Dei hoc modo usurpatà, quæ ad voluntatem potius spectat, quam ad intellectum, certum est, non solum esse possibilem, sed de facto etiam in Beatis omnibus reperiri. Ob id comprehensores dici solent; & Christus Dominus viator simul, & comprehensor dicitur fuisse apud S. Th. 3. p. q. 15. art. 10. Secundò accipitur comprehensio pro quavis cognitione clara, & perspicaci, præsertim de obiecto præsenri. Quo sensu loquitur Paulus ad Ephes. 3. dum ait, *Ne possitis comprehendere cum omnibus san-*

*ctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, &c.* prout ibidem Lec. 3. exponit S. Th. Et de comprehensione etiam hoc modo sumptà certum est, in Beatis dari respectu Dei. Tertiò sumitur comprehensio pro cognitione ita adequatà obiecto, vt totam eius cognoscibilitatem perfectè veluti circumplectatur, ac penetret. Quo sensu dixit Aug. lib. 83. qq. q. 14. *Illud comprehendendi, quòd videtis cognitione finitur.* Ex quibus duæ priores comprehensionis acceptiones minus sunt propriæ, nec de illis agimus in præsenri; sed de solâ tertiâ propriissimâ, atque strictissimâ omnium. Est enim quæstio. An Deus hoc tertio genere comprehensionis omnino incomprehensibilis sit.

Propositio 1.

Deus ab intellectu creato incomprehensibilis est. 70

Hæc propositio absolutè sumpta, vt sonat, citra omne dubium est de fide. Ita enim est definita in Concil. Lateran. prout habetur cap. *Firmiter de Summâ Trinit. & fide cath. ibi. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & immutabilis, incomprehensibilis.* Scilicet ab intellectu creato. Et continetur in sacris Litteris tum formaliter, tum illatiuè. *Jerem. 32. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* *Eccles. 43. Ne laboretis; non enim comprehendetis.* *Iob. 11. Forsitan vestigia Dei comprehendes? & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies?* *Ad Rom. 11. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius.* 1. ad Timot. 6. *Lucem habitat inaccessibilem.* Hoc est incomprehensibilem 1. ad Corinth. 2. *Spiritus enim scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* Comprehensiuè scilicet iuxta Patrum intelligentiam mox exhibendam, &c.

71 **C**onspirant in eandem propositionem Patres Aug. varijs in locis. Luculentius tamen tom. 3. in quæstiunculis de Trin. explicans, quomodo Deus dicatur in scripturis incomprehensibilis, & inuisibilis, ait q. 13. *Videri potest Deus per dona gratiæ siue ab Angelis, siue ab animabus Sancto- rum; plenam verò diuinitatis naturam nec Angelus quilibet, nec Sancto- rum aliquis perfectè videre poterit; ideo incomprehensibilis dicitur Deus.* Idem serm. 38. de verbis Domini ait, *Si comprehendis, non est Deus. Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est. Comprehendere autem omnino impossibile.* Et in lib. Solilo. cap. 31. *Sola, inquit, Trinitas tui soli sibi integrè nota est.* Et lib. 4. de Genes. ad lit. ait. *Etsi sanctis Angelis iam esse minus æquales, non utique nobis ita esset nota diuina substantia, sicut ipsa sibi.* Videlicet comprehensiuè. Beda ad illud 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Promittitur, inquit, nobis videre Deum: nam comprehendere concedi non potest. Epiph. lib. 3. hæresi 70. ait. *Deus infinitis modis, & adhuc amplius incomprehensibilis est.* Et postea. *Omnia, quæ ab ipso facta sunt, infra ipsius gloriam sunt; sola autem Trinitas incomprehensibilis est.* Cyrill. Hieros. catech. 6. aperte sentit, Deum à solo Spiritu sancto, & Filio, hoc est, à se ipso comprehensiuè cognosci posse: nam postquam dixisset, Angelos videre Deum, quantum possunt, subdit, *solus autem Spiritus sanctus ita, vt oportet, videt: ille enim scrutatur*

tur omnia etiam profunda Dei, & Unigenitus Dei Filius ita, ut oportet, etiam cognoscit. Athan. in disp. contra Arium habitā in Concilio Nicæno paulo ante finem ita petit ab illo, *Dei profunda quis cognoscit? natura condita, an incondita substantia? An rem increatam à creatā comprehendī dicis? Sin minus, ab increato increatum intelligi asseuerabis.*

Quod si fit, superest, ut Spiritum sanctum Patri, & Filio consubstantialē fatearis. Omnia enim, quæ sunt Dei, etiam profunda cognoscit Spiritus sanctus. Et infra, *Quid? infinitudinem istam, & incomprehensibilitatem, & quod est, & quomodo est, comprehendī dicis ab aliquā condita naturā? id si fieri potest, certè pro tuis verbis incomprehensibilis non erit.* Hilarius lib. 12. de Trinit. colum. penult. sic Patrem alloquitur, *Profunda tua Spiritus sanctus secundum apostolum scrutatur, & nouit.* Et paulo post, *Nulla te, nisi res tua, penetrat; nec profundum immense maiestatis tue peregrina, atque aliena à te virtutis causa metuit.* Damascen. lib. 1. fidei cap. 1. initio ait, *Ineffabilis diuinitas, atque incomprehensibilis neque enim ullus nouit Patrem, nisi Filius; neque Filium, nisi Pater.* Chyloft. omnium in hac re copiosissimus post multa, quæ habet in homilijs de incomprehensibili Dei naturā, concludit homil. 4. circa medium, *Iam Deum incomprehensibilem esse omnium creaturarum generi, latè ex his, quæ proposuimus, patet, Restat, ut à Filio, & Spiritu sancto dumtaxat exquisitè illum cognoscere differamus.* Greg. Magn. expressè docet, neque Angelos, neque homines posse ullā potentia comprehendere Deum eo ipso, quod creaturæ sunt. Ait enim lib. 10. Moral. cap. 7. *In retributionis calmine reperiri Omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest: quia, etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus; non tamen eius essentiam plene contuemur.* Angelica enim, vel humana mens, cum ad incircumscripsum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creaturā, coangustat; & super se quidem per prouectum tendit; sed tamen eius fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit. Eclib. 18. cap. 28. aliàs 37. in fine. *Nec tamen videbitur, inquit, sicut videt se ipsam: longè quippè dispariliter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem.* Nam quantum ad immensitatem Dei nobis modus figitur contemplationis; quia eo ipso pondero circumscribimus, quod creaturā sumus. Hieronymus lib. 1. de summo bono cap. 3. ait. *Quamuis usque ad parilitatem Angelicam humana post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum indefessa conseruat; videre tamen eius essentiam plene non valet, quam; nec ipsa perfectio Angelica in totum attingit seire.* sola enim Trinitas sibi integrè nota est. Tertullian. in Apolog. cap. 17. *Inuisibilis est, inquit, licet videatur.* Incomprehensibilis, etiam si per gratiam representetur. In eadem sententiā sunt multi præterea Patres, quos longum esset recensere. Videantur apud Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 26. sect. 2. & lib. 2. de Attrib. cap. 5. apud Fasol. 1. p. q. 12. art. 7. dub. 1. & apud Ruiz tom. de Scien. disp. 6. per totam. Consentiant denique nostræ propositioni, prout iacet, omnes Theologi catholici.

72

Itaque esse Deum à creaturā incomprehensibilem comprehensione propriè, & strictè sumptā, dogma fidei est constantissimum. Quæ verò ratione huiusmodi comprehensio debeat secundum tale dogma intelligi creaturæ impossibilis, non ita planè exploratum est. Nam aliqui, quos tacito nomine refert doar. in cit. cap. 5. consent, testimonia commemorata Scripturæ, Concilij Lateran. & Patrum sufficienter saluari posse, si as-

seratur, non posse Deum à creaturā comprehendī aut in hac vita mortali, seu in statu viæ, aut solius naturæ viribus absque supernaturali iuuamine; atque adeo, quod Deus à Beatis, adiunctis viribus gratiæ, comprehendī non possit saltē de potentia absolutā, certum secundum fidem non est. Cum his videtur sentire Vazq. supra, dum latè assumptum dictum persequitur. Addit tamen duo. Primum; iam licitum non esse, sed plane temerarium, absolutè docere, Deum à Beatis comprehendī posse; cum communis Scholasticorum schola oppositum doceat. Secundum, de fide esse, Deum à Beatis non posse comprehendī, si comprehensio accipiatur pro notitia æqualis perfectionis cum obiecto; qualiter non omnes accipiunt. Cum Vazq. sentiunt Arriag. 1. p. disp. 13. sec. 3. Meratius disp. 20. sec. 2. & alij Recentiores. Communis verò Theologorum sententiā absolute pronunciat, esse de fide, Deum à creaturā comprehendī non posse; adhuc de potentia absolutā, ita Soar. Arrub. & Fasol. supra, Salas tract. 2. disp. 4. sect. 6. à num. 81. Molin. 1. p. q. 12. art. 7. Zumez ibidem, & Valen. punc. 5. Gran. tract. 5. de Visione disp. 13. Tann. 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 5. Egid. Lufitanus tom. 3. de Beat. in appendice q. 1. art. 3. Amicus 1. p. disp. 10. sec. 2. Præpos. 1. p. q. 12. art. 7. num. 55. Martin. disp. 8. sec. 7. Recupit. de Deo vno lib. 6. q. 40. num. 2. & apud eos alij plurimi. Itaque, cum apud omnes sit in confesso, Deum de sua quidem absolutā potentia posse comprehendī à creaturā, diffidiam superest, utrum id sit de fide.

## Propositio 2.

Deum ab intellectu creato propriā, & strictā comprehensione omnino incomprehensibilem esse, non solum de potentia suā ordinariā, sed etiam de absolutā, tanquam fidei dogma tenendum est.

Probant propositionem primò testimonia Scripturæ prop. præced. relata, prout illa intelligunt Patres commemorati ibidem. Probat secundò verba Concil. Later. ibi etiam relata, ubi absolutè simpliciter, & eodem modo dicitur Deus incomprehensibilis, quo dicitur solus, æternus, immensus, & incommutabilis, nimirum simpliciter, & omnino; atque adeo etiam de potentia absolutā. Nec refert, quod opponit Vazq. dici etiam ineffabilem, qualis non est, nisi respectu viatorum tantum, non item respectu Beatorum. Nam, ut bene notat Tann. cum Albertino à se citato, quæ ratio est Deus etiam à Beatis incomprehensibilis, eadem est eis ineffabilis; talisque asseritur à Concilio. Constat enim, Beatos plene, perfectè, & adæquatè non posse eloqui, quem plene, perfectè, & adæquatè, prout ad comprehensionem requiritur, cognoscere non valent. Accedit, quod in cap. Damianus ex eodem Concilio desumpto sic dicitur. *Credimus, & confitemur cum Petro, (vtrique Lombardo Magistro sententiarum, de quo ibi est sermo) quod una quadam res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Quibus non obscure denotat Concilium, se Deum incomprehensibilem definire, prout à Magistro cum cæteris Scholasticis incomprehensibilis prædicatur; videlicet absolute, & simpliciter, atque de potentia absolutā. Huc etiam spectat, quod Concil. Basil. sol. 22. con-



tra Augustinum de Roma docet, animam Christi quantumvis beatam Deum non comprehendere. Quamquam enim hoc Concilium, utpote non confirmatum à Pontifice, non faciat cerram fidem; attamen communem Ecclesie sensum satis ostendit. Tertiò probat propositionem communis auctoritas Scholasticorum, & Patrum. Scholastici enim vnanimi consensu asseuerant, Deum à creaturâ nec de potentia absolutâ comprehendî posse, vt ipsi Vazq. & Arriag. consentunt. Patres etiam satis clarè id ipsum se sentite significant, vt cernere licet in testimonijs supra indicatis. Igitur sentiunt Patres, & Scholastici, veritatem hanc in sacra Scripturâ, aut etiam in decretis Ecclesie contentam esse. Aliud enim fundamentum ad illam tam vnanimiter adstruendam non potuerunt habere: quandoquidem naturalis ratio euidenter non monstrat, esse Deum ab intellectu creato incomprehensibilem omnino, adhuc de potentia absolutâ. Stet itaque de fide esse, eum esse talem. Id quod etiam ratio naturalis suadet. Quia vt probabimus q. seq. obiectum infinitum, qualis est Deus, nisi infinitâ cognitione, qualis creata esse nequit, comprehendî non potest. Porro, quàm certum est, Deum à creaturâ comprehendî non posse, tam certum est, eum à se ipso comprehensibilem esse, atque de facto comprehendî, vt monstrabimus in tract. de Scientia.

QVAESTIO VI.

Cur Deus per cognitionem creatam nullâ potentia comprehendî possit. Seu, quod in idem recidit, in quo consistat comprehensio propriè, & strictè sumpta.

74 **D**ico, in idem recidere vtramque quæstionem; quia, cum apud omnes sit certum, vt vidimus præced. q. prorsus impossibile esse, vt per cognitionem creatam strictè comprehendatur Deus, consequitur, quidratium strictæ comprehensionis conceptum in eo poni debere, quod nulli cognitioni creatæ possit comparatione Dei conuenire. Cumque ratio à priori, cur Deus nequeat strictè comprehendî à creaturâ, alia esse non possit, nisi quia stricta comprehensio perit ex suo conceptu, quod nulli cognitioni creatæ vllatenus conuenire potest comparatione Dei: consequitur, perinde esse inquirere, quid dicta comprehensio postulet ex conceptu suo, seu in quo consistat, ac inquirere, cur Deus non possit à creaturâ comprehendî. Præsentis igitur quæstionis difficultas, suppositâ præcedentis resolutione, in assignando legitimo comprehensionis conceptu omni cognitioni creatæ comparatione Dei repugnanti posita est.

75 **D.** Aug. epist. 112. cap. 8. ita comprehensionem definit, pariterque à visione non comprehensionis discernit. *Aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens vnicuique sentitur. Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumscribi possunt.* Quemadmodum enim comprehensione corporeâ (à qua ad spirituale nomen translatus est) tunc vnum corpus comprehenditur alio, quando vnum intra

alium plenè, & totaliter continetur, ita, vt superficies concaua continentis conuexæ contenti adæquetur eam vndequeque ambiens, & circumplectens, vt si in maiori spherâ minorem penitus concludas. Sic comprehensione spirituali tunc obiectum cognitione comprehenditur, quando veluti continetur totaliter, atque concluditur intra sinus representationis eius, adeò, vt nihil lateat cognoscentem, penitusque vsque ad fines vltimos à cognoscente circumscribatur, ac penetretur. Quocirca ipse August. lib. 12. de Trinit. cap. 18. post medium ait, *Quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Et lib. 83. qq. q. 14. *Quod autem se comprehendit, finitur est sibi.* Quam August. doctrinam omnes Theologi venerantur, & amplectuntur. Vnusquisque tamen conatur Alam ad suum sensum trahere, dum comprehensionis, de qua agimus, definitionem sibi compingit. Quod variè præstant: & quidem contententes ferè de solo modo loquendi: qualis ferè est omnis contentio, quæ circa rerum definitiones versatur. Quod benè notarunt Vazq. Gran. & alij mox referendi.

Itaque nonnulli tacito nomine citati à Vazq. 76 i. p. disp. 53. cap. 1. quibus annuisse dicitur Franciscus Victoria, ita in adæquatâ totius Dei visione comprehensionem constituiebant, vt dicerent, propterea Deum à Beatis non comprehendî; quia non vident illum secundum omnem intensiois gradum. Hæc tamen sententia intellecta de intensioe physica, & propria communiter improbabilis reputatur. Quia nec fas est in diuinâ substantiâ aliquod genus intensiois physicae, & propriae excogitare. Nec, si daretur, liceret dicere, latere de facto Beatos aliquem intensiois gradum eiusdem substantiæ diuinæ.

77 **S**ecundò Nominales apud eundem Vazq. cap. 3. apud Soar. & alios deinceps citandos, vt præsentem difficultatem euaderent, varias comprehensionis definitiones, seu potius acceptiones excogitauerunt asserentes, comprehensionem esse primò visionem tangentem integrum obiectum, adeò, vt nihil eius lateat videntem. Secundò visionem discernentem inter partes obiecti. Tertiò visionem attingentem obiectum optimo modo, quo videri potest. Quartò cognitionem obiecti sub omnibus prædicatis, quæ ipsi conuenire possunt. Quintò denique cognitionem eandem proportionem habentem cum alijs cognitionibus, quam habet obiectum cognitum cum alijs obiectis. Et primo quidem modo, inquirunt, Beati comprehendunt Deum: quia nihil Dei eos latet: reliquis verò modis minimè. Non enim secundo: quia Deus non habet partes per cognitionem discernendas. Non tertio: quia sic ne creatura quidem est cognitione creatâ comprehensibilis: cum sit meliori modo cognoscibilis per diuinam. Non quarto: quia solus Deus cognoscit omnia prædicata, quæ sibi conuenire possunt. Non denique quinto: quia nulla cognitio creatâ Dei potest aliorum obiectorum cognitiones excedere, quantum Deus excedit ipsa obiecta.

78 **C**æterum prima harum usurpationum comprehensionis non est stricta, de qua loquimur, cum detur de facto in Beatis, quibus comprehensio Dei stricta repugnat, vt q. præced. statuimus. Quarta etiam stricta non est, utpote Beatis ipsis possibilis, qui saltem de potentia absolutâ benè possunt cognoscere, quæcunque prædicata Deo conueniunt, aut conuenire possunt, vt ex dicendis

amplius patebit. Reliquæ verò acceptiones, quæ in Beatis dari nequeunt, aut abusuæ sunt, aut extraneæ. Etenim, ut obiectum sit comprehensibile, non opus est, quòd habeat partes, inter quas comprehensio discernat, vti supponit secunda acceptio; cum sit certissimum, Deum se ipsum, & Angelos, aliaque omnia obiecta simplicia circa omnem partium discretionem perfectissimè comprehendere. Deinde etiam est certum, posse vnam creaturam comprehendere aliam; tamen hæc meliori modo à Deo sit cognoscibilis. Perperam igitur requiritur tertio loco ad rationem comprehensionis; quod sit optima cognitionum; quæ circa obiectum comprehendendum versari possunt. Tandem eadem proportio inter cognitiones, quæ datur inter obiecta, impertinens censenda est ad rationem comprehensionis contra-ceptionem quintam. Tum quia fieri potest, ut inter cognitiones, quarum nulla sit comprehensio eadem seruetur proportio, quæ inter earum obiecta. Tum quia absque tali proportione simplicissimè comprehensio vera subsistit. Comprehensio enim tum increata, tum etiam creata lapilli, & cognitio obscura Angeli, aut etiam Dei non seruant proportionem, quam obiecta, ut patet; quandoquidem comprehensio lapilli perfectior est cognitione obscurâ Angeli, aut Dei; cum tamen Angelus, & Deus longissimè excellant lapillum. Tertio P. Vazq. disp. illâ 53. cap. 4. & disp. 60. circa finem docet, comprehensionem strictam esse; quæ videtur non solum; quidquid est intrinsecè res, quæ dicitur comprehendit, sed etiam quidquid illam consequi, vel ab eâ pendere potest; ita tamen, ut hæc extrinsecè ad rem pertinentia aut tanquam effectus eius possibiles, vel futuri, aut aliter, non vteunque, sed ex vi visionis; quæ res videtur, attingantur. Unde inferet, Deum à creaturâ incomprehensibilem esse; non verò à se ipso: quia, licet fieri possit, ut creaturâ videns Deum omnia obiecta extrinsecè ipsi tam futura, quam possibilia cognoscat per eomitantem revelationem; at ex vi visionis, prout ad comprehensionem requiritur, illa cognoscere non valet; eo quòd Deus nullam cum talibus obiectis connexionem habet, vi cuius ad ipsa cognoscenda possit creaturam se videntem determinare, ipse tamen aliunde, quam ab huiusmodi connexionem, habet ex vi scientiæ, quæ se videt, cætera cuncta obiecta cognoscere: quia nimirum scientia diuina ex eo, quòd est scientia Dei tanquam primarij, seu formalis obiecti, cætera cuncta cognoscibilia cognoscere habet. Atque ita Deus perfectiori modo se comprehendit, quam si ex se viso tanquam ex medio ad cætera cuncta cognoscenda per connexionem cum illis induceretur. Consentit huic sententiæ, & doctrinæ Alarc. trac. 1. disp. 4. cap. 6.

79  
Ego verò, tamen fatear cum communi, de ratione comprehensionis esse, quòd ex vi cognitionis rei comprehendendæ cætera, quæ ad ipsam pertinent, attingantur, prout minutis postea explicabo, arbitror tamen, id ad comprehensionem satis non esse; cum id cognitioni obscuræ, & confusæ possit haud dubie conuenire; qualis comprehensio esse non potest. Comprehensio quippe iuxta sententiam omnium cognitio clara, & inuincua necessario esse debet; certumque subinde gradum claritatis, & perfectionis respectiue ad rem comprehendendam habere, ut inferius latinis exponam. Præterquam quòd sententia Vazq. aliunde mihi displicet. Primò; quia

scientia diuina non ideo præcisè, quia est scientia Dei ut primarij, & formalis obiecti, est scientia cæterorum cognoscibilium, ut ostendam in tract. de Scientiâ. Eoque iure subinde nequit esse Dei comprehensio. Sacundò; quia, si scientia diuina titulo attingendi Deum ut primarium, & formale obiectum attingeret cætera cuncta cognoscibilia, possibilis vtiq; esset scientia creata eadem eodem titulo attingens, quæ propterea comprehensio Dei esset iuxta doctrinam Vazquez. Quod ex dictis q. 5. constat absurdum esse. Tertio; quia conceptus comprehensionis, qui in præsentî definitus suscipitur, vniuersè debet esse communis omni comprehensioni, ut sub definitionem cadat. Quòd euariet secus, si, ut censet Vazq. comprehensio, quæ se Deum comprehendit, esset cognitio pertinentium ad Deum ex vi attingendi ipsum ut primarium, & formale obiectum; comprehensio verò, quæ se Deus, aut Angelus, aut homo comprehendit creaturam, esset cognitio pertinentium ad creaturam ex vi attingendi ipsam, non ut obiectum primarium, & formale, sed ut medium connexum cum illis. Quarto; quia, ut aliqua res comprehendatur iuxta doctrinam Vazq. non solum debent attingi ex vi cognoscendi ipsam, quæcunque ipsa facere potest, sed insuper quæcunque facit, siue factura est. Quo posito, stando in eiusdem doctrinâ, ne Deus quidem comprehenderet voluntatem creatam, quod est absurdum. Quia non attinget, quæcunque ipsa factura est liberè ex vi cognoscendi ipsam aut tanquam obiectum primarium, formaleque, aut tanquam medium connexum cum illis: neutrum enim esse habet, ut constat, comparatione cognitionis diuinæ.

Quarto loco potest poni sententia aliorum qui, cum sentiant etiam, solum requiri ad comprehensionem, quòd videantur simul cum re comprehendendâ, quæcunque in ipsâ tum formaliter, tum eminenter continentur: aliter tamen, quam Vazq. sentiunt, ab intellectu creato videri non posse simul cum Deo, quæcunque continentur in ipso eminenter; nimirum omnes creaturæ possibiles, atque futuræ; eoque iure Deum ab intellectu creato comprehendi non posse. Non tamen vnâ, & eadem ratione id probant omnes, sed multiplici, & variâ. Thomistæ communiter, inter quos Fasol. 1. p. q. 12. art. 7. dub. 5. dicunt, idcirco ab intellectu creato non posse videri in Deo omnes creaturas; quia talis visio esset simpliciter infinita, qualis creata visio esse non potest. Quod probant: quia ad videndum in Deo aliquot creaturas perfectio aliqua determinata visionis requiritur: ad videndum autem plures maior perfectio. Ergo ad videndum infinitas, quales sunt omnes, quæ continentur in Omnipotentia Dei eminenter, perfectio visionis infinita necessaria est. Cæterum per istud argumentum calculatorium ut summum probari, visionem infinitarum creaturarum in Deo infinitatem quamdam habere non alienam à visione creatâ, ex dictis q. 2. compertum est. Dico, ut summum. Quia ne id quidem probatur iuxta sententiam meam, qui censeo, illud in quodam principio falso niti, prout notavi ad calcem dictæ questionis. Itaque, ut visio intuitiua Dei ab obiecto non euadit infinita infinitate repugnante creaturæ, est visio intuitiua creaturæ aliquam ab obiecto suo sortitur perfectionem, & inter Deum & creaturam infinita distantia sit. Sic visio infi-

nitatum creaturarum in Deo multò minus ab obiecto euadet infinita infinitate repugnante creaturæ; estò visio certi numeri creaturarum, aliquam à tali numero perfectionem sortiatur; & inter infinitas creaturas, & quemuis numerum earum infinita distantia sit. Multò quippe maior est perfectionis distantia inter Deum, & creaturam, quam inter omnes creaturas possibiles, & quemuis numerum earum, vt constat. Hæc satis. Plura contra hunc modum dicendi videre quisque poterit in Arriag. 1. p. disp. 13. sec. 5. **82**

Aliter Mondaus disp. 2. cap. 9. & Petr. Hurt. disp. 10. de Animi. sec. 3. & 4. dicunt, ideo non posse ab intellectu creato videri omnes creaturas in Deo; subindeque Deum ab illo comprehendendi non posse; quia visio creata, quæ vnâ creaturarum est, per se ipsam videri nequit; eo quòd de ratione cognitionis creata est à suo obiecto causari immediatè, aut mediatè: visio autem creata se ipsam nullo modo causare potest. Vnde rursus fit, per visionem creatam neque videri posse alias creaturas ipsam respectu intrinseco respicientès; cum nullus respectus sine suo termino cognosci possit. Minus placet iste modus dicendi. Primò; quia falsum est, repugnare visionem, quæ sui ipsius cognitio sit; imò fortasse repugnat visio, quæ sui ipsius non sit experimentalis notitia, iuxta dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. à n. 155. atque etiam supra q. 4. Falsum est etiam, ad conceptam essentialem creatæ cognitionis spectare, quòd physicè à suo obiecto causetur immediatè; aut mediatè: potest enim vel à solo Deo, vel à Deo simul, & ab intellectu produci. Inò nec naturalis est cognitioni creatae causari à suo obiecto, vt patet in cognitionibus, quibus Angeli obiecta creata inueniuntur per species non ab ipsis obiectis, sed à solo Deo productas iuxta sententiam communiorum. Et quamuis cognitio creata petret à suo obiecto primario, & directo causari; at ab obiecto quasi reflexo, & secundario, qualis est ipsa respectu sui, non est, cur etiam causari petat. Sed estò non sit possibilis visio creata, quæ sui ipsius visio sit, adhuc non inde conficitur, Deum comprehendendi non posse à creaturâ cum omnibus, quæ in se formaliter, & eminenter contenta sunt. Nam, vt inferius trademus, si ex vi visionis substantiæ Dei nascatur alia visio de obiectis omnibus creatis, atque adeò etiam de priori visione, idem præstarentur duæ istæ visiones, ac si essent vnica; atque adeò non erit, cur per vtramque simul non dicatur Deus comprehendendi, æquè, ac per vnica diceretur.

**83** Secundò displicet iste dicendi modus. Quia ex illo sequitur contra omnium consensum, Angelum neque se ipsum, neque aliud quodpiam ens creatum comprehendere posse. Ad comprehendendum enim se ipsum, aut aliud ens ex vnâ parte est necessarium, stando in isto modo dicendi, quòd cognitio comprehensua attingat omnes cognitiones, quæ sunt effectus tum Angeli vt principij, tum alius entis vt obiecti, atque adeò etiam se ipsam, quæ earum vnâ est: ex aliâ verò parte se ipsam nequit attingere. Quo rursus fit, vt neque alios actus eiusdem Angeli attingere possit, qui sine ipsâ cognitione cognosci nequeunt, vtpote ad ipsum terminati. Responderi potest ex Hurt. probari quidem hoc argumento, Angelum per cognitionem naturalem nec se, nec aliud quidpiam comprehendere posse; posse tamen per supernaturalem:

quia hæc per se ipsam non debet attingi, vt id, cuius est effectus comprehendatur: eo quòd ad rem comprehendendam soli naturales effectus eius debent cognitione complecti. Sed primò male, & contra communem consensum conceditur, Angelum per naturalem cognitionem nec se, nec aliud quidpiam comprehendere posse. Deinde non satis consequenter asseritur, posse per supernaturalem. Nam, cum hæc per naturalem reflexam possit attingi, iuxta dicenda disp. seq. & omnis naturalis cognitio titulo effectus naturalis obiecti comprehendendi debeat per comprehensionem cognosci; nec possit, nisi cognito obiecto: conficitur comprehensionem supernaturalem Angeli, aut alius entis creati debere necessariò attingere cognitionem naturalem reflexam sui, & consequenter se ipsam. Quòd tamen iuxta doctrinam, quam impugnamus, impossibile est.

**84** Propterea Recentiores alij, ad idem assumptum probandum dicunt, idcirco non posse ab intellectu creato videri omnia, quæ eminenter continentur in Deo; proindeque Deum ab illo comprehendendi non posse: quia nulla est possibilis visio creata, per quam possint omnia decreta Dei secundum omnem statum, quem possunt habere, possibilitatis scilicet, & existentiz, cognosci, vt possunt per incretam, per quam eo titulo Deus comprehenditur à se ipso. Etenim nulla visio creata potest repræsentare decretam actuale de sua non existentia: quia, tali decreto actu existente, repugnat, visionem, quam ipsum remouet, existere. Tum decretum de non concurrente ad vllam creatam visionem per nullam potest repræsentari; sicut nec scientia visionis de talibus decretis, vt constat. Et quamuis nec per visionem incretam repræsententur prout actu existentia decreta Dei pure possibilis, quæ actualiter non existunt; ipsa tamen talis est excellentiz, vt intrinsecè immutata possit illa repræsentare; atque ita repræsentaret de facto, si de facto existerent. Quo nihil desideratur in eâ, vt sit stricta, & perfectissima Dei comprehensio. Comprehensio quippe in vniuersum talis naturæ debet esse, vt immutata intrinsecè cuncta, quæ ad rem comprehendendam pertinent, prout existentia, valeat repræsentare, casu, quòd existentia fiant.

**85** Hic etiam modus dicendi facillè reprobandus. Primò; quia ad aditruendum, quòd præterdit, impertinenter recurrit ad decretum de non existentia visionis: quandoquidem per visionem creatam actu existentem nullum omnino decretum Dei, nullum etiam omnino ens non existens est cognoscibile, vt existens pro casu, quòd existeret: quia visio creata, quæ modò non est expressa repræsentatio existentiz actualis decretorum, aliorumque entium, quæ actualiter non existunt, neque esset casu, quòd existerent: nam in visione non est accidens, sed essentia repræsentare obiectum, vt constat. Atque adeò existentiam obiecti, quam nunc, dum illud non existit, non repræsentat, nec repræsentaret, si existeret. Quòd adeò verum est, vt visio etiam increta essentialiter sit repræsentatio obiecti, cuius visio est. Quòd si illud, quando deficit, non repræsentat, ideo est: quia ipsa quoque ob suam infinitatem, & eminentiam in ordine ad illud repræsentandum deficit virtualiter, prout explicabimus in tract. de Scient. qualiter visio creata ob suam limitationem, seruata formali

existentia, neque deficere.

86 Ex quo prædictus dicendi modus secundò impugnatur ab absurdo. Sequitur enim ex illo contra consensum omnium, ne creaturatum quidem ullam esse per visionem creatam comprehensibilem. Quia nulla visio creatam comprehendens existentiam actualem effectuum purè possibilium creaturæ comprehendendæ talis naturæ potest esse, ut ipsamet immutata intrinsecè representaret illam casu; quòd tales effectus essent actu existentes; prout opus erat iuxta ipsum dicendi modum ad talem creaturam comprehendendam.

87 Tertiò impugnatur à priori. Quia impertinenter prorsus requiritur ad conceptum comprehensionis, quòd illa sit cognoscitiua veritatis actu ad obiectum comprehendendum non pertinentis pro casu, quòd pertineret. Cum enim comprehensio cognoscitiua, de qua agimus, dumtaxat exerceatur per actualem representationem eorum, quæ actualiter in obiecto cognoscibilia sunt; eò quòd, quæ non sunt actu cognoscibilia, nequaquam possunt cum obiecto actuali cognitionis completi, ut est notissimum; consicitur, ut aliqua cognitio sit obiecti comprehensua, impertinens esse, quòd vim habeat ad attingendum etiam ea, quæ actu non pertinent ad obiectum, neque cognoscibilia sunt de presenti pro casu, quòd pertinerent, aut essent. Non igitur est necessarium ad hoc, ut visio sit comprehensua Dei, quòd talis sit naturæ, ut ipsa immutata formaliter cognosceret decreta, quæ modò Deus non habet, casu, quòd illa haberet, & entia, quæ nunc non existunt, ex hypothesi, quòd existerent. Nec visio increata Dei idcirco est eius comprehensio; quia huiusmodi proprietate gaudet; sed ex alijs capitibus. Eset enim talis; tamen si per impossibile eà proprietate careret, ut ex dicendis apparebit. Et confirmatur planè ab exemplo comprehensionis corporalis, per quam sola quantitas, quam habet corpus comprehensum, completi, & circumscribi debet; nec opus est, ut comprehendens sit capax maioris, quam comprehensum habere possit, aut datà aliquà hypothesi haberet. Deinde ab absurdo confirmatur. Fieret enim ex doctrinà, quam impugnamus, ut nulla cognitio comprehensio esse posset, quæ non esset ex se cognoscitiua omnium omnino entium excogitabilem tum possibilem, tum repugnantium pro casu possibili, aut impossibili, quòd illa omnia pertinerent ad obiectum comprehendendum, in illoque proinde forent cognoscibilia. Quod patet, plus, quàm absurdum, & inauditum esse. Etenim non est maior ratio, cur comprehensio debeat esse naturà suà cognoscitiua eorum, quæ possunt, quàm eorum, quæ non possunt pertinere ad obiectum comprehendendum, dum utraque de facto æquè non pertinent.

88 Hoc postremo argumento refutanda pariter venit affinis quædam aliorum Recentiorum sententia, qui cum Ouid. controu. 6. de Anim. punc. 5. s. 2. censent, dici posse comprehensionem esse cognitionem, quæ attingit omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in obiecto, eò modo, quo sunt in obiecto; ita, ut si obiectum talis sit naturæ, ut absque vllà intrinsecà variatione possit habere aliquem actum, & illum non habere, cognitio quoque talis naturæ sit, ut prorsus inuariata intrinsecè valeat talem actum representare, si detur in obiecto, & non representare, si non detur. Hinc explicant, quomodò Deus à se ipso comprehendendi possit, à creaturà verò non item.

quia, ut Deus absque intrinsecà variatione ob suam infinitatem potest actus amoris, & scientiæ liberos habere, vel non habere, prout sibi libuerit; ita cognitio Dei increata ob suam eminentiam absque intrinsecà variatione valet tales actus representare, si adsint, & non representare, si desint: quod tamen omnino repugnat cognitioni creatæ. Similiter explicant, quomodò nulla creatura incomprehensibilis sit ab aliis: quia, ut nulla est, quæ sine physica variatione possit nouos actus elicere, & non elicere; ita nulla est, quæ ad sui comprehensionem exposcat cognitionem valentem absque physica variatione huiusmodi actus representare, si sint, & non representare, si desint: alia autem ab hac cognitiones possibiles sunt creaturæ. Ceterum, quam sit impertinens ad rationem comprehensionis, quòd potens sit illa absque vllà sui variatione representare actus non repertos in obiecto de facto pro casu, quòd reperirentur, ex dictis num. præced. compertum est; quæ repetere non est opus. Eis tamen addo, non minus impertinens esse, quòd possit, aut non possit obiectum sine physica variatione aliquos actus exercere, & non exercere: nam hi solùm, quos de facto exercet, veniunt considerandi in ordine ad eius comprehensionem; nec refert ad hanc, quòd per eorum exercitium mutetur physice, aut non mutetur, ut satis ex se, atque ex dictis etiam est notum.

Postrema igitur, & cæteris omnibus communior Theologorum sententia est, ad rationem comprehensionis, de qua agimus, non solum esse necessarium, quòd per illam tangantur omnia, quæ formaliter, & eminenter continentur in obiecto comprehendendo, ad illudque aliquo modo pertinent; sed etiam, quòd sit cognitio adæquata cognoscibilitati obiecti, ipsique exactè proportionata; ita, ut ea in ratione cognitionis tam perfecta sit, quàm est illud in ratione cognoscibilis. Et quoniam nulla cognitio creatæ potest cognoscibilitati Dei adæquari, quemadmodum increata adæquatur; idcirco Deus à creaturà nullatenus comprehendendi potest, uti à se ipso comprehenditur. Hæc est sententia, quam nos amplectimur, Eius auctores, & exactam explanationem exhibebimus in sequentibus.

### Propositio 1.

Comprehensio propriè, & strictè sumpta non solum rem comprehendendam, sed etiam quidquid ad illam pertinet, vel aliquid eius est quoquo modo, debet attingere, siue cognoscendo completi. Idque ex vi attingendi, siue cognoscendi rem ipsam.

In hanc propositionem ferè consentiunt omnes Theologi tum in superioribus commemorati, tum quos iam refero. S. Sh. 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 56. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 29. & tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 1. & lib. 2. de Angelis cap. 31. Trigos. 1. p. q. 7. art. 1. dub. 7. Bann. q. 12. art. 8. concl. 1. Zumel ibidem concl. 3. Mol. disp. 2. Arrub. disp. 23. cap. 3. Fasol. 1. p. q. 12. art. 7. dubit. 5. Gran. tract. 5. de Vis. disp. 13. sec. 1. Heric. 1. p. disp. 4. cap. 4. Albeda disp. 30. sec. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 6. n. 94. Arriag. 1. p. disp. 13. sec. 1. & 6. Amic.

Amic. disp. 20. sec. 1. Præp. q. 12. art. 7. dub. 1. Mat-  
 tin. disp. 8. sec. 5. Recapit. lib. 6. q. 40. & apud eos  
 alij plures, præsertim apud Basol. & Salas. **91**  
 Ratio autem propositionis est. Quia  
 quavis, ut vnum corpus ab alio corporaliter  
 comprehendatur, sit sit, quod tota quanti-  
 tas illius in quantum huius claudatur; eo  
 quod, quæ extrinseca sunt, ad corpus corpora-  
 liter comprehensum non dicuntur pertinere cor-  
 poraliter, siue in ordine ad corporalem compre-  
 hensionem. Attamen, quia ad rem intelligibili-  
 lem quæ talem non solum prædicata intrinseca,  
 sed etiam extrinseca pertinent; vel quia ista vir-  
 tualiter, seu eminenter continentur; vel quia  
 aliquid eius sunt; vel quia quidditatem eius, & vi-  
 res aliqua ratione notificant. Ideo, ut res intel-  
 ligibiliter comprehendatur, non solum quoad  
 intrinseca, sed etiam quoad extrinseca: etiam prædica-  
 ta cognosci debet, ita, ut extrinseca ex vi intrin-  
 secorum tangantur; alioquin comitanter solum,  
 & quasi accidentaliter, tangantur, nec quidpiam  
 ad rei comprehensionem præstabit. Compre-  
 hensio quippe talis cognitio debet esse, quæ vi-  
 sua, non solum obiectum primum, sed, quæ  
 ex illo derivantur, ad illudve pertinent, ostendit  
 dat. eo ipso, quod est cognitio obiecti primarii.  
 Propterea hominem illum, cuius consilium, &  
 voluntatem non assequimur, cuiusve internos  
 affectus, aut etiam effectus ignoramus, nondum  
 nos comprehendere dicimus. Sicut nec princi-  
 pium aliquod nos comprehendisse arbitramur,  
 donec ita ipsum penetremus, ut ex eo omnes  
 conclusiones, quæ deduci possunt, perspicua-  
 mus.

**92** Sed circa præsentem propositionem non-  
 nullæ restant difficultates expediendæ. Prima,  
 quanam prædicata, obiective extrinseca, in spe-  
 ciali cognosci debeant ad aliquam rem compre-  
 hendendam. Conveniunt omnes, ea omnino  
 debere cognosci, sine quibus res comprehenden-  
 da cognosci nequit; qualia sunt termini relatio-  
 num intrinsecarum, siue transcendentium eius.  
 Deinde conveniunt, debere etiam cognosci pas-  
 siones inseparabiles ab essentia rei emanantes.  
 Tum accidentia rei intrinseca, & eius actus, at-  
 que effectus, in quantum possibiles sunt. Quia  
 cuncta hæc aliquid rei sunt, eorumque cognitio  
 non parum conferre videtur ad rei quidditatem,  
 & vires penitus penetrandas. Quod maxime ve-  
 rum est in sententiâ communi ponente in causis  
 transcendentem relationem ad effectus possibili-  
 les. Vtrum autem omnia prædicta non solum  
 ut possibilia, sed etiam ut existentia debeant co-  
 gnosci, quando existunt, ut res, ad quam illa  
 pertinent, comprehendatur, sub controversiâ est.  
 Affirmant Vazq. 1. p. disp. 53. n. 15. & disp. 205.  
 n. 9. & alij Recentiores, qui difficultatem atti-  
 gerunt; consequenter censentes, non posse vnum  
 Angelum naturaliter comprehendere alterum;  
 quia secreta cordis eius cognoscere nequit. Ne-  
 gant verò Soar. lib. 2. de Angel. cap. 31. n. 9.  
 Gran. tract. 4. de Angel. num. 13. Alarc. tract. 1.  
 disp. 4. cap. 6. n. 18. & quotquot docent, vnum  
 Angelum alterum comprehendere naturaliter.  
 Ego utrosque arbitror componendos: quia præ-  
 sens dissidium ad solum loquendi modum redu-  
 citur.

**93** Affero itaque primò, ut res aliqua quoad  
 substantiam, seu entitatem propriam comprehen-  
 datur; omnia omnino, ad quæ illa intrinsece, tran-  
 scendentaliterve, ut aiunt, refertur, distinctè de-

bere cognosci, prout terminant talem relatio-  
 nem: quia, cum res sine illis aliquo modo co-  
 gnitis absolute cognosci nequeat; nec sine illis  
 distinctè cognitis poterit perfectè cognosci, prout  
 ad comprehensionem requiritur, ut satis ex se-  
 notum est; & apud omnes in confesso. Hinc  
 actus, effectus, passiones, & accidentia rei intrin-  
 seca in quantum possibilia singulatim cognosci  
 debent, ut res comprehendatur; si ad illa ut sic  
 refertur res naturâ suâ, ut communis sententia  
 fert. Patenterque cognosci debent prout exis-  
 stentia illa, ad quæ ut talia res refertur, ob eam-  
 dem rationem.

**94** Secundò affero, ut res quoad substantiam  
 suam præcisè comprehendatur, nullum  
 aliorum entium, ad quæ ipsa naturâ suâ non  
 refertur, debet cognosci. Quia sine his cog-  
 nitis, potest intrinseca rei substantia, seu entitas per-  
 fectè cognosci, prout ad comprehensionem re-  
 quiritur, cognitione videlicet adæquatâ cogno-  
 scibilitati rei intrinsecæ, & absolute iuxta do-  
 ctrinam tradendam prop. seq. Hoc sensu vera  
 est secunda sententia P. Soar. & aliorum. Cate-  
 rum, quia, ut res absolute, & simpliciter com-  
 prehendi dicatur, non solum cognoscibilitas eius  
 intrinseca, & absoluta, sed veluti extrinseca  
 etiam, & respectiva est per comprehensionem  
 exhaustivam iuxta dicenda ibidem.

**95** Affero tertio cum P. Vazq. & alijs Auditori-  
 bus prima sententiæ, ut res absolute, & simpli-  
 citer comprehendatur, omnia, quæ ad illam  
 quavis ratione pertinent, aut aliquid eius sunt  
 quoquo modo, debere cognosci: qualia sunt  
 omnes eius actus, effectus, atque passiones, tum  
 proprias, tum communes tam merè possibiles,  
 quam existentes in quavis differentiâ temporis,  
 præterita, vel futura; & univèrsim omnia  
 accidentia seu necessaria, seu contingentia,  
 tum quibus res comprehendenda aliquod genus  
 necessitudinis habuerit; tanetsi nullam intrinse-  
 cum, siue transcendentem respectum aut con-  
 nexionis, aut etiam non connexionis habeat ad  
 illa. In quibus ad dictam rem pertinentibus  
 non solum merè possibilia, & existentia absolu-  
 tæ, sed etiam existentia conditionatè connume-  
 randa sunt, ut bene Ruiz. disp. 73. de Scient. sect.  
 5. n. 9. & sect. 6. n. 3.

**96** Sed dicit aliquis. Nulla res potest obiective  
 determinare intellectum ad cognoscenda  
 alia obiecta, cum quibus illa nullo modo connexa  
 est. Ergo ex vi cognitionis cuiusvis rei compre-  
 hendendæ nulla alia obiecta ad ipsam rem aliquo  
 modo pertinentia cognosci possunt, nisi res ipsa  
 cum illis aliquo modo connexa sit. Distinguo  
 antecedens. Nulla res potest determinare intelle-  
 ctum ad cognoscenda alia obiecta, &c. cogni-  
 tione non comprehensivâ; concedo. Cognitio-  
 ne comprehensivâ; nego. Et nego consequen-  
 tiam. Eo enim ipso, quod res comprehenditur  
 non potest, nisi cognoscatur non solum absolu-  
 tæ quoad veritatem intrinsecam, quam habet in  
 se, sed insuper comparativè ad alia omnia obiecta  
 extrinseca, quæ ad se pertinent quoquo modo,  
 semel horum veritate supposita ut quadam  
 extrinsecâ conditione, iam talis res prout com-  
 prehensibilis ab intellectu ipsum determinare  
 valet non solum ad cognoscendum se, sed insu-  
 per ad cognoscenda cætera, quæ pertinent ad se  
 quoquo modo. Quod ipsum est, intellectum  
 comprehensivum talis rei quatenus talem compo-  
 tem esse ad cognoscendum tum ipsam rem, tum



ex vi ipsius, siue ex vi cognoscendi ipsam cætera cuncta, quæ ad ipsam pertinent, horum veritate, supposita, quantumvis à talium veritate sit res ipsa absoluta. De quo plura dicenda venient in tract. de Scient.

97 *Secundo dubitari potest, an, vt res aliqua comprehendatur, effectus etiam, & accidentia supernaturalia eius cognosci debeant. Negant communiter Doctores. Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 1. Gran. 1. tract. 5. de Vision. disp. 13. sect. 1. num. 10. Herice disp. 4. in fine. Alarc. tract. 1. disp. 4. cap. 6. num. 17. Card. Lugo disp. 19. de Incarn. sect. 2. num. 32. Ripal. disp. 11. de eute. super. sec. 4. num. 19. & alij. Et merito. Quia effectus, & accidentia supernaturalia eo ipso, quod sunt supra omnem exigentiam, & debitum rei, cui conueniunt, ex vna parte neque ad naturam eius pertinere, neque aliquid eius esse tenenda sunt; ex alia vero res ipsa cum illis adhuc, vt possibilibus connexa non est, vt videbimus disp. 18. Atque adeo, vt res absolute, & simpliciter comprehendatur, non est, cur illa cognosci debeant.*

98 *Tertia difficultas circa præsentem propositionem est, quo genere cognitionis cognosci debeant ea prædicata extrinseca ad rem pertinentia, quæ ex vi comprehensionis eius cognoscenda sunt iuxta dicta. Certum est primo, non debere cognosci comprehendere. Ita enim supponere videntur omnes, & exprimitur Ripal. disp. 13. de eute. super. sect. 2. præsertim num. 7. Probaturque primo à posteriori. Quia, cum Deus cognosci necessario debeat, vt quævis creatura comprehendatur, vt potè relata ad ipsam transcendenter; & aliàs ab intellectu creato incomprehensibilis sit, si ea, quæ ex vi comprehensionis creaturæ cognosci debent, comprehendere essent cognoscenda, nulla creatura ab illo intellectu creato comprehensibilis esset. Quod est absurdum alienum ab omnium consensu. Secundo probatur à priori. Quia, vt cognoscibilitas tam respectiua, quam absoluta cuiuslibet rei exhauriatur, seu adequetur per cognitionem, prout ad rei comprehensionem requiritur, non opus est, quod illa, quæ ad rem pertinent per adequatam etiam respectu sui, atque adeo comprehensiuam cognitionem, tangantur; sed sufficit ea minus perfecta cognitione, quam comprehensiuam cognosci. Quæ utraque ratio etiam probat, cætera, quæ cognosci debent ex vi comprehensionis cuiusque rei, ne intuitiue quidem, aut per speciem propriam debere necessario cognosci; quandoquidem Angelus iuxta sententiam omnium res sibi inferiores comprehendit, atque adeo per cognitionem earum cognoscibilitati adequatam cognoscit; & tamen Deum, quem ex vi talis comprehensionis attingit, neque intuitiue, neque per speciem propriam attingit. Addiderim tamen, casu, quod cuncta ad rem, quæ comprehenditur, pertinentia comprehensione etiam tangantur, aut intuitiue, longè fore perfectiorem ipsius rei comprehensionem, quam si alio genere cognitionis minus perfecta tangerentur.*

99 *Quibus suppositis, arbitror id, quod communiter Doctores videntur supponere, etsi non ita expressè definiant; nempe, vt quæuis res simpliciter, & absolute comprehendatur, necessarium esse, & sufficere, quod illa, quæ ad ipsam pertinent, & ex vi comprehensionis eius sunt cognoscenda, distinctè, & in particulari, atque etiam euidenter, iudicatiueque cognoscantur, licet per species alienas: nam minus perfecta co-*

rum cognitio ad comprehensionem rei absolutam non videtur sufficere; sicut neque cum cognitione adequata cognoscibilitati comparatiua rei eorum poni. Cognitio autem magis perfecta, qualis sola est, quæ habetur per species proprias, necessaria non est, vt vidimus; tamen, quod magis ea perfecta fuerit, eo perfectior erit rei comprehensio, vt adnotauimus.

*Propositio 2. A comprehensione prædicta, præterquam quod rem comprehendendam cum omnibus, quæ ad illam pertinent, debet amplecti, sicuti proprium est, insuper debet esse cognitio eiusdem rei cognoscibilitatem adequans adeo, vt quàm est perfecta res ipsa in esse cognoscibilis, tam sit perfecta comprehensio in esse cognitionis; vel ita, vt per illam res cognoscatur, quàm perfecte natura sua potest cognosci, seu quàm perfecte est cognoscibilis proportionate ad suam naturam.*

*Hæc propositio, quidquid nonnulli restat, aperte est S. Thom. varijs in locis, præsertim 1. p. q. 12. art. 7. & q. 14. art. 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 55. & q. 8. de Veritate. Tenent eam Thomistæ communiter ad art. 7. citatum, vbi Caiet. Valen. Moli. & alij. Pro eadem referuntur Bonau. in 3. dist. 14. art. 1. q. 2. Ricard. art. 1. q. 4. Scot. q. 1. 5. Ad primum. Duran. q. 1. n. 10. Maior q. 15. Sotus q. 3. art. 1. Sequuntur illam Arrub. 1. p. disp. 23. cap. 4. Herice disp. 4. cap. 4. Moncaus disp. 2. cap. 7. Tanner. disp. 2. q. 6. dub. 4. n. 10. Ruiz tom. de Scien. disp. 6. sect. 2. & seq. Ariag. Proposit. Martinon. Amicus, Recupitus citati n. 90. & apud eos alij plures; qui tamen in modo illam explicandi non omnino sunt vniuersales. Consonat Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 26. sect. 1. dum tanquam prorsus indubitatum pronunciat, ad comprehensionem intellectualem necessarium esse, vt cognitio sit clara, euidentis, & certa, cum debita proportione ad obiectum cognitum.*

*Probatur primo propositio auctoritate Patrum, è quorum numero sit primus S. Thom. qui 1. p. q. 12. art. 7. citato in corp. ait, Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur; perfecta autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Vnde, si id, quod est cognoscibile per scientiam demonstratiuam, opinione teneatur ex aliqua ratione probabiliter concepta, non comprehenditur. Et ad 2. Ad secundum dicendum, quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur; sed quia non ita perfecte videtur, sicut visibilis est. Et q. illa 8. de Verit. art. 2. in corp. cum distinxisset S. Th. & eleganter explicasset duplicem modum comprehensionis secundum duplicem quantitatem, nimirum dimensionam, & virtuales, concludit, Et ideo impossibile est, quod aliquis intellectus creatus diuinam essentiam comprehendat; non quia partem aliquam eius ignoret; sed quia ad perfectum modum cognitionis ipsius peruenire non potest. Et ad 2. dicit, tunc rem aliquam comprehendit; quando ita est perfectus modus visionis ipsius videns, sicut est modus visibilitatis ipsius rei. Et 3. p. q. 10. art. 1. ad 2. ait, Anima Christi totam Dei essentiam videt; non tamen eam comprehendit, quia*

quæ non totaliter, id est, non ita perfectè, sicut est  
visibilis. Ex quibus planè liquet, secundum S. Th.  
de ratione comprehensionis intellectiua esse, non  
solum, quod cognoscatur per illam totum, quod  
est cognoscibile ex parte obiecti, sed etiam,  
quod cognoscatur adeo perfectè ex parte modi  
tendendi actus, ut quàm est perfectum obiectum  
in esse intelligibilis, tam sit perfectè comprehen-  
sio in esse cognitionis. In omni quippe compre-  
hensione quantitas rei comprehendens quantitati  
rei comprehensa adæquari debet, ut constat;  
quantitas autem cognitionis non solum penes  
quantitatem obiecti, sed penes perfectionem ipsius  
cognitionis, quæ suam habet quantitatem, pen-  
sanda est. Nam, ut bene ipse S. Th. 3. p. q. 10.  
cit. art. 2. ad 3. *Quantitas scientiæ non solum atten-  
ditur secundum numerum scibilium, sed etiam secun-  
dum claritatem cognitionis. Quæ quidem claritas  
perfectio cognitionis, seu scientiæ est.*

103 Eadem videtur fuisse mens August. tom.  
3. in quæstionibus de Trinit. & in lib. solil. cap. 31.  
verbis, quæ retulimus supra q. præced. Unde in  
definitione comprehensionis, quam ex eodem  
adduximus in hac q. sub initium, duplicem com-  
prehensionis perfectionem censendus est compre-  
hendisse; alteram extensiuam, ratione cuius nihil  
obiecti lateat videntem; alteram quasi intensi-  
uam, quæ obiecti fines circumscribit, hoc est,  
quæ res veluti ad finem usque, seu fundum pen-  
tus penetratur. *Tunc enim* (inquit S. Th. art. 7.  
cit. explicans Aug. phrasim) *fines alienius circum-  
spicitur, quando ad finem in modo cognoscendi illam  
rem peruenitur.*

103 In eadem sententiâ sunt reliqui Patres,  
quorum testimonia congestissimus q. præced. quo-  
ties dicunt, profunda Dei solum Spiritum san-  
ctum, & Filium, atque adeo Deum ipsum scruta-  
ri posse, & penetrare; tum exquisitè, plene, inte-  
grè, perfectè, in totum, & ut oportet cognosce-  
re; creaturam verò minime. Quibus non obscure  
significat, comprehensionem intellectiuam Dei  
ex suo peculiari modo tendendi in substantiam  
diuinam tantæ esse perfectionis, quanta in solâ  
cognitione increatâ eiusdem Dei, non item in  
cognitione creaturæ reperiri queat. Sentiant igitur  
vniuersè, comprehensionem penes perfectio-  
nem rei comprehensa taxare sibi perfectionem  
adeo, ut, quàm est perfectum obiectum in esse,  
cognoscibilis, tam perfectè debeat esse in esse co-  
gnitionis cognitio, per quam illud comprehendendi  
dicendum est. Quod confirmari potest speciali-  
ter ex verbis August. iam supra citatis dicentis  
lib. 12. de Ciuit. cap. 18. *Quidquid scientiâ com-  
prehenditur, scientis comprehensione finitur.* Ne-  
quit enim finiri omnino per scientiam id, quod  
est aliquo modo maius, quàm scientiâ; quale  
est, quod in esse cognoscibilis maiorem perfe-  
ctionem habet, quàm scientiâ in esse cognitio-  
nis.

104 Ratione etiam probatur, & declaratur pro-  
positio: Primò à priori; quia cognoscibilitas in-  
trinsèca entis naturam, & perfectionem eius con-  
sequitur, uti passiones consequuntur essentiam;  
atque ita, quò perfectius est ens, eò perfectiori  
cognoscibilitate intrinsèca, seu radicali gaudet,  
ratione cuius perfectiori sibi taxat proportio-  
natam cognitionem. Quemadmodum enim, quò  
perfectius est bonum, eò est magis amabile, id  
est, maiore, seu perfectiore amore dignum,  
maiorive, seu perfectiori amori proportionatum;  
ita, quò perfectius est verum, eò perfectiori co-

gnitioni proportionatum est, atque veluti di-  
gnum illâ. Ob id communi Theologorum opi-  
nionè obiectum spirituale nullatenus est cogno-  
scibile cognitione corporea: quia nullam cum  
illâ quoad perfectionem habet proportionem ea-  
rum, quæ inter obiectum, & cognitionem repe-  
ri debent. Quoniam autem comprehendens,  
& comprehensum ita inter se commensurari, at-  
que proportionari debent, ut quantitas vnius,  
quæcunque illa sit, alterius quantitati adæque-  
tur; (vbi in comprehensione corporali, à quâ ad  
intellectualem translaturum est nomen, cernere  
licet); ea vtrique sola cognitio obiecti compre-  
hensio erit, quæ toti eius cognoscibilitati, atque  
adeo integræ eius quantitati adæquata fuerit.  
Porro in obiecto, sive in eius intrinsèca cogno-  
scibilitate duplex quantitas spectari potest; altera  
veluti extensionis; altera quasi intensio-  
nis. Quantitatem extensionis conspiciunt partes obiecti in-  
trinsècæ; atque ea insuper extrinsèca, quæ aliquid  
obiecti esse, ad illudve pertinere dicuntur, & vbi  
eius sunt cognoscenda, ut comprehendi dicatur  
iuxta doctrinam prop. 1. Quantitas verò quasi in-  
tensionis est ipsa perfectio metaphysica, atque  
quiditatiua obiecti. Vtrique igitur quantitati de-  
bet commensurari, adæquari, atque proportio-  
nari cognitio, ut iure exacta obiecti compre-  
hensio dicatur. Adæquatur quantitati extensiuæ,  
quando nihil omnino obiecti intrinsècum, aut  
extrinsècum lateat, nihil non repræsentatur, ex-  
primiturque cognoscenti vi talis cognitionis.  
Intensiuæ verò quantitati tunc adæquari, sive  
proportionari dicitur, quando tam perfectè co-  
gnitio est in esse cognitionis, quàm est obiectum  
in esse obiecti, seu, quod idem est, quando perfe-  
ctio obiecti, & perfectio cognitionis non solum  
physica, & gradualis, sed etiam metaphysica, &  
essentialis ita inter se comparantur, ut merito tan-  
ta cognitio tanto obiecto censeri possit propor-  
tionata, atque adeo consentanea, & quodammo-  
do debita. Talis ergo debet esse cognitio, ut sit  
obiecti comprehensio.

Secundò probatur id ipsum. Quia nisi  
cognitio sit clara, euident, & certa, compre-  
hensio obiecti esse non potest, quantumuis  
nihil sit obiecti, quod non repræsentet, ut apud  
omnes est indubitatum, teste Soar. citato supra  
n. 100. Ergo de ratione comprehensionis intel-  
lectiua, non solum est tangere totum obiectum,  
& quidquid pertinet ad illud, sed etiam, quò  
cognitio, qua tangitur, aliquam perfectionem  
habeat ex modo tendendi. Quidni igitur, quò  
tanta sit perfectio huiusmodi, quantum exposcit  
cognoscibilitas obiecti, seu quanta opus est, ut  
cognitio obiecto censetur proportionata, seu  
adæquata quoad quantitatem perfectionis?

Tertio probatur propositio ab absurdo.  
Quia, si ad conceptum comprehensionis intel-  
lectiuae sufficeret, quò cognosceretur per illam  
omnia, quæ tum formaliter, tum eminenter con-  
tinentur in obiecto comprehendendo, uti præ-  
tendunt Aduersarij, sequeretur, aut esse Deum,  
reuerà comprehensibilem à creaturâ, aut saltem  
esse probabile, quòd talis sit, contra dogma  
fidei statutum q. præced. Nam, ut constabit ex  
dicendis disput. 20. aut verum est, aut saltem  
probabile, fieri posse de potentia absolutâ, quòd  
aliqua creatura cognoscat omnia, quæ formaliter,  
& eminenter continentur in Deo, qua ratione  
Aduersarij censent cognosci debere, ut sit com-  
prehensio Dei eorum cognitio.

Quar.

107 Quartò probatur propositio aliarum sententiarum refutatione, quam præmissimus, ampliusque argumentorum, quæ opponi solent, solutione præterea confirmabitur, ac declarabitur.

108 Primò enim contra illam opponit Vazquez. Comprehendere rem aliquam, nihil est aliud, quam totum, quod in eà est, ita cognitione completi, ut nihil illius lateat, sed integrè intra finem, ac veluti concavitatem, capacitatemve cognitionis contineatur; quemadmodum in comprehensione corporea, vnde translatio ad intellectualem facta est, corpus comprehensum intra superficiem concavam continentis integrè continetur. Sed finis, & capacitas cognitionis aliud non est ab eis representatione. Ergo, ut obiectum quantumvis perfectum per cognitionem, comprehendi dicatur, sat est, quod per illam integrè representetur, quidquid sit de perfectione representationis, seu cognitionis. Sicut, ut corpus à corpore comprehendatur, sat est, quod primum intra secundum integrè concludatur, quantumvis perfectæ materiæ sit alterum, alterumque imperfectæ, aut è contrà. Ad rationem igitur comprehensionis impertinens est, quod cognitio, & obiectum quoad perfectionem adæquentur, siue proportionentur.

109 Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, etiam probare, comprehensionem intellectualem in cognitione rei obscurâ, & incertâ, aut apprehensivâ simpliciter, vel etiam dubiâ integram rem representante posse consistere. Quod tamen contra existimationem omnium est, & contra rationem. Quis enim dicat, aut vquam dixit, se obiectum illud comprehendere, circa quod prorsus dubius hæret, nihil valens iudicare de illo; cum tamen per simplicem apprehensionem integrè totum illud sibi propositum, atque representatum habeat? Certè, si ad comprehendendum obiectum satis esset, totum illud, aut etiam quidquid ad illud pertinet, utcumque cognitione completi, vel naturaliter possemus homines etiam in hac vitâ mortali comprehendere Deum, ut effutiebant Anomæi: quia possumus cognitione confusa, & vniuersali vna cum Deo cætera cuncta cognoscibilia in vnum obiectiuum conceptum cogere; quin aliquid sit excogitabile, quod in illo non inuoluatur, & per huiusmodi cognitionem confuse non represententur. Nec deest hinc (si tam rigidè, ut vult Vazq. est obseruanda) analogiâ comprehensionis corporalis: quandoquidem, ut vnum corpus plura alia comprehendere dicatur, non est necesse, quod singula singillatim ambiat; sed satis est, quod cuncta simul coæternata mixtè, & confuse completatur. Ex quo patet, per argumentum factum, nihil probari.

110 Respondeo ergo ad illud secundò, comprehensionem intellectualem hoc à corporali differre, quod in corporali vnum dumtaxat genus quantitatis, videlicet extensivæ venit considerandum, in intellectualem verò duplex, extensivæ scilicet, & intensivæ. Ex quibus primum solum, genus considerant Vazquez, & sui. Fatendum itaque est, quantitati veluti extensivæ obiecti extensionem quoque representationis cognitionis correspondere; atque adeo tunc cognitionem, quoad istud genus quantitatis cum obiecto adæquari, quando nihil omnino est obiecti, quod non representetur per cognitionem. Huiusmodi tamen adæquatio ad absolutam obiecti compre-

hensionem sufficiens non est; nisi alia quoque intercedat inter perfectionem obiecti, & perfectionem cognitionis, quæ veluti intensiva eorum, quantitas est. Non enim censetur obiectum in esse cognoscibile cognitione penitus completi, & finiri, quantumvis per illam totum representetur, donec tam perfectè representatur, cognoscitur, ac penetratur, quam consentaneè ad perfectionem suæ naturæ representabilis, atque cognoscibilis est. Et quidem duplex dictum genus quantitatis debere spectari in obiecto, & in cognitione ad iudicandum, num illud per hæc comprehendatur, patet ex omnium sensu; qui, ut sit cognitio comprehensiva sui obiecti, non solum requirunt, quod totum integrè representet, sed etiam, quod cum certâ quadam perfectione tendat in illud, videlicet cum claritate, sententia, cum certitudine, iudicativè, &c. Itaque circa vtramque quantitatem prædictam debet inter cognitionem, & obiectum suo modo feruari analogiâ à comprehensione corporali deducta, ut obiectum per cognitionem comprehendatur; nimirum, ut cognitio, & obiectum æquè quoad quantitatem tam intensivam, quam extensivam commendentur, ac corpora commensurantur quoad solam extensivam.

Secundò obijcitur. Si de ratione, comprehensionis est, quod res comprehendenda cognoscatur ita perfectè, sicut cognoscibilis est, ut ait S. Th. 1. p. q. 14. art. 3. in corp. sequitur, nullam creaturam ab aliâ comprehendendi posse; quia nulla creatura potest aliam cognoscere tam perfectè, quàm est cognoscibilis à Deo. Respondeo, non esse de ratione comprehensionis, quod res cognoscatur tam perfectè, quàm est cognoscibilis absolute, sed, quàm est cognoscibilis consentaneè ad perfectionem propriæ naturæ, siue, quam iuxta talem perfectionem cognosci potest. Quod solum vult S. Th. verbis citatis, ut ex alijs eius locis supra commemoratis constat. Vnde patet, bene posse vnam creaturam comprehendere ab aliâ: quia potest ab aliâ cognosci, quàm perfectè cognosci potest proportionatè ad suam naturam.

Tertiò obijcitur. Omnis cognitio creatura est accidens, atque adeo minus perfectæ, quàm substantia. Ergo si tam perfectæ debet esse cognitio, quàm obiectum, ut hoc per illam comprehendere dicatur, saltem nulla substantia creata erit per cognitionem creatam comprehensibilis. Quod est absurdum contra omnes. Respondeo, me non dixisse comprehensionem debere esse cognitionem tam perfectam in esse entis, quàm obiectum, sed solum in esse cognitionis. Equiliter quippe, seu potius adæquatio requiritur inter comprehensionem, & obiectum non debet esse mathematica, qualis convenit extremis eiusdem generis, sed proportionalis, qualis inter extrema diversi generis reperiri solet: nimirum, ut tam perfectæ sit comprehensio in genere cognitionis, quàm est obiectum in genere obiecti, seu entis. Quod fieri potest, etsi comprehensio quoad perfectionem, quam habet in genere entis, longè inferioris notæ sit, quàm obiectum. Fieri enim potest, ut cognitio, quæ quoad perfectionem entitativam excedit ab obiecto in dimidio, quoad perfectionem cognitionis propriam, qualis est claritas, perspicacia, certitudo, &c. proportionaliter sit æqualis, siue adæquata obiecto, eo quod, si obiectum entitativè est perfectum ut quatuor, cognitio quoad claritatem, perspicacitatem, certitudinem, &c. perfectæ etiam sit, ut.



putatur ut quatuor; seu potius clara, perspicax, certa, &c. censetur ut quatuor; tamen in esse entis perfecta tantum censetur ut duo.

113 Ex dictis colligitur, cur Deus ab intellectu creato incomprehensibilis sit. Nimirum quia cognitio comprehensiva Dei, præterquam quod Deum ipsum, & vi eius, quicquid ad ipsum pertinet, debet attingere, infinita insuper simpliciter esse debet in esse cognitionis tali infinitudine, qua possit infinite cognoscibilitati Dei proportionari, & adæquari. Constat autem, talem infinitudinem nullatenus posse convenire cognitioni creatæ, sed solum reperiri in diuina; qua sola proinde Deus potest comprehendi à se ipso. Quoniam autem cognitio increata Dei idem realiter est cum diuina substantiâ, nequit non ea esse etiam infinita in genere entis. Quo fit, ut comprehensio Dei tam in esse entis, quam in esse cognitionis necessario cum suo obiecto adæquari debeat; non quidem, quod sit de ratione comprehensionis adæquatio in genere entis cum suo obiecto; sed, quod adæquatio cum Deo in genere cognitionis nulli cognitioni est possibilis; quæ non sit substantialiter idem cum Deo ipso; qualis est cognitio increata: quia nulla cognitio creata potest in genere cognitionis esse ita simpliciter infinita, uti opus est, ut in eo genere adæquetur cum obiecto increato.

114 Rogabit hic aliquis primò, utrum agens intellectuale tam perfectum saltem esse debeat in genere entis, quam obiectum cognoscendum, ut hoc ab illo comprehendere possit. Respondeo, comprehensione supernaturali bene posse agens intellectuale minus perfectum comprehendere obiectum magis perfectum: quia defectus perfectionis talis agentis per elevationem requisitam ad comprehensionem supernaturalem suppleri potest; ita, ut adæquatum principium talis comprehensionis æquè, aut magis perfectum, quam obiectum comprehendendum, euadat. Hoc à nemine, ut reor, negabitur. Difficultas est, si sit sermo de comprehensione ordinis naturalis. Herice, & Arriaga supra putant, æquè saltem perfectum debere esse agens intellectuale, ac obiectum comprehendendum, ut hoc possit naturaliter ab illo comprehendere. Id quod etiam sentit Soar. in loco de Angelis citato supra, & quotquot censent, Angelos tum se ipsos, tum alios inferiores se valere naturaliter comprehendere, non verò itidem superiores. Imò Arriaga in eo ponit proportionem cognitionis cum obiecto ad comprehensionem requisitam, quod cognitio procedat à principio adæquato æquè saltem perfecto, ac est obiectum.

115 Ego verò oppositum sentio cum alijs Doctoribus, qui opinantur, etiam Angelos superiores posse naturaliter ab inferioribus comprehendere. Quod sentit Vazq. ex hypothesi, quod vnus Angelus possit comprehendere alterum; nec reprobatur omnino Soar. Moueor; quia, cum cognitio comprehensiva longè imperfectior esse possit in esse entis obiecto comprehensio, ut constat ex dictis, non est, cur principium eius in esse entis æquè perfectum, ac obiectum, esse debeat, ut satis ex se notum est. Ut enim cognitio in esse entis minus perfecta, quam obiectum, ita potest esse illi proportionata in esse cognitionis, ut eius comprehensio sit, iuxta dicta; sic principium eius in esse entis minus perfectum, quam obiectum, ita potest esse illi in esse cognoscitui proportionatum, ut sit ipsius comprehensiuum.

116 Quam autem malè Arriaga ponat rationem comprehensionis in eo, quod principium cognitionis, & eius obiectum æqualem perfectionem habeant, inde probatur: quia sequeretur, quoties principium cognitionis, & eius obiectum æqualia in perfectione sunt, non posse non cognitionem esse comprehensiuam, quantumuis ea sit obscura, & confusa, aut etiam simpliciter tantum apprehensiuam, prout citra dubium esse potest. Quod est absurdum. Præterquam quod adæquatio ad comprehensionem requisita formaliter non principij, & obiecti, sed cognitionis, & obiecti est, ut satis est notum ex se, & ex dictis.

117 Secundo rogabit quispiam, an sit necesse, ut comprehendatur obiectum, quod eadem omnino cognitione, qua tangitur illud, tangantur etiam vi eius cætera, quæ ad illud pertinent, & debent tangi iuxta doctrinam statutam prop. 1. Afirmat Soar. supra, cæterique Doctores communiter id ipsum videntur supponere. Sed mihi non parum videtur probabile, posse per duas, aut plures cognitiones præstari id, quod præstari potest per vnã in ordine ad percipiendum, atque adeò etiam comprehendendum obiectum. Existimo enim, quando plura sunt cognoscenda, æquè clarè, certò, & perspicaciter, & vniuersim æquè perfecte posse illa per plures, atque per vnã cognitionem notificari; ita, quod perfectio aggregati cognitionum tendentium simul in plura obiecta æquivalenter saltem tanta esse possit, quanta potest esse perfectio vnus obiecta eadem complectentis. Vnde censeo, casu, quod obiectum cognoscatur per vnã cognitionem suæ intrinsecæ cognoscibilitati ex modo tendendi adæquatam, vi cuius determinetur intellectus ad cognoscendum per aliam cætera extrinsecam, quæ ad illud pertinent, fore, ut per has duas cognitiones non minus tale obiectum comprehendatur, quam, si per vnã id totum fieret. Hoc solum discriminis erit: quod si per vnã id præstetur; ea intrinsecè erit comprehensio obiecti: si verò per duas, cognitio obiecti alteram extrinsecorum inferens extrinsecè ab eius consortio euadet obiecti comprehensio.

118 Ex dictis ad extremum colligi potest, qualis debeat esse amor, qui comparatione obiecti, cuius est amor, comprehensiuus dici possit. Erit enim ille, qui adæquet amabilitatem obiecti; sicut cognitio comprehensiuus est, quæ obiecti cognoscibilitatem adæquat, uti explicuimus. De quo plura in tract. de Volunt. Videatur interim Ruiz tom. de Volunt. disp. 3. sec. 4.

## QUÆSTIO VII.

*Virum Deus non solum intellectu creato, sed oculis etiam corporeis videri possit.*

119 Deum oculis corporeis esse visibilem fingebant Gentiles, teste Athanasio in orat. contra idola, & Cypriano lib. de idolorum vanitate. Hæretici etiam Anthropomorphitæ, cum putarent, Deum esse corporeum, visibilem quoque oculis corporeis faciebant, apud Epiphani. hæres. 70. & Prateol. lib. 1. hæres. 50. Item Ariani quidam, in quibus Maximinus, Filium Dei, quem

T T T

quem esse verum Deum differebantur, oculis corporalibus videri posse, sicque de factio visum fuisse à Patribus veteris testamenti, asserunt; ut videre est in August. lib. 3. contra Maximinum cap. 26. & lib. 2. de Trinit. cap. 8. & epist. 111. 174. & 178. Athanas. in disp. cum Ario in Concil. Nicæno, & Greg. Nazianz. in tract. de fide non longè à fine; nisi potius hic tract. sit Gregorij Nyfeni, ut coniectat P. Valent. 1. p. q. 12. art. 1. punc. 8. Eundem errorem ante Arianos tenuerunt alij, quos refert, & refutat Iræneus lib. 4. cap. 37. Tenuit etiam Nouatus in lib. de Trinit. qui falso adscribitur Terrulliano, cum sit Nouati, teste Hieron. 2. contra Rufinum. Tenuit nouissimè Vorstius Calvinista pag. 237. Denique Celsus per calumniam attribuebat Catholicis, quod sperarent, se Deum oculis corporeis visuros, ut refert Origen. lib. 7. contra ipsum Celsum. Tandem (quod mirabilis est) S. Aug. hanc eandem questionem tractans, dubius de re videtur manere; imo in eam partem propendere, quæ affirmat, Deum oculis corporis videri posse, de factioque videndum esse à Beatis. In qua eadem dubitatione, & inquisitione adhuc remanere Aug. ep. 111. putauit Vazq. 1. p. disp. 40. cap. 1. Oppositum tamen contra Vazq. putat Arrub. disp. 18. cap. 1. nempe Aug. in ea epistola firmum iam in veritate docere, nequaquam oculis corporis posse videri Deum. Quod tradit etiam satis clare tom. 2. epist. 6. ad Italicam. Nec non epist. 112. & lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 2. cap. 8. & lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 27.

120

Est itaque certa sententia Catholicorum omnium, Deum oculis corporeis videri non posse. Pro qua stant imprimis sancti Patres Iræneus, Athanas. Naz. Orig. Hiero. Amb. & alij citati à Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 1. ab alijsque mox referendis. Deinde Scholastici cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 3. Caiet. Bann. Zumel. Mol. Valen. & Fasol. Tum Vazq. & Arrub. supra. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 6. Gran. tract. 3. disp. 1. Herig. disp. 43. Trigos. 1. p. q. 7. art. 1. dub. 8. Becan. cap. 8. q. 6. Smising. tom. 1. tract. 2. disp. 6. q. 3. Alarc. tract. 1. disp. 1. cap. 3. Tan. disp. 2. q. 6. dub. 1. Mærac. tom. 1. tract. 2. disp. 10. Martin. 1. p. disp. 7. sec. 1. Amicus disp. 9. sec. 3. Recapit. lib. 6. q. 10. & alij communiter.

## Propositio 1.

121

Deus oculis corporeis naturaliter videri non potest.

Hæc propositio certa secundum fidem est, ut sentiunt communiter Theologi, Continetur enim ex communi Patrum, aliorumque expositorum consensu in illis Scripturæ locis, quibus Deus inuisibilis prædicatur; quæ ut minimum de visione naturali oculorum veniunt intelligenda. 1. ad Tim. 1. *Rex immortalis, & inuisibilis.* & cap. 6. *Quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest.* 1. ad Corint. 2. *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* In quibus Deus ipse à Beatis possidendus potissimum censendus est. Ea etiam, quæ de Deo ex creaturis in hac vitâ cognoscere possumus, inuisibilem dicuntur ad Rom. 1. Denique Ioan. cap. 1. & in sua 1. epist. cap. etiam 1. dicit, *Deum nemo vidit unquam.* Fundatur insuper eadem veritas in alio fidei dogmate, quo docemur, Deum esse incor-

porcum; de quo egimus supra disp. 11. q. 2. Quia in idem recidit, esse Deum incorporeum, & oculis naturaliter videri non posse; quandoquidem manifestissimum est, nihil, quod non sit corporeum, naturaliter videri posse. Id quod significat se videtur Moyse Deut. 4. dicens ad Populum. *Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.* Sic etiam dixit Paulus ad Heb. 11. de Moyse. *Inuisibilem tanquam videns sustinuit.* Et ad Colos. 3. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Deinde probari potest propositio auctoritate Patrum, quos n. præced. commemorauimus. Qui dum negant, Deum posse videri corporeis oculis, ut minimum de visione naturali loquuntur. Pro eadem steterunt Sapientes ethnici, Trismegistus in Pimandro cap. 7. Antisthenes apud Theod. lib. 1. contra Græcos, Numenius apud Euseb. lib. 11. de Præparat. cap. 15. & Proclus lib. defensionis fabulosa: theologiæ cap. 21. Ratio autem euidens propositionis est. Quia obiectum naturale oculorum dumtaxat est color, & lux, ut experientiâ compertum est. Nullum ergo aliud obiectum, nedum substantia Dei, potest naturaliter ab eis videri.

## Propositio 2.

Neque supernaturaliter fieri vllâ ratione potest, ut Deus oculis corporalibus videatur.

Hanc etiam propositionem sentent Valen. & Arrub. esse de fide, Soar. autem proximè ad fidem accedere, Vazq. etsi expressè non sit definita, adeo tamen efficaciter demonstrari, ut oppositum sit manifestus error. Tameñ Ripalda in manuscriptis de Visione temeritatis dumtaxat censet oppositum dampnandum: quod etiam cõfset Recapit. lib. 6. de Deo q. 10. n. 6. Probat autem primò eisdem testimonijs Scripturæ, & Patrum, quibus præcedens. Dum enim in eis absolute, & sine limitatione negatur, Deum oculis corporeis videri posse, non est, cur illa limitentur ad solam visionem naturalem. Specialem tamen vim videtur facere Paulus, cum Deum eodem tenore verborum, & consequenter eodem sensu appellat *immortalem*, atque *inuisibilem*: quasi non minùs repugnet, oculis videri Deum, quàm mori; vti ad hunc locum Aug. epist. 111. notauit.

Multi ex commemoratis Auctoribus existimant, ratione etiam naturali demonstrari propositionem. Sed ego in nullo reperio illam demonstratam; nec puto, posse eam demonstrari euidenter; tameñ satis probabiliter probari possit. Ratio communis, qua vtuntur omnes ad eam probandam, seu demonstrandam ad hunc demum syllogismum reducitur; tameñ à varijs variè exponatur, & explicetur. Nullâ potentia ferri potest adhuc diuinitus extra suum obiectum adæquatum. Sed Deus est extra obiectum adæquatum visus corporei. Ergo Deus ne diuinitus quidem potest videri visu corporeo. Maior bifariam potest, & solet accipi: nempe de obiecto a quo solùm naturali; aut de obiecto adæquato includente etiam supernaturali, seu quod diuinitus à potentia potest attingi. Si sumatur hoc posteriori modo, euidens est: cum sit idem esse extra obiectum adæquatum in hoc sensu, & non posse neque diuinitus per potentiam attingi; sed restat difficultas superanda in minori: quia

quia nondum constat euidenter, esse Deum extra obiectum adæquatum etiam supernaturale visus corporei. Si autem maior accipiatur priori modo, minor quidem euidenter est; cum constet, obiectum adæquatum naturale visus corporei corporeum etiam esse; qualis Deus non est: sed remanet maior ipsa difficilis: quia ex eo, quod aliquid nullo modo à potentia naturaliter operante possit attingi, non sit euidenter, nec posse illud ab illà rangi supernaturaliter eleuari.

125 Dicunt aliqui, quoties potentia cognoscitiua aliquo saltem modo imperfecto non fertur naturaliter in aliquod obiectum, argumento esse, ita tale obiectum à tali potentia esse alienum, vt ne supernaturaliter quidem ad illud perfecte attingendum eleuari possit. Ob id enim à contrario censetur intellectus creatus ad Deum intuitiue videndum posse eleuari: quia naturaliter aliquo modo potest Deum ipsum cognoscere. Constat autem, visum corporeum ne imperfecte quidem posse aliquo actu naturali versari circa Deum. Benè. Sed totum hoc merè est coniecturale, si lumen fidei prorsus secludas, vt dicebam q. 1. n. 16. & seqq. Addit Herice supra n. 31. euidenter esse potentias ita cum suis obiectis proportionari, vt quò potentia est minus perfecta, eò minus potestatem habeat sphaeram obiectorum. Vnde infert, potentiam materialem, quæ longè imperfectior est intellectu, ad Deum obiectum nobilissimum ne eleuatam quidem posse pertinere. Possit enim consequenter ad cætera ignobiliora. Quo heret, vt sphaera obiectorum eius tam late, quam sphaera obiectorum intellectus, extenderetur contra suppositum principium. Cæterum principium, quod assumit Herice, vt summum est euidenter experimentaliter euidentia, loquendo de obiectis naturalibus: nam de his solum nouimus experientia, habere magis contractam sphaeram relatè ad potentiam imperfectiorem. Loquendo tamen absolute, non est, cur necessario potentia minus perfecta sit prorsus inepta ad attingenda tot obiecta, quot potest attingere magis perfecta; sat erit, quod attingat eadem minus perfecte. Deinde ego non video huius consequentiæ euidentiam. Potentia potest Deum attingere. Ergo & cætera cuncta obiecta ignobiliora Deo. Visus enim attingit lucem, & nequit attingere infinita alia accidentia ignobiliora luce. Quamquam ergo diceretur visus corporeus posse supernaturaliter attingere Deum; non continuo sequeretur dicendum, tam late patere sphaeram obiectorum visus corporei, quam sphaeram intellectus, vt argumentatur Herice.

126 Dicunt præterea alij, ex prædicato corporei, & materialis omnino repugnare visui, videre Deum: quia visio spiritualis neque in potentia materiali recipi, neque ei vt proprius actus conuenire vilo pacto potest. Per visionem verò quia obiectum spirituale à potentia materiali non est cognoscibile; necdum per actum materialem; tum quia obiectum indiuisibile, quale est spiritus; per actum extensum, & diuisibile, qualis est materialis, nequit representari, saltem vt est in se: appareret enim extensum, & diuisibile, cum sit in se indiuisibile, & inextensum. Verùm neque hæc excedunt probabilitatem: quia non est improbabile, actum spirituales posse diuinitus afficere potentiam materialem, & in eà recipi: nec est improbabile, à potentia mate-

riali, & per actum corporeum obiectum spirituale diuinitus attingi posse; imò &, vt in se est, cognosci, sue representari. Neque est, cur obiectum spirituale, & indiuisibile per actum materialem, & diuisibile nequeat saltem diuinitus, vt est in se, representari, ita, vt indiuisibile appareat; quandoquidem vice versà obiectum materiale, & extensum per actum spirituales, & inextensum, vt est in se, representatur, & diuisibile apparet.

127 Quæ cum ita sint, conficitur, propositionem nostram, stando in principijs naturæ, eà potissimum ratione venire probandam probabiliter, qua similes controuersias communiter definire solemus, in hunc modum. Oculi corporei nullam virtutem vel initialem, seu inchoatam, habent ad videndum Deum. Ergo nec diuinitus possunt ad id eleuari. Consequentia est certa: quia prorsus repugnat, oculos Deum videre, sine vllà potentia inchoatà, aut obedienti ad illum videndum. Antecedens autem probatur. Quia, cum nullum vel minimum indicium sit ad tribuendam oculis talem virtutem, aut potentiam, absolute est eis deneganda. Quæ sanè probatio probabilis dumtaxat est, vt suo loco ostendo; tamen hic eò sit vrgentior, quò remotiores videntur oculi secundum ea, quæ de eis noscimus, ad tam sublimem actum. Atque in hunc sensum accipio rationem, quam ad probandam propositionem tradunt communiter Doctores, vt eam accipit Valen. supra pun. 8. Qui, cum dixisset, implicare contradictionem, quod visus, & aliæ potentie sensitivæ Deum attingant, supposito, quod non habeant pro obiecto nisi rem corpoream; consequenter, & benè, meo quidem iudice, subiunxit, non satis constare, an implicet contradictionem potentia aliqua sensitiva corporea valens saltem diuinitus percipere obiectum spirituale; atque adeo ipsum Deum. Maximè, cum Aug. lib. 25. de Ciuit. cap. 29. & epist. 111. subdubitauerit, an ab oculo saltem glorificato possit Deus videri. Quamuis Soar. & cum eo Herice, & alij inutile, & chymericum censeant, talem potentiam sensitivam possibilem excogitare. Eamque impossibilem esse, ostendere conatur Recupit. lib. 6. q. 12. Probatio tamen, quam adducit, longè à demonstratione videtur abesse: sat fuerit, eam esse probabilem, vt patebit consideranti. Præsertim cum oppositum probabiliter defendant alij. E quibus est Arriag. disp. 5. de Anim. sect. 2. & 1. p. disp. 6. sect. 1.

128 Tam, quæ contra statutam propositionem opponi solent diluamus. Primò, opponitur illud Iob. 19. *In carne meâ videbo Deum. &c. Et oculi mei conspiciuri sunt.* Respondeo tamen, hæc verba vel intelligi de visione intellectuali oculis mentis concepta, qualiter intellectus in Scripturâ appellari solet, iuxta illud ad Ephes. 1. *Det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri.* Quo sensu ea intellexerunt Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 29. & S. Th. 1. p. q. 12. art. 3. ad 1. Et sensus est, in carne meâ post resurrectionem oculis mentis videbo Deum, Vel si de oculis corporeis loquitur Iob, vt alij Interpretes exponunt, Deum accipit pro Verbo incarnato, cuius humanitatem visurum se post resurrectionem sperat. Quò respectu videtur Ecclesia, dum ad verba Iob addit illa, *Saluatorem meum*, quæ non habentur in Vulgatâ.

129 Secundò opponitur illud etiam Job cap. 42. *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.* Quod tamen bifariam etiam solet exponi. Primò de providentià; vt sensus sit. Multa audieram de tuà providentià Deus; sed iam, recuperatis bonis, quæ amisseram, ita illam experior, vt quasi oculis video. Secundò de cognitione Dei acquisitâ à Job per ærumnas. Et sensus est. Cognitio, quam de te habebam, ab eà, quàm per labores comparavi, tantum differt, quantum à visu differt auditus, Consulto D. Greg. & S. Th. ad eum locum.

130 Tertiò obijcitur. Potentia visiva, sicut & alia quævis creatura, ratione potentia obedientialis, qua subdita est Deo, elevari potest ad producendum, & recipiendum quemvis effectum, quantumvis supernaturalem, & superiorem ipsâ. Ergo & ad producendam, & recipiendam visionem Dei; atque adeò etiam ad Deum videndum per visionem in se receptam. Respondeo primò, falsam esse apud plures, & apud me sententiam illam, quæ in qualibet creaturâ agnoscit virtutem obedientialem ad producendum, aut etiam recipiendum quemvis effectum. De quo suo loco. Vnde nego, potentiam visivam posse elevari ad producendam, ac recipiendam visionem Dei. Sed hoc admissio iuxta eam sententiam, respondeo secundò negando, inde sequi, posse potentiam visivam elevari ad videndum Deum. Quia videre plus dicit, quàm producere, & recipere utrunque visionem; nempe producere, recipere, ac sibi unire visionem vitali quodam modo vt potentiam vitalem exercendam circa obiectum per visionem, tanquam per actum proprium. Certum est enim visionem Dei receptam in lapide, & ab eo vt Dei instrumento productam non eo ipso reddi turam lapidem videntem Deum. Quia aliud est potentia obedientialis ad efficiendam, & recipiendam emortuo quodam modo visionem; aliud potentia obedientialis ad vitaliter per visionem percipiendum obiectum; quæ quidem suapte naturâ non cuius subiecto, aut principio sui representat illud, sed ei dumtaxat, cuius actus vitalis est. Igitur, admissa iuxta sententiam illam probabilem priori virtute inchoatâ, seu obedientiali in potentia visivâ, omninò neganda est posterior. Respondeo tertio, in meâ sententiâ, qui existimo, omnem cognitionem ex suo conceptu esse actum potentia cognoscentis ei sine interiecta unione per se ipsum instar cuiusdam modi affixum, etiam admittatur sententia illa de virtute obedientiali cuiuslibet entis ad causandum quodlibet, adhuc negandam esse potentia visivæ potentiam obedientialem ad causandam visionem Dei, quæ sit visio etiam ipsius potentia visivæ tanquam subiecti; quia talis visio ex suo conceptu prorsus est chymarica, & impossibilis eo ipso, quod potentia visiva ne obedientialem quidem potentiam ad Deum videndum habet.

131 Denique potest obijci. Claritas corporum beatorum est supernaturalis, atque adeò non visibilis naturaliter corporeis oculis; à quibus tamen citra dubium, dum simus in Patria, videnda est. Igitur oculi ad videndum aliquid elevari possunt, quod naturaliter videre nequeunt. Quidni igitur poterunt etiam ad Deum videndum elevari? Respondeo primò, multos putare claritatem beatorum corporum non fore supernaturalem quoad substantiam, atque ita per visionem naturalem videndam fore. Quo cessat obiectio,

Videatur Soar. tom. 2. in 3. p. disp. 48. sec. 2. Respondeo secundò, admissâ supernaturalitate dicte claritatis, & indigentia elevationis oculorum ad eam videndam, non inde inferri posse quoque oculos elevari ad videndum Deum: quia ad hanc elevationem, ne minimum quidem inditium est, habere eos potentiam obedientialem; quam tamen ad illam habere, ex multis constat. Primò; quia constat, eos de factò visuros esse eam claritatem. Secundò; quia illam naturaliter fortasse videre poterunt saltem actu obscuro, & confuso non discernente eam à luce naturali, vt docet Ripalda, disp. 44. de ente supern. sec. 10. Tertio; quia color, ad quem videndum illa iuvabit, naturalis erit, & naturaliter visibilis. Quæ omnia argumento sunt, habere oculos potentiam inchoatam, qua ad perfectissimam visionem talis claritatis possint euehi, si huiusmodi visio in illis naturalis esse non potest. De quo plura Ripal. loco citato.

### QVAESTIO VIII.

*Verum intellectus creatus propria, & naturali virtute possit videre Deum.*

SUPposito, quod intellectus creatus intuitivè potest videre Deum, vt statimus q. 1. querimus nunc, an per solas vires naturales id possit: vel per supernaturales potius ei accrescentes ex speciali auxilio Dei. Philosophi quidam & latonici dixerunt, Deum per vires naturales intellectus humani cognosci posse, vt est in se, vt referunt Nazian. orat. 4. & Nizet. Peius errarunt Anomæi, sic vocati, quasi sine æqualitate, quod negarent æqualitatem Filij cum Patre. Quorum capita fuerunt Aetius, & Eunomius, vt refert noster Gualterus in Chronol. sæculo 4. column. 300. Dicebant enim, posse hominem etiam in hac vitâ comprehensivè videre Deum. Contra, quos, vt supra q. 1. meminimus, late differunt S. Ioan. Chryost. in homilijs de incomprehensibili Dei naturâ, & alij Patres. Deinde Bernardi homines natione Germani, professione monachi, dicti etiam Fratricelli, seu Fratres de paupe vitâ, vel Bisochi; & Beguina femina nationis etiam Germaniæ in societate viuentes, sed nullo expresso voto obstrictæ inter alios errores, quos habuerunt, & referuntur in Clementinâ *Ad nostrum* de hæreticis, dicebant, *Quod qualibet intellectus naturalis natura in se ipsâ naturaliter est beatus; quodque anima non indiget lumine gloria ipsam elevante ad videndum Deum, & eo beate fruendum.* Verba sunt ipsius Clementinæ. Putabant itaque, intellectum creatum proprijs, & naturalibus viribus posse videre Deum clarè, sicuti est.

Huic errori videtur suffragari Duran. in 4. dist. 49. q. 2. n. 24. dum ait, intellectum de se aptum esse ad videndum Deum clarè, remotis impedimentis, absque vllâ additâ supernaturali virtute. Quocirca Valen. 1. p. q. 12. art. 4. pun. 3. Banno. art. 5. dub. 3. Zumel q. 2. Vazq. disp. 41. cap. 2. & alij sententiam eius erroris notant; tamen eam benignè interpretentur Moli. ibidem disp. 1. Fasol. in comm. art. n. 3. & Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 8. n. 3. Videatur Herice disp. 44. cap. 2. vbi late examinans mentem Durandi iudicat, eum reverè errasse in fide. Huc etiam aduocari solet scot. quod

quod dixerit in 2. dist. 3. q. 9. post Angelum per virtutem naturalem quidditatiue cognoscere essentiam Dei, prout est in se. Sed mens Scoti aliena est à prædicto errore, vt notat Soar. loco citato: quia expressè fatetur, visionem intuitiuam Dei supernaturalem esse: eam verò, quam ipse addit, esse abstractiuam. De cuius sententiâ nos supra q. 3. satis diximus.

Propositio vnica.

134 Intellectus creatus proprijs naturæ viribus nequit videre Deum intuitiue, sicuti est in se.

Propositio est de fide definita à Clem. 5. in Concilio Viensensi, vt habetur in Clementinâ Ad nostrum citatâ. Et contenta in sacra Scriptura illis in locis, vbi de visione beatificâ tanquam de dono gratuito vltra naturæ debitum, ac supernaturali premio agit. Psal. 85. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Gratia autem Dei vita æterna. Ioan. 4. *Qui diligit me, manifestabo ei meipsum: vtique in premium proportionatum supernaturalis dilectionis.* Isaiæ 64. *Oculus non vidit Deus absque se*, (id est, absque tuo supernaturali iuuamine), *que præparasti expectantibus te.* Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & etui voluerit Filius reuelare:* puta, non solum reuelatione fidei, sed claræ visionis. Faciunt etiam ad rem loca Scripturæ commemorata q. 7. quæ, dum absolute pronunciant, Deum esse inuisibilem, neminemque eum aut vidisse, aut posse videre, non solum visionem corpoream, sed intellectualem etiam naturæ viribus acquisitam videntur excludere. Consentiant Patres, & alij Interpretes ad loca Scripturæ commemorata. Quorum plures referunt Soar. supra Vazq. disp. 41. Gran. trac. 4. disp. 2. & alij Scholastici. Qui vnanimi consensu propositionem datam tanquam fidei dogma defedunt cum Magistro in 4. dist. 49. & S. Th. 1. p. q. 12. art. 4. Eamque tam de intellectu Angelico, quam de humano, docent, intelligendam.

135 Ratione etiam Theologica eadem veritas probari potest. Quia certum est secundum fidem contra Pelagium, fidem, spem, charitatem, ceterosque habitus, & virtutes, quibus tanquam necessarijs medijs visio beatifica obtinetur, dona esse supernaturalia supra omnes vires, supra omneque naturæ debitum gratis collata à Deo. Ergo multò potiori iure erit etiam huiusmodi visio ipsa, quæ aliorum donorum finis est. Vnde, vt notat Soar. supra n. 2. et si Pelagius expressè non dixerit, post intellectum creatum solis naturæ viribus videre clarè Deum; tamen, si consequenter processit, in hunc errorem simul cum alijs, non potuit non etiam impingere.

136 Ratio denique naturalis propositionis est. Quia vires naturales intellectus creati debiliores esse videntur, quam, vt sine speciali, indebitoque Dei auxilio ad actum tam sublimem possint pertingere, quam est visio intuitiua Dei.

137 Ex quibus concluditur, certum secundum fidem esse, visionem beatificam supernaturalem esse aliqua ratione. Quæ verò rationalis sit, an quoad substantiam, an quoad modum, &c. infra disp. seq. latè tractandum est. Vbi etiam examinandum veniet, num sit pos-

sibilis intellectus creatus, cui visio beatificæ connaturalis sit. Et alia ad rem plura.

QUESTIO IX.

*Virum in hac vitâ mortali posse homo videre Deum, sicuti est. Aut etiam aliquando de facto viderit.*

Propositio 1.

De potentiâ Dei absolutâ benè potest homo mortalis degens in corpore passibili intuitiue videre Deum. 138

Hanc propositionem tenent omnes Theologi, eamque certissimam vocat Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. n. 2 & Salas 1. 2. trac. 2. disp. 10. sec. 3. n. 22. dicit, ferè esse certam de fide. Primò; quia Christus Dominus viuens in carne mortali, & passibili continuò vidit clarè Deum, vt est apud Catholicos indubitatum. De quo in trac. de Incarnat. Secundò; quia animæ Beatorum, resumptis corporibus post diem iudicij, non obstante vnione cum ipsis, visuræ sunt Deum in æternum, sicuti est in se, vt fide sanctum est. Tertiò; quia alligatio animæ ad corpus mortale, & possibile, & quæ inde oriunda excogitari possunt impedimenta potentiæ absolutæ Dei ob stare non possunt, quominus communique homini, si velit, visionem claram sui; vt discurranti per singula conspicuum fiet. De quibus particulatim agit Fasol. 1. p. q. 12. art. 11. dubit. 1.

Dices. Visio Dei constituit hominem beatum: sed beatitudo nequit compati cum ærumnis corporis passibilis. Ergo neque cum his potest componi visio Dei. Admissâ modò absolute maiori, distingo minorem. Beatitudo substantialis nequit cum ærumnis corporis passibilis compati naturaliter; transceat. Supernaturaliter; nego. De quibus omnibus plura suo loco dicenda sunt. 139

Propositio 2.

De potentiâ Dei ordinariâ, & secundum communem ordinem naturæ, & gratiæ nemo in præsentî vitâ potest intuitiue videre Deum. 140

Hæc propositio certa secundum fidem est, vt docent Soar. supra n. 3. Salas n. 24. & sec. 2. n. 16. Fasol. dubit. 2. Valen. pun. 7. Mol. disp. 1. Heric. in comm. art. 11. post disp. 52. Gran. trac. 7. disp. 1. n. 1. Recupit. lib. 6. q. 13. n. 4. & apud eos alij. Sumitur autem ex illo Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Ex illo Ioan. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Ex illoque 1. ad Tim. 3. *Quem nemo hominum vidit; sed nec videre potest.* Hæc enim loca non solum negant, esse homini possibilem, naturæ viribus spectatis, visionem Dei; sed etiam esse ei possibilem in hac vitâ iuxta communem ordinem gratiæ, & legem ordinariam Dei, vt multi Patres exponunt; qui apud præcitos Doctores videri possunt; eorum præsertim, qui contra Anomæos, vt utrumque asserentes possibile, disputarunt; de quibus mentionem fecimus q. 1. & 8. Facit etiam definitio Concilij Vie-

Vienensis in Clementinâ *Ad nostrum* de hæreticis contra Beguardos, & Beguinâs dicentes, non solum proprijs viribus, sed etiam in hac vitâ lege communi posse ab hominibus Deum videri, vt constat ex dictâ Clementinâ.

141

Ratio autem, cur Deus ordinariâ lege statuerit, viatoribus non concedere visionem intuitiuam sui, est. Primò; quia tempus huius vitæ est tempus merendi, & pugnandi, non fruendi premio, quod maximè in visione consistit. Quo circa aiebat Paulus 2. Corinth. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Et 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem*. Et Ioan. in sua epist. 1. cap. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est*. Quasi dicat, non esse hoc in hac vitâ expectandum, sed in futurâ. Secundò; quia valde alienum est à naturâ, & sublimitate visionis coniungi in puro homine cum carne mortali, & passibili, cum eiusque functionibus, & modo operandi; neque id consentaneè ad naturas rerum, quarum exigentis ordinariè se Deus accommodat, fieri potest.

142

Iam quoad secundum, quod quaerebamus in præfixo questionis titulo, an scilicet Deus per exceptionem dictæ legis communis alicui hominum aliquando visionem sui intuitiuam in hac vitâ communicauerit; imprimis tanquam dogma certum, fideique proximum supponitur ex tract. de Incarn. Christum Dominum semper à primò instanti suæ conceptionis vidisse Deum intuitiuè; atque ita, dum exiit in hac vitâ mortali, viatorem, & simul comprehensorem fuisse. Deinde S. V. M. aliquando intra statum viæ vidisse Deum intuitiuè, Theologorum, qui rem atigerunt concors sententia est, vt videbimus proposit. 5. Potissimâ difficultas versatur circa Moysen, & Paulum. Quia de his præcipuè est ratio dubitandi, & inter Theologos controuersia. In qua primâ sententia est, Moysen, & Paulum in hac vitâ aliquando vidisse Deum intuitiuè, sicuti est in se. Sic tenent S. August. lib. 12. de Genes. ad litt. cap. 27. & 28. & epist. 112. cap. 12. Tum in dialogo Orosij q. 63. & Serm. 46. ad fratres in Eremo. & S. Th. 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. & 1. 2. q. 174. art. 4. in corp. & q. 175. art. 3. & 3. p. q. 7. art. 8. ad 1. saepeque alibi. Tenent insuper hanc sententiam plurimi ex antiquioribus Theologis, & sacræ Scripturæ Interpretibus, quos ad 50. & amplius recenset Fasol. 1. p. q. 12. art. 11. dubi. 3. & seqq. Qui ex modernioribus optimè, atque eruditissimè illustrat, atque defendit sententiam istam, referens insuper pro illâ nonnullos alios Patres. Ex quibus, qui expressè loquuntur, sunt de Moysè quidem S. Basil. homil. 1. in Exame, parum à principio. De Paulo autem S. Ansel. in illud 2. Corinth. 12. *Raptus est in paradysum*. Pro oppositâ tamen stant cum multis ex præcis Theologis, Expositoribus, & Patribus fere reliqui Recentiores Mol. 1. p. q. 12. art. 11. disp. 2. Vazq. disp. 55. & 56. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 10. sec. 4. Becan. cap. 9. de visione q. 7. Gran. tract. 7. disp. 1. n. 9. Trigos. 1. p. q. 7. art. 3. dub. 1. Salmer. tom. 1. tract. 31. verit. 7. Tolet. annotat. 54. in cap. 1. Ioan. Maldon. ibi vers. 18. Cornel. Exod. 33. & Num. 12. & 2. Corinth. 12. vbi etiam Iustinian. Recapit. lib. 6. q. 14. cap. 3. & 5. Amicus 1. p. disp. 9. sec. 25. Arriag. disp. 6. sec. 5. & alij ab his, & à Fasolo relati.

## Propositio 3.

Tamet si sententia affirmans, Moysen, 143 & Paulum in hac vitâ vidisse Deum intuitiuè, valde probabilis sit ob magnam præsertim Patrum, qui eam sequuntur, auctoritatem; opposita nihilominus, pensatis omnibus, probabilior mihi videtur.

Primò propter testimonia Scripturæ, quæ omnibus hominibus vniuersè negant visionem Dei in hac vitâ. Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*. Vigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Ioan. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo: hic vidit Patrem*, nempe Christus Dominus. 1. ad Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest*: Certè, si Paulus in raptu Deum intuitiuè vidisset non adeò absolute, & vniuersaliter hæc verba protulisset. Quo circa declarans illud Euaristus Papa in epist. 1. quæ habetur tom. 1. Concl. ait. *Lucem, quam Deus inhabitat, nullus nostrum in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri*. Ibidemque tanquam certum videtur supponere, Moysen in hac vitâ mortali Deum intuitiuè non vidisse; tametsi eius intentionis non sit id definire.

Secundò; quia in hac sententiâ multi, 144 & grauissimi sunt Patres. Euaristus Papa modò relatus. S. Dionys. cap. 4. de celesti Hierarch. & in epist. 1. ad Caium. Irenæus lib. 4. cap. 37. Nazian. orat. 34. Greg. Mag. lib. 18. moral. cap. 28. Orig. lib. 1. Periarch. cap. 4. & homil. 1. in Iaiam. Leo Mag. Serm. de Transfig. Bernard. Serm. 34. in cant. & serm. 2. in ramis palmarum. Tertull. contra Praxeam cap. 14. Hieron. Dialog. contra Pelag. sine, & in cap. 6. Isaie. Kidor. lib. 1. de Summo bono cap. 7. Athan. q. 12. ad Antioch. & alij apud præcitatos Doctores.

Tertiò; quia loca Scripturæ, in quibus sententia opposita nititur, commodat, imò & probabilior pro nostrâ patiuntur interpretationem. Quod attinet enim ad Moysen, potissimum locus, qui afferitur, est ille Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei; vel per somnium loquar ad illum*. At non sic seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus: ore domini ad os loquar ei, & palam, & non per enigmata, & figurâs Deum videt. At hæc verba vt summum des-notant quamdam maiorem familiaritatem Dei cum Moysè, quam cum alijs Prophetis, & maior rem excellentiam visionum, & apparitionum Dei, quas Moyses præ ceteris habuit. Hic enim Deus, de ordinario modo loquendi cum Moysè agit; & tamen credibile non est, Moysen frequenter, nedum ordinariè, vidisse Deum intuitiuè. Tum eundem fere sensum præ se ferunt illa verba Exod. 33. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui domo ad amicum suum*. Quæ tamen communiter intelliguntur de facie visibili, in qua Dominus apparebat. Sicut Genes. 32. dixit Iacob. *Vidi Dominum facie ad faciem, & saluata est anima mea*. Vnde cum statim in eodem cap. dixisset ad Deum Moyses, *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te ostende mihi gloriam tuam*: petens nimirum, vt multi probabilissimè interpretantur, visionem clarâ diuinæ essentia: (estò alij aliter interpretentur). Respondit Deus, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*. Et rursum, *Videbis posteriora mea; faciem autem*

autem meam videre non poteris. Quibus satis significari videtur, visionem claram diuinæ essentiae non solum non concessam, sed expressè negatam fuisse Moysi eam à Deo postulanti. Quod autem eam verbis prædictis postulauerit, inde profectò suaderi videtur: quia Moyses non est putandus petiisse visionem alicuius figuræ, aut gloriæ corporalis, quam satis familiarem habebat loquens cum Deo facie ad faciem, sicut amicus ad amicum, vt verba antecedentia textus pronunciant. Igitur petiuit visionem intuitiuam essentiae diuinæ cupiens vel obiter prægustare in hac vitâ sublimitatem gloriæ, quam ea secum fert; & hæc visio est, quam Deus illi tanquam interdicitam mortalibus denegauit. Vide alias ex positione horum locorum apud relatores Auctores, præsertim apud Vasquez supra.

146 **Iam verò, quod attinet ad Paulum solum habemus ex Scripturâ, Quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.** 2. Corin. 12. Hinc tamen solum cogimur concedere, per extasim quamdam, & mentis excessum fuisse raptum Paulum, vt ei altissima, atque cælestia secreta reuelarentur. Quod eorum citra claram Dei visionem potuisse fieri, non est dubitabile. Quin imo ita factum esse, ex ipso Pauli testimonio probari potest. Dicit enim ibidem, nescire se, an ille raptus mentis sibi accidisset in corpore, vel extra corpus; hoc est, animâ in corpore persistente, vel ab illo abstractâ. Quod utique non ignoraret, si visio tunc intuitiua Dei fuisset illi communicata. Imo verò raptus ipse, & abstractio à sensibus, quam passus est, carentiam arguit visionis, iuxta opinionem mihi veriorē asserentem, visionem intuitiuam Dei animæ alligatæ corpori communicatam nequiquam illam vi suâ in extasim rapere, ab vsu sensuum abstrahere, seu præpedire. Quod sentit Vazq. disp. illâ 56. n. 2. & tradunt Molin. supra concl. 2. Salas sec. 2. n. 33. & 42. & Soar. cap. 30. citato à num. 8. & latius tom. 2. de Relig. lib. 2. de orat. cap. 16.

347 **Breuiusque probari potest. Primò; quia Christus Dominus in hac vitâ, cum semper intuitiue videret diuinam essentiam, expeditum nihilominus retinuit semper vsu omnium suorum sensuum tam interiorum, quam exteriorum. Neque credibile est, nouo aliquo miraculo ad id opus fuisse, quo, vel potentia naturales Christi contra vim visionis confortarentur, vel aliter hæc impediretur, ne dictas potentias suis naturalibus functionibus defraudaret. Similiter Beati videntes Deum citra omne nouum miraculum, aut fauorem sensibus erant expediti, non obstante visione. Secundo; quia, cum visio intuitiua Dei purè sit intellectualis, ab omni operatione Phantasiæ omnino independens, non est, cur animam abstractam à sensibus rapiat in extasim. Huiusmodi enim raptus tunc solum, connaturaliter accidit, quando, operante simul cum intellectu Phantasiâ, per vehementem aliquam attentionem, siue affectionem oriundam à gratiâ contemplationis, aut etiam aliunde fortasse, exercitamque per potentiam corpoream, Phantasiâ videlicet, aut Appetitum sensitiuum, ita spiritus animales, quibus ad operandum indigent facultates istæ corporæ, ad interiora auocantur, vt illis prorsus destituti sensus externi inhabiles ad sentiendum reddantur. Cum tamen potentia animæ spirituales ad suas spirituales operationes exercitæ independenter à corporalibus, vt à vi-**

dentibus intuitiue Deum exercentur, huiusmodi spirituum animalium affluxu nullatenus egeant. Nec refert illud principium, in quo potissimum nititur sententia contraria. Animam scilicet, quò plus suarum virium in vnâ operationem impendit, eò minus manere compotem aliarum. Quoniam hoc tantum habet locum, quando anima solis naturalibus viribus operatur. Visionem verò Dei supernaturaliter elicit lumine gloriæ confortata, quo vires eius naturales ad alias operationes expeditæ manent. Quæ de re plura Soar. supra, & Fasol. dubit. 1. qui contrariam sententiam sequitur cum S. Th. & alijs à se relatis. Quam etiam sequitur, latèque probare conatur Recupit. lib. 6. q. 13. Sed cuius conatum facile quisque infringere poterit per dicta à nobis succintè, & obiter; vt melius constet, quanto argumento sint raptus, & alienatio à sensibus Pauli, quòd ipse diuinam essentiam intuitiue non viderit.

148 **Ex quibus omnibus colligitur quarta probatio nostræ propositionis. Cum enim ex multis, clarissimisque sacræ Scripturæ testimonijs habemus ab vnâ parte, lege Dei vniuersali statutum esse, quòd nemo mortalium, dum superstes est, intuitiue videat essentiam Dei; ab aliâ verò nullo sit testimonium efficaciter suadens, nedum conuincens; Moysen, & Paulum ab ita lege vniuersali speciali priuilegio exceptos fuisse; neutiquam sanè videntur excepti asserendi. Accedit, quòd si ad congruentias recurrimus, nullum fortasse specialem titulum in Moysè, & Paulo reperiemus, cur Deus ipsis potius, quam alijs eximie sanctis, atque Apostolicis viris, huiusmodi priuilegium concesserit.**

#### Propositio 4.

149 **Priuilegium videndi Deum intuitiue multò potiori iure est reliquis sanctis denegandum. Si quis tamen ad aliquem cum fundamento idoneo extenderet, temerarius non esset.**

**Prior pars propositionis ex dictis circa præcedentem constat. Quia pro nullo aliorum Sanctorum extant firmiora fundamenta ad eis concedendam per exceptionem legis communis visionem claram Dei in hac vitâ, quam pro Moysè, & Paulo. Pro quibus tamen, quæ extant, adhuc non esse sufficientia probauimus. Secundam partem propositionis contra Bann. Zumel, & Trigodamnantem temeritatis eos, qui ad alios Sanctos extendunt priuilegium prædictum, latè tradunt, & probant Salas supra sec. 4. à n. 41. & Fasol. dub. 7. & seqq. exhibentes distinctè, & sigillatim fundamenta, quibus mouentur aliqui ad opinandum Adamum, Petrum Apostolum, Ioannem Euangelistam, Iob, Ezechielem, Isaiam, & S. Benedictum vidisse etiam in hac vitâ aliquando intuitiue Deum. Quas quidem opiniones, etsi non sequantur dicti Doctores, vindicant tamen à temeritatis, imò & improbabilitatis censurâ, vt apud ipsos potest videri. Aliorum tamen suspicionem, qui D. Augustino insuper, & Matri eius; atque etiam D. Hieronimo dictum priuilegium videndi Deum in hac vitâ adscripserunt, tanquam destitutam fundamento prorsus rejiciunt.**

## Propositio 5.

150 De B.V. Mariâ piè nihilominus, & cum maiori probabilitate credi potest, interdum eleuatam fuisse ad videndum Deum intuitiue, dum erat in hac vitâ mortali.

Quoniam ita sentiunt imprimis aut expressè aut interpretatiue, quotquot de Moyses, & Paulo, aut etiam de alijs Sanctis existimant, in hac vitâ vidisse Deum, cum sit principium factis in Theologia receptum post D. Bernar. in epist. ad Lugdun. & S. Th. 3. p. q. 27. art. 5. nullam gratiam, nullum priuilegium alicui fuisse concessum, quod non sit censendus Christus. Dominus Mariâ amantissimâ concessisse. Deinde; quia, ex alijs Doctoribus; qui dictum priuilegium Moysi, & Paulo, alijsque Sanctis negant, multi sunt, qui illud concedant B. V. Ac denum; quia Mater Dei non adeo legibus prouidentia communibus subiecta est, vt ceteri serui: multique extant, in eâ speciales tituli præ reliquis Sanctis, vt à communi lege excipiatur; vt in lege de contrahendo originali cernere licet. Atque ita sententiam illam speciatim tenent D. Antonin. Albert. Carthus. Gerson. Casal. Villapoua, Molina, & alij, quos referunt, & sequuntur Soar. tom. 2. in 3. p. disp. 19. sec. 4. Henric. lib. 3. Sum. cap. 11. §. 5. Canisius lib. 1. de B. V. cap. 13. Fasol. supra dubit. S. Alarc. 1. p. tract. 1. disp. 1. cap. 4. n. 7. Salazar tom. de Conceptione cap. 32. §. 4. à n. 47. Nouissimèque Recupitus lib. 6. de Deo q. 14. cap. 1. egregiè illustrat hanc sententiam, referens imprimis pro illâ 27. Doctores, & testimonia 13. Patrum. Deinde decem rationibus ex doctrinâ Scripturæ, & Patrum eruditè confirmans. Quando autem B. V. Deum viderit intuitiue, (cum certum sit, non vidisse rôtò tempore vitæ), diffusè examinat Recupitus cap. 2. Videatur.

## QVAESTIO X.

*Virum anima iustorum sufficienter purgata statim videant clarè Deum ante corporum resurrectionem.*

151 DE hac re agit S. Th. 1. 2. q. 4. art. 5. & ibi eius expositores. Verum, quia ad existentiam, visionis beatificæ pertinet, breuiter hic ab illâ nos expediemus. Multi ex antiquis Patribus tam græcis, quàm latinis, quos referunt Vazq. 1. 2. disp. 19. cap. 1. Salas q. 5. tract. 2. disp. 10. sec. 5. Bellarm. tom. 2. cont. 4. lib. 1. de Beat. cap. 1. & alij in eâ videntur fuisse sententiâ, vt existimarent, animas iustorum quantumuis sufficienter purgatas ante diem iudicij, vniuersalemque corporum resurrectionem ad claram Dei visionem non eleuari. Hi sunt Tertull. Lagan. Victorin. Euthim. Irenæ. Iustin. Origen. Hilari. Chrysof. Theodor. Theophilat. Oecumen. Ambros. August. & alij. Quinimo id ipsum fertur definiisse Ioannes 22. Romanus Pontifex, Parisiensibusque præcepisse, vt ita docerent; neque vllum ad gradum Theologiæ admitterent, nisi in eam sententiam iuraret, prout ex Ocham. in opere 93. dierum, Gerson. Marsil. & Adrian. refert Salas num. 48. De plano

autem in eadem sententiâ, seu potius errore fuerunt Anabaptista, Græci Schismatici, & Armeni; nouissimèque Lutherus, atque Caluinus, prout referunt Guido Carmelita in Summa de hæreticis, Castro lib. 3. de hæres. verbo *Beatitudo*. Prateolus in Elencho hæres. verbo *Armeni*, & Græci, Sanderus 7. Monarchia hæresi 118. Sixtus Senens. lib. 5. Biblioth. annot. 169. & lib. 6. annot. 345. Canis. tom. 2. de Corruptelis. verbi Dei, & lib. 3. de B. V. cap. 12. Bellar. supra, Salas, & alij.

## Propositio 1.

Anima iustorum post Christi mortem, cum priuim sufficienter purgata sunt, statim visione clarâ, & intuitiua Dei donantur.

Propositio est de fide, & iam apud omnes Catholicos prorsus indubitata. Constatque imprimis ex multis Scripturæ locis, in quibus, aut asseritur, aut supponitur, Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vniuique secundum vias suas*. Quasi dicat, non est dubitandum, quin retribuet, omni impedimento cessante. Luca 23. *Hodie mecum eris in paradiso*. Id est, in gloriâ regni cælestis, vt exponunt Ambros. Beda, Theophilat. & alij. Act. 7. Stephanus videns calos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei; dixit, *Domine Iesu suscipe spiritum meum*. Id est à corpore exeuntem, admittit ad gloriam tuam cælestem 2. Corinth. 5. Cùm Paulus dixisset, *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus; & non per speciem*, subdit, *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse Deo*. Quasi per antithesim dicat, potius vellemus exuti iam, & remoti à corpore per speciem, siue per visionem claram præsentem esse Deo in gloriâ cælesti. Vide circa hunc locum S. Th. supra, Bellar. cap. 3. & Salas n. 51. Quod etiam spectat illud eiusdem Apostoli ad Philip. 1. *Cupio dissolui; & esse cum Christo*. Vtique in suâ gloriâ, iuxta illud Ioan. 12. *Vbi ego sum, illic & miser meus erit*. Ad Ephes. 4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*. Id est, animas sanctorum Patrum secum duxit ad gloriam. Vt interpretantur Ambros. & alij. De quo plura Soar. tom. 2. in 3. p. disp. 43. sec. 3. Adde ea loca, ex quibus constat, Christum Dominum morte sua Paradisi cælestis ianuas aperuisse, & viam ad illum fecisse. De quo plura Soar. ibi disp. 41. Necnon loca, quibus Sancti regnare cum Deo in Cælo dicuntur; habenturque potissimè ad Hebr. 12. & Apocal. 1. 5. 12. & 17.

Secundò constat propositio ex Ecclesiæ definitione. Definierunt quippe illam Benedictus 12. aliàs 11. in Extrauagante *Benedictus Deus*. Quam ad verbum referunt Castro, & alij, prout supra à nobis q. 1. num. 9. notatum est. Item Innocentius 3. cap. *Maiores*, de Baptismo, & cap. *Ad Apostolicam*, de Præbytero non baptizato. Concilium Florent. sess. vlt. in litteris vnionis. Trident. sess. 25. in decreto de veneratione Sanctorum. Francoford. in epist. ad Episc. Hisp. prope finem, & Moguntin. cap. 46. & 49. Huc faciunt Ecclesiæ decreta pro beatificatione, & canonicatione Sanctorum, quibus eos venerari iubet, dignisque veneratione debitâ Beatis definit, tanquam, qui iam in gloriâ cælesti clarâ Dei visione fruuntur.



Facit communis sensus Fidelium. Faciunt officia Ecclesiastica, vbi sæpe eadem veritas asseritur. In oratione de S. Greg. dicitur. *Deus, qui anime famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contulisti.* In antiphonâ quadam pro martyribus. *Gaudent in calis anime Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti.* In respons. v. & m. *Et cum Angelus in Paradisum introisset, &c.* Faciunt denique multæ, & veræ apparitiones, & visiones animarum, quibus de eorum beatitudine testatum est, vt ex Historijs Ecclesiasticis constat.

154 Tertiò constat propositio ex communi Patrum suffragio, qui eam tenuerunt. Hi sunt Ignatius m. Dionys. Areop. Irenæ. Basil. Nylen. Nazian. Chrysof. Epiph. Theod. Theophil. Hilar. Hieron. Athan. Euseb. Prosper. Maxim. Gregor. vterque Cyrill. Damasc. Beda, Haymon. Oecumen. August. Ambr. Bern. Cyprian. Anselm. & alij relati à Sixto Senen. Bellarm. Vazq. & Salas supra.

155 Quartò ratione etiam potest hæc veritas comprobari. Primò; quia Deus pro bonis operibus tanquam mercedem promissit hominibus vitam æternam; atque adeò visionem intuitiuam sui. Matth. 19. & 20. Iacob. 1. Apocal. 2. & alibi. Merces autem sine causâ differenda non est, iuxta illud Leuit. 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui usque mane.* Qualis non est quidem postquam Christus Dominus portas Cæli, quas peccatum occluserat, reserauit. Ergo. Et sanè, cum Angeli finito statu viatorum, quem homines in morte sinunt, statim receperint præmium; cur non animæ plenè purgatæ recipient pariter post ascensionem Christi? Secundò Deus propensior est ad misericordiam, quàm ad iram. Sed statim à morte punit impios, iuxta illud Iob. 21. *In puncto ad inferna descendunt.* Et Luc. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, &c.* Ergo statim à morte iustis præmia retribuit, postquam per Christi mortem apertus est aditus ad gloriâ.

156 Cæterùm contra statutum dogma catholicum nonnulla opponuntur. Primò locus ille Matth. 20. vbi pater familias iubet, reddi operarijs denarium ad vesperam, id est, gloriam in fine Mundi. Respondeo, per vesperam posse intelligi finem vitæ vniuersiualis. Quòd si intelligatur finis Mundi, per denarium intelligetur gloria consummata animæ, & corporis publicè, & vniuersaliter omnibus iustis in die iudicij, conferenda illâ sententiâ supremi Patris, familias, & Iudicis, *Venite benedicti, &c.* Matth. 25. Quæ etiam ratione similia loca veniunt intelligenda, vt ille Pauli 2. ad Tim. 1. *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Et cap. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex.* Et 1. Ioan. 3. *Sci-mus, quoniam cum apparuerit, &c.*

157 Secundò obijcitur Paulus ad Hebr. 11. Vbi post multa recensita egregia facinora Patrum veteris Testamenti subiungit. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt reuersionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis consummarentur.* Quibus videtur significari, adhuc Patres illos carere visione beatâ, dum Paulus superstes hæc verba protulit. Quidam per reuersionem intelligunt beatitudinem consummatam animæ, & corporis, quam omnes simul in fine mundi recipiunt. Sed planior est sensus Pauli; nempe, Patres veteris Testamenti ante

tempus noui, & statum gratiæ per mortem Christi stabiendum gloriam à Deo promissam non accepisse; sed diu Christum expectasse, qui ianuas Paradisi aperiret, in quo meliori sorte donati sumus, qui sæculum aureum gratiæ adepti post Christi ascensionem vita cedimus. Videatur noster Cornel. in hunc locum Pauli. Soar. tom. 2. in 3. p. q. 57. art. 3. in comm. Vazq. supra n. 8. & Salas n. 55. Qui hanc interpretationem sequuntur.

158 Tertiò obijcitur illud Apoc. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: & clamabant voce magnâ dicentes, vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, &c.* Et data sunt illis singula stola alba: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, &c. Quibus significari videtur, animas martyrum non esse in Cælo, sed in alio loco expectantes, & petentes, vt accedat dies iudicij, in quo gloria remunerandæ sunt, & de suis hostibus vindicandæ. Omissis varijs explicationibus, respondeo, verba *subtus altare* verbo *interfectorum* iungenda esse. Sensusque est; vidi animas eorum, qui subtus altare, id est, sub religionis prætextu, vel sub fidei testimonio interfecit sunt, clamantes pro vindictâ, sicut clamabat sanguis Abel. Gen. 4. Et data sunt illis singula stola alba id est, gloriæ essentialis, vt exponit Aug. serm. 4. de Innocentibus, Greg. in Psalm. 4. panit. Beda, Haymo, & Ansel. ad hunc locum, & alij. Iustæque sunt, expectare vsque ad diem iudicij pro gloria corporis, pro publicoque, & consummato triumpho de hostibus. Videantur Ribera, & Alcazar in hunc locum, Bellar. Vazq. & Salas supra. Alia, quæ ex Scripturâ afferuntur, facilem habent ex dictis interpretationem. Locum autem, qui ex 4. Esdræ 4. solet opponi, prætermitto: tum quia liber non est canonicus, vt constat ex Trid. sess. 4. cap. 1. tum quia locus apocryphus est, vt testatur Henriq. de fine hominis cap. 19. n. 2.

159 Quartò opponitur definitio illa Ioan. 22. *Quam supra n. 151. commemorauimus.* Respondeo, Ioan. 22. morte præuentum nihil de hac re, definisse, vt constat ex Bullâ Benedicti 12. successoris eius citatâ supra à nobis n. 9. & 153. Quinimo non est omnino certum, adhuc vt priuatum Doctorem errasse Ioannem in hac materiâ. Nam primus, qui id narrat, ex quo alij, est Ocham. cuius in hac re suspecta fides esse videtur; siquidem opus illud 93. dierum, & alia, quæ contra dictum Ioannem Pontificem scripsit, interdicta sunt in Indice librorum prohibitorum edito iussu Trid. vt notat Bellar. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ocham. & Sixtus Senens. lib. 7. Biblioth. annotat. 345. fine. Demum, si quid minus cautè Ioannes vt priuata persona circa hunc articulum loquutus est, id pridie ante mortem retractauit, vt refert Ioan. Villanus lib. 11. de rebus Florentin. cap. 19. & S. Antonia. 3. p. Hist. tit. 21. cap. 6. §. 15. fine. De quo videatur Bellar. lib. 1. de Beat. cap. 2. & lib. 4. de Pontifice cap. 14. Vbi varia etiam Caluini dicta circa errorem istum Ioannis 22. confutat, à notaque formalis hæretici Pontificem defendit.

160 Quintò opponuntur multi Patres græci, & latini commemorati etiam à nobis supra n. 151. Qui sensisse videntur, iustorum animas etiam plenè purgatas vsque ad finem Mundi non beari. Respondeo tamen in vniuersum, huiusmodi Patres de beatitudine perfectâ vndequeque, & consummatâ includente gloriam animæ, & corporis

intelligendos esse, prout latius, specialiusque, Patrum testimonij adductis, eos interpretantur Bellar. Vazq. Sal. Henricq. supra, & alij Theologi communiter 1.2. q.4. art. 5. Quod si testimonium aliquod iuxta hanc, aut aliam sanam expositionem nequeat explicari, mirum esse non debet: quia, cum priscis illis temporibus expressè non esset ab Ecclesiâ articulus iste definitus, potuit profectò Pater aliquis, aliàs catholicus, & sanctus, bonâ fide circa illum errare, vt bene notant Vazq. & alij.

161 Postremò à ratione sic potest obijci. Homines diuersorum temporum habentes æqualia merita æqualiter debent remunerari. At id fieri nequit, si vnus prius videt Deum, quàm alius. Ergo. Respondeo, æqualitatem durationis in præmio seruari commodè non potuisse; nemini tamen iniuriam fieri; tum quia omnes vltra condignum remunerantur; tum quia non deerit Deo modus, si ipsi placuerit, reducendi ad æqualitatem præmia, quæ aliàs à duratione impari imparia eua-derent. Et quidem hoc argumentum in damnatis etiam potest fieri, pariterque in illis subinde soluendum est. Quomodo autem etiam sic fide certum, Dæmones ante diem iudicij pœna damni, & ignis puniri, apud Salas n. 59. & Bellar. cap. 6. videri potest, & apud Soar. & alios in materiâ de Angelis.

#### Propositio. 2.

162 Anima Beatorum æquè perfectè vident Deum modò, ac post finem Mundi videbunt, corporibus resumptis.

Adijcio insuper propositionem istam, Quia puncto præcedenti concernit, circa quam non adeò est vna sententia Catholicorum. Nam quidam, vt refert Abulens. Matth. 5. q. 63. dixerunt, beatitudinem animæ futuram esse maiorem post corporum resurrectionem. Alij è contrario, animam tunc beatiorum fore intensiùs, quatenus meliùs videbit, atque diliget Deum. In quibus sunt Mag. in 4. dist. 49. & S. Th. ibi q. 1. art. 4. q. 1. Quos sequitur Egid. Lustr. tom. 3. de Beat. in Appendice q. 2. à §. 2. putans esse sententiam S. August. lib. 12. de Genesi ad litt. cap. 35. vbi eam videtur tradere. Cui concinunt etiam Haymo Apoc. 6. & Bernard. serm. 3. de sanctis. Sed pro nostra propositione stant communiter Theologi S. Th. mutans sententiam 1.2. q. 4. art. 5. ad 5. & ibi Caiet. Contr. Medi. aliique Thomistæ, Valent. disp. 1. q. 4. pun. 2. Salas tract. 2. disp. 10. sec. 6. Vazq. disp. 19. cap. 4. Bellar. lib. 1. de Beat. cap. 5. Montes disp. 7. Becan. tract. 1. cap. 1. q. 13. Soar. 1.2. tract. 1. disp. 13. sec. 2. Ouied. tract. 1. contr. 6. pun. 2. & alij communiter.

163 Probat autem propositio à priori. Quia, vt omnes fatentur, & est certissimum, post resumpta corpora non est augendum, nec minuendum in animabus lumen gloriæ, quo ad Deum videndum in æternum à principio eleuantur proportionatè ad merita vniuscuiusque; sine ratione enim adstrueretur tale augmentum, aut decrementum. Existente autem semper eodem lumine, semper existat eadem visio sine incremento, aut decremento, necesse est. Quia visio ab eadem potentia animæ non potest non semper exire eodem modo proportionata luminis; eo quòd, inuariatà causâ, necunde potest variari effectus eius naturalis, qualis est visio respectu coniuncti ex

animâ, & lumine. Nec refert, animam vnitam corpori perfectiorem modum essendi habere, quàm separatam; (quod tamen negat Scot. in 4. dist. 43. q. 1. & quod lib. 9). Quia iste perfectior essendi modus in vnione ad corpus consistens extra substantiam animæ est. à qua sola adiuuâ lumine prouenit visio. Vnde ad intendendam, aut percipiendam visionem, ad illamve remittendam nihil videtur præstare posse: maxime, cum ad eam concurrat anima non per potentiam naturalem, cuius modus ille vt conditio saltem posset fortasse deseruire, sed per potentiam obedientialem ab omni connaturali modo distincto à substantiâ anime independentem.

164 Secundò probat Bellar. propositionem. Quia videtur esse definita ab Ecclesiâ. Nam Benedictus 12. in Extrauagante *Benedictus* sæpe citatâ ait, conuinari visionem à morte vsque ad resurrectionem, & per totam æternitatem, & videtur sentire, continuari in eodem gradu. Vnde Ioannes Villanus lib. 11. hist. Florentin. cap. 19. dicit, Benedictum definiuisse, animarum gloriam non augendam post resurrectionem, nisi extentiùs; ita enim testatur, se audiuisse à Theologis, qui interfuerunt, cum id à Pontifice definiretur: licet quidam solum referant, definiuisse talem gloriam non esse minuendam. Id quod, stando etiam à ratione, multò certius est: quia magna imperfectio beatitudinis animæ esset, si vel ex parte amitti posset. Iure enim posset hoc ipsum animam contristare: cui sanè propterea in detrimentum potius, quàm in vtilitatem cederet resurrectio corporis; irrationalisque subinde esset appetitus eius, quod maioris boni impedimentum futurum erat. Quæ sunt absurda.

Cum his, quæ diximus stat, absolute augendam esse animarum gloriam post diem iudicij per iteratam vnionem ad sua corpora; etsi visio Dei in illis nullo modo augetur. In quo conueniunt omnes Theologi. Quod accrementum alij extentiùs, alij extrinsecum, alij accidentale appellant. Eueniet autem illud: quia ex gloriâ animæ sua gloria redundabit ad corpus, corpusque mirè in naturalibus perfectum, ac supernaturalibus donibus adornatum tum ministerio multiplici, tum etiam multiformi oblectamento erit animæ, quibus felicitas eius non parum augetur.

165 Cæterum pro sententiâ primo loco relatâ potest sic obijci. Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Sed anima post resurrectionem erit pluribus intenta: quia & proprijs, & corporis functionibus intenta erit. Ergo minus tunc attendet ad Deum; minusque subinde perfectè videbit, & amabit illum. Admitto, quando anima naturaliter operatur, quò ad plures operationes distrahitur, eò minorem esse virtutem, ac facultatem eius ad singulas. Ast, quia visionem beatificam eleuata supernaturaliter operatur est, stante scilicet per eodem principio eleuante, eadem semper vi, eademque subinde intentione, ac perfectione elicit illam; quantumuis illi coniunctæ corpori non operationes accrescant: maxime, cum harum etiam pleraque futura sint supernaturalis.

166 Eodem argumento, licet ex diuerso capite sumpto, vtuntur contra nostram propositionem Auctores secundæ sententiæ; nempe. Anima separata habet vehementer appetitum ad corpus. Igitur distracta ad talem appetitum eius virtute, non potest non à visione, & amore Dei retardari. Sicque minus intensè videre Deum

ante resumptum corpus, quam postea. Cæterum solutio etiam eadem est, quæ præcedentis; imo potiorum locum nunc habet, ut consideranti patebit. Aliam verò solutionem, quam exhibent Vazq. Bellar. & alij, tanquam minus sufficientem rejicit, & merito Salas n. 67. ut apud illum videri poterit. Iam verò de mente Augustini non eadem est omnium sententia. P. Vazq. planè fateatur, stare illum pro secunda sententia. Sed P. Salas num. 68. cum alijs docet, rem hanc sub dubio reliquisse. Quia, licet loco citato videatur indubitanter loqui, ac lib. 1. Retract. cap. 14. de eadem re agens videtur dubius remanere. Ego tamen crediderim cum doctis Recentioribus, si benigne textus Augustini expendatur, non sine probabilitate posse illum exponi, ita, ut solùm velit, animas, resumptis corporibus, perfectius beatas foret, non quidem à visione Dei intrinsicè intensiore, seu perfectiore, sed à visione, prout ex consortio gloriæ corporum perfectior euadet, & consummata beatitudine animarum. Quo sensu Haymo etiam, & Bernardus censendi sunt loqui. Sicuti loquitur Concilium Florent. sess. ult. in litteris unionis, dum ait: *Conuenit inter Græcos, & Latinos, animas ante corporum resurrectionem perfectè salutem frui, licet perfectius postea.*

QVÆSTIO XI.

*Quid sit, seu in quo consistat visio beatifica. Et an Beati producant verbum mentis.*

168 **V**isionem beatificam esse cognitionem, quæ Deum clarè, & intuitiue, sicuti est in se, à Beatis cognoscitur, satis, superque ex dictis hactenus intelligitur. Verùm hæc veluti metaphysica essentia visionis beatificæ est. Physicam indagamus modò. Est autem supponendum ex dictis in Pharo Scienc. disp. 1. & 2. modum cognoscendi ordinariū in potentijs cognoscitiuis creatis tam sensitiuis, quam intellectiuis sic peragi. Instruitur primò potentia specie quadam impressa, quæ veluti semen obiecti est, atque ita intrinseca physico producit in se alteram qualitatem, quæ similitudo est, ac veluti expressa imago obiecti, ob idque species expressa dicitur, mediâ quâ representatur, atque cognoscitur obiectum; siue cognitio formaliter in tali specie expressa consistat, siue in eius productione, siue in utroque: tum siue huiusmodi species per actionem, & unionem superadditam producat à potentia cognoscitiua, & ipsi uniat, siue per se immediatè, iuxta diuersas Philosophorum opinionones, de quibus egimus dictâ disp. 2. Phari q. 1.

169 **P**orrò species expressa intellectus verbum mentis appellatur communiter. Quia, dum mens illam producens per illam sibi representat, atque adeò notificat obiectum, veluti loquitur sibi obiectum ipsum ad eum modum, quò nos solemus alijs loqui per verbum vocale, atque adeò ipsa notificare rem significatam per illud. Potissima ergo difficultas huius quæstionis est, an quemadmodum aliorum obiectorum, quæ intelligit, ita etiam Dei clarè visi producat intellectus creatus speciem expressam, seu verbum.

170 **N**egant plures Thomistæ, Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. Bann. ibid. dub. 1. Zumel disp. 2. concl. 3.

Nauarrete controu. 34. s. 3. Nazar. contr. 2. Cabrera 3. p. q. 11. art. 1. disp. 1. s. 9. Conz. disp. 25. sec. 4. Franciscus Amicus 1. p. disp. 9. sec. 3. & alij, putantes, essentiam diuinam per se ipsam gerere vices speciei expressæ, seu verbi, quatenus per se ipsam ob summam intelligibilitatem, quam habet, non solùm physicè, sed etiam intelligibiliter est intimè præsens intellectui Beatorum, quin egeat, ut ei representetur, vllâ specie expressâ, seu verbo. Vnde communiter censent dicti Thomistæ, visionem beatificam vitalem quandam tendentiam esse, siue intentionalem visionem, quæ intellectus Beati intelligibiliter vnitur cum Deo in se immediatè intelligibili citra omnem speciem expressam ipsum representantem. Ducuntur hi Doctores præcipuè auctoritate S. Tho. Cuius tamen mens adeò in præsentibus dubia est, ut multi alij ex eius discipulis in oppositam sententiam, quam amplectuntur, eum sibi patronum adnocent. Hi sunt Capreol. in 1. dist. 27. q. 1. art. 2. & dist. 35. q. 1. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. Syluest. 1. p. Constat. q. 12. art. 2. s. 3. & q. 27. art. 1. s. 4. Ferrar. lib. 1. contr. Gent. cap. 35. & lib. 3. cap. 49. Sot. in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Trigof. 1. p. q. 7. art. 1. dub. 6. & alij. Quibus accedunt Moll. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Vazq. disp. 38. cap. 2. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 11. Arrub. disp. 17. Becan. tract. 1. cap. 9. q. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 2. num. 28. Fasol. 1. p. q. 12. art. 2. dubit. 3. Gran. tract. 5. de Visi. disp. 1. Herice disp. 40. cap. 1. & disp. 42. cap. 5. Martinon disp. 8. sec. 3. n. 25. Recupit. lib. 6. q. 25. Derkennis disp. 7. cap. 9. Quiros disp. 23. & apud eos alij plurimi.

171 **P**orrò S. Th. ambabus sententijs videtur fauere. Priori quidem 1. p. q. 12. art. 2. & q. 8. de Verit. art. 1. vbi generaliter docet, Deum, sicuti est in se, per nullam similitudinem creatam videri posse. Loqui autem eum de similitudine expressâ, seu verbo mentis, pro eaque potissimum facere rationes, quas adducit, Thomistæ pro primâ sententiâ citari sentiunt, & latè probat noster Vazq. disp. 39. Posteriori verò, oppositæque sententiæ Angelicum Præceptorem adstriplari, ex multis alijs eius locis videtur colligi: vbi vniuersaliter affirmat, in omni intellectu nostrâ reperiri verbum ab intellectu nostro oriundum, mediò quo obiectum intelligitur. Videatur præsertim 1. p. q. 27. art. 1. & q. 4. de Verit. art. 2. & q. 8. de Pot. art. 1. & q. 9. art. 5. & in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. Hinc factum est, ut Thomistæ negantes verbum beatificum, quoties legunt S. Thom. vniuersaliter adstruentem verbum in omni nostrâ intellectuone, de intellectuone solùm naturali, aut status præsentis illum interpretantur, quo excludant visionem beatam. Ex aduerso autem, qui beatificam verbum adstruunt, de similitudine tantum impressâ, non item de expressâ, seu verbo, volunt, ut S. Tho. loquatur, quoties negat, per aliquam similitudinem creatam posse videri Deum, sicuti est.

172 **O**bseruandum tamen est, apud plerosque Thomistarum verbum mentis, ubicunque datur, ita esse terminum intellectuonis immediatum, ut in eo prius cognitio tanquam in medio cognoscatur obiectum per ipsum verbum representatum ad eum modum, quo in imagine depictâ Cæsaris tanquam in medio prius vilo ipse Cæsar cognosci solet. Ita opinantur Bana. Zumel, Nauarrete, Cabrera supra, & alij, quos refert Fasolus supra. dubit. 6. Id quod sensisse S. Th. propterea que negasse verbum Beatis, multis etiam comprobatur.

V v v 2 Vazq.

Vazq. disp. 39. citata. Pro opposita tamen sententia asserente, verbum non esse medium, quod prius cognitum ducar in cognitionem obiecti; sed potius esse formalem, expressam, & immediatam obiecti ipsius representationem, sicut communiter Doctores, Moli, Vazq. Soar. Salas. Becan. Fasol. Herice. Gran. Martin. Recupit. supra, & apud eos alij phres.

173 Thomistæ autem, qui putant, verbum mentale esse medium, in quo prius cognitum cognoscitur obiectum representatum per illud, communiter censent, duo tangi per cognitionem, duove per illam cognosci, siue apparere cognoscenti; verbum scilicet, & obiectum representatum per ipsum; ita tamen, ut verbum cognitum determinet ad cognoscendum obiectum, ut quid distinctum ab ipso verbo; sicut imago depicta cognita determinare solet ad cognoscendum prototypum tanquam quid distinctum ab ipsa imagine; & causa determinare pariter solet ad cognoscendum effectum, vel effectus ad cognoscendam causam; & uniuersè quævis conexio ad cognoscendum terminum connexionis. Sunt tamen, qui censent, solum verbum tangi, cognosci, & per cognitionem formaliter, nec quidpiam aliud cognoscenti apparere præter verbum ipsum; deo omnino tamen nihilominus obiectum cognitum, tamen si in se non attingatur adhuc mediata per cognitionem; quia verbum expressa imago, ac veluti substitutum est eius, perindeque propterea est, cognoscere verbum, atque cognoscere obiectum expressum, ac representatum per illud, sicque in esse obiectiuo, & intentionali ab illo reparari indistinctum; tamen ab eo in esse physico distinctum sit. Hanc sententiam sequuntur, & latè explicare, probareque conantur nouissime philosophus Franciscus Amicus 1. p. disp. 9. lect. 3. & Stephanus Spinula in suo cursu philosoph. disp. 4. de Anim. lect. 2. & seqq. Qui doctrinam hanc non solum in cognitione abstractiuâ habitâ per species alienas, sed etiam in intuitiuâ per proprias habitâ tum ab intellectu, tum a sensibus putant habere locum: nisi quod Amicus visionem intuitiuam Dei excipit, ubi impossibile putat intervenire speciem expressam, seu verbum; Spinula verò ne illam quidem putat posse peragi sine verbo. Vterque autem censet, verbum, seu speciem expressam realiter esse idem cum cognitione, & cum actione, quâ producit a potentia cognoscenti; tamen penes diuersa munera, siue respectus, ratione nostrâ distinguantur.

174 Ut exactius præsentis quæstionis resolutionem præbeant, & nonnulla iam dicta ad rem in Pharo Scient. confirmem contra Amic. & Spinul. in quos post illa scripta incidi, hypotheses quædam præmittere oportet præcipuum erit, ut sequitur.

#### Hypothesis I.

175 Verbum mentale non est aliquid physicè ab intellectu nostro productum, in quo tanquam in medio prius cognitum cognoscatur, atque adeo appareat obiectum ut quid distinctum ab ipso verbo.

Hypothesis hæc contra Bann., Zumel., Napparete, Cabrera, & alios Thomistæ suæ factionis sufficienter est iam a nobis probata in Pharo Scient. disp. 2. q. 1. propos. 2. Recognoscantur ibi dicta. Existimo autem, S. Tho. istud genus verbi

mentalis nusquam adstruxisse, ut dicit Thomistæ arbitrantur, Tamen sæpe adstruat verbum mentale ex parte obiecti cognitionis se habens, prout apparebit ex dicendis.

#### Hypothesis 2.

176 Verbum mentale non est aliquid physicè ab intellectu nostro productum, in quo cognitum tanquam in sua expressâ imagine, seu tanquam in suo substituto cognoscatur, atque adeo appareat obiectum ut quid penitus indistinctum ab ipso verbo, uti putant Amic. & Spinul.

Probo hanc hypothesim contra Doctores istos. Primò; quia quoties cognoscitur vnum in alio tanquam in substituto, nequit non tale substitutum cognosci in se ipso per propriam speciem, perque cognitionem representantem illud, prout est in se, ita ut appareat cognoscenti tale, quale in se physicè, aut realiter est, si existit, aut esset, si existeret. Sed species expressa cuiuslibet obiecti a nobis cogniti, siue per intellectum, siue per sensum, nequam cognoscitur a nobis in se ipsa per propriam speciem, perque cognitionem representantem illam, prout est in se; nequamque subinde nobis apparet talis, qualis in se physicè est. Igitur nullum obiectum a nobis cognitum siue per intellectum, siue per sensum in specie expressâ sui cognoscitur tanquam in substituto. Maior huius discursus ex terminis est satis nota, constatque ex doctrinâ traditâ in Pharo disp. 2. q. 3. de cognitione rei insensatâ in phantasmate sensibili substituto. Minor ab experientia est manifesta. Quia nemini hactenus apparuit species expressa coloris, quem videt, talis, qualis physicè, & realiter est in se; eum potius color ipse solus talis, qualis in se est, appareat, ut cupitis est notum; speciesque subinde, quam color imprimit in oculis, non quidem species expressâ à se causata, sed ipsius coloris species impressa propria est, ut cunctis etiam est in confesso. Consequentia autem est legitima. Per quam habemus, nullum obiectum cognosci a nobis siue per intellectum, siue per sensum in specie expressâ sui tanquam in substituto, prout opus erat, ut talis species expressa tale esset verbum, quale esse ponitur ab Aduersarijs: in quo videlicet cognitum cognoscitur obiectum, atque adeo appareret, ut quid ab ipso verbo indistinctum.

Quod ut manifestius appareat, scire opus est, bifariam solum, quod ad rem attinet, potest vnum in alio cognosci. Primò tanquam in medio determinate. Secundò tanquam in alio tanquam in medio determinante, quando determinat potentiam cognoscentiam ad cognoscendum aliud. Quo casu utrumque per se immediatè tangitur cognitione, ipsamque terminat; tamen non utrumque, sed id solum, quod medium determinans dicitur, ad eam determinet, atque ita duo distincta ex parte obiecti apparent cognoscenti; medium scilicet determinans, & aliud, ad quod cognoscendum determinat. Hoc pacto in quavis re connexâ cum alio cognosci solet terminus connexionis; & sæpè etiam in imagine materiali cognoscitur prototypum. Tunc verò cognoscitur vnum in alio tanquam in substituto, quando hoc

ex parte obiecti subrogatur pro illo, eiusque in  
munere obiecti vices gerit comparatione cogno-  
scentis: quo casu id solum per se immediatè ter-  
minat cognitionem, quod pro altero substitui-  
tur; alterum verò eatenus per illam cognosci di-  
citur, quatenus non per se, sed tantum per suum  
substitutum terminat illam. Hoc modo cogno-  
scitur à nobis pro statu presenti quavis res infen-  
sata in phantasmate obiectivo sensibili, prout late  
explicatum est, & probatum in Pharo disp. 2. q. 3.  
Hoc etiam modo solet interdum in imagine ma-  
teriali cognosci prototypum eius. Nec aliud est,  
quod ad rem atinet, excogitabile genus cogno-  
scendi vnum in alio. Cum igitur in specie ex-  
pressa, seu verbo non cognoscatur obiectum  
priori modo, vt contra ceteros Thomistas tenent  
Doctores, cum quibus agimus, consequens est,  
vt iuxta ipsos cognoscatur posteriori. Ast eo ne-  
quaquam cognoscitur, vt nostrum argumentum  
probat. Ergo.

178 Quod confirmari potest. Primò; quia  
quoties aut oculis videmus, aut mente cogita-  
mus aliquod corpus, euidenter experimur, no-  
stram tum oculorum, tum mentis cognitionem  
circa illud immediatè versari, illudque à nobis  
per se immediatè videri, & nosci in loco, vbi est,  
à nobis distito, cum eaque, quam ibi habet, ma-  
gnitudine, & figurà, cum ijs coloribus, & cæ-  
teris, quæ sub visum, & mentem cadunt. Non  
ergo versatur cognitio nostra externa, aut inter-  
na, vt Aduersarij volunt, immediatè circa spe-  
ciem expressam in nostrâ potentia existentem;  
quæ vtique nec magnitudinem, nec figuram, nec  
locum, nec colores, nec cetera habet, quæ nobis  
per se immediatè apparent in corpore dicto.  
Certè ad tam apertam experientiam, & cunctis  
hactenus indubitata negandam euidentissima  
argumenta debent habere Aduersarij: cum ta-  
men nullius momenti sint, quæ habent, vt mox  
ostendemus. Secundò confirmari potest; quia, si  
visio oculorum, cum corpus loco distitum cer-  
nimus, in solam speciem expressam eius termina-  
retur immediatè; cum hæc sit duplex; quia  
vnusquisque oculus habet suam, duo nobis repræ-  
sentarentur obiecta: quia, vt sunt in se, repræ-  
sentarentur tales species, & in se reuera sint duæ.  
Duo tamen corpora non videmus, etsi duas vi-  
siones habeamus: quia vnus, & eiusdem cor-  
poris in se immediatè visi visiones sunt suapte  
naturâ. Tertio confirmatur; quia, si quando in  
imagine materiali tanquam in substituto cogno-  
scimus eius prototypum, quin transeat cognitio  
ad tangendum per se immediatè ipsum prototy-  
pum, quod tangit per se immediatè cognitio, est  
physica illa delineatio colorum, compositio, figu-  
ra, & quantitas, quam reuera habet imago; hæc  
que proinde in primis sub experientiam, aut sub  
notitiam cadunt. Ergo, si in imagine mentali  
expressâ similiter cognosceretur eius obiectum,  
vt Aduersarij censent, quod talis cognitio tange-  
ret per se immediatè, esset entitas, & accidentia  
physica talis imaginis; atque ita hæc imprimis  
cognosceremus, meliusque eorum, quam enti-  
tatis, & accidentium obiecti rationem reddere  
possemus, vt constat. Ast oppositum prorsus eue-  
nit, vt omnes palam experimur. Ergo. Quarto  
confirmatur; quia, si in specie expressâ, seu ver-  
bo cognosceremus obiectum, vt Aduersarij cen-  
sent, magis esset nobis exploratum, cognosci ip-  
sum verbum, quam obiectum; siquidem iuxta  
vulgatum axioma, propter quod vnumquodque

tale, & illud magis. At à nobis cognosci obie-  
ctum exploratissimum est; cum dubium saltem  
valde sit, an verbum cognoscatur, nedum an  
ipsum solum sit, quod tangitur per se, & forma-  
liter cognitione. Ergo.

Præterea probatur hypothesi. Quia vel  
species expressa quæ talis est formalis, & actualis  
representatio obiecti comparatione potentie cog-  
noscentiæ: & sic nequibit non representare illud  
tali potentie independenter ab eo, quod ipsa  
cognoscatur, vt patet: quia ipse representandi  
actus erit essentia eius; sicque species expressa,  
atque adeò verbum in eâ consistens aliud non  
erit à cognitione actuali obiecti, prout nos inten-  
dimus. Vel non est formalis, & actualis repræ-  
sentatio obiecti, sed obiectiva dumtaxat per mo-  
dum imaginis, quæ nisi accedat eius cognitio,  
non potest actu cognoscenti representare obie-  
ctum: & sic (præterquam quod nequibit illud re-  
presentare nisi cognita quoad suam physicam  
entitatem, & accidentia, vt in imagine externâ  
depictâ euenit; quod tamen alienum est ab expe-  
rientiâ, vt constat ex dictis) fiet vtique, vt om-  
nis cognitio medio mentali verbo perfecta (qua-  
lis secundum Spinulam est omnis possibilis) ne-  
cessariò sit ænigmatica, atque adeò non intuiti-  
ua, vt pote tangens obiectum non in ipso, sicuti  
est in se, immediatè, sed in ænigmate verbi sub-  
stituto pro illo; atque ita secundum Spinulæ do-  
ctrinam nec Beati, nec Deus ipse vllam cognitio-  
nem intuitiuam, & non ænigmaticam habebunt.  
Quod ingens absurdum est alienum à fide, vt est  
notum.

Denique præsentem hypothesim probant  
pleraque allegata pro primâ ex disp. 2. Phari q. 1.  
proposit. 2. quæ ad rem recognoscenda sunt. Po-  
stremoque inde probanda venit. Quia opposita  
Aduersariorum sententia absque vilo idoneo fun-  
damento ab ipsis adstruitur, vt ex solutione argu-  
mentorum, quæ pro se afferunt, constabit.

Sic primum. Variis speciebus visus, va-  
riatur obiectum eius in esse obiecti, quin varietur  
in esse rei, vt patet, quando per perspicillia  
conuexa apparet obiectum maius, quam est re-  
ipsa, & per concaua minus, & per multangula-  
ria multiplex, & per viridia viride, & per alia  
media contractum, quale non est re verâ, &c.  
Ergo visus non terminatur ad obiectum prout in  
se ipso existens, sed prout expressum in specie  
expressâ sui tanquam in suâ imagine. Quod est,  
ad solam ipsam speciem terminari immediatè  
prout continentem intentionaliter, siue repræsen-  
tatiuè ipsum obiectum. Etenim obiectum aliter,  
quam est in se, apparere non potest, nisi cognitum  
in imagine, seu substituto habente se aliter in se.  
Confirmatur primò; quia illud diuersum ab obie-  
cto, quod cernunt oculi, specie dumtaxat varia-  
tâ, aliquid est existens realiter: quia nequeunt  
oculi quidpiam videre non existens à parte rei.  
Sed non est existens extra oculos. Ergo est exi-  
stens intra. Intra autem aliud ab specie expressâ  
obiecti esse non potest, vt est notum. Confirma-  
tur secundò; quia, si, corrupto obiecto, conferuet  
Deus eius visionem, vt est citra dubium possibi-  
le, eodem modo apparebit illud, ac antea. Ergo  
antea non videbatur in se, sed in suâ imagine;  
alioquin semel corruptum nullatenus eodem mo-  
do, ac antea, apparere posset; cum non sit in se,  
eodem modo. Tum aliquod realiter existens vi-  
debant oculi ante corruptionem obiecti; idem-  
que ipsum vident post corruptionem: quia per-  
ma.

179

180

181

manet eadem visio eiusdem visi, vt supponimus. Ergo, quod antea videbant, & postea vident, non est obiectum, vrpote quod post sui corruptionem non est aliquid existens realiter. Erit ergo imago expressa obiecti, quæ in oculis & antea, & postea realiter existens est; aliud enim esse nequit, vt constat. Confirmatur tertio; quia, quando intellectus cognoscit chymzram impossibilem, non terminatur intellectio ad ipsam chymzram prout habentem aliquod esse in se; siquidem in se nullum habet; sed tantum prout habentem esse in ipso intellectu. At chymzra nullum in intellectu esse habet aliud ab eo, quod habet eius species expressa, seu verbum. Ergo ad hoc tantum terminatur intellectio.

182 Vt luculentius ad hæc respondeam, aduerto ex dictis in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. & disp. 13. q. 9. trifariam posse cognosci obiectum aliter, quam re ipsa est in se. Primo, si cognoscatur in substituto alieno; qualiter meâ sententiâ cognoscitur à nobis pro statu præsentis omne inensatum in phantasmate sensibili pro se subrogato. Vt sic enim aliud cognoscenti apparet obiectum ab eo, quod est in se re ipsa; cum non appareat in se, sed in alieno substituto. Qui quidem modus cognoscendi obiectum aliter, quam est in se, dumtaxat potest peragi per species alias, prout abundè explicatum est, & probatum q. illa 3. sæpe citatâ. Secundo, si cognoscatur obiectum, prout habens esse, quod in se reuera non habet, vt quando cognoscitur vt existens, quod re verâ non est existens. Quod & per proprias, & per alias species fieri potest, sæpeque fit. Tertio, si cognoscatur affectum aliquo accidente id, quod reuera affectum non est, vt quando concipitur album, quod reuera non est album, aut præsens in tali, aut tali loco, quod ibi verè præsens non est. Quod itidem tam per proprias, quam per alias species fieri potest, & sæpe fit. Nam hoc aliud non est, quam concipere eiusmodi accidens vt existens taliter, qualiter verè non est existens. Quo modus iste tertius cognoscendi obiectum aliter, quam est in se, ad secundum reducitur.

183 Posse autem concipi etiam per proprias species vt actu existens, quod verè non existit manifestum est, & prorsus certum apud omnes. Nam cognoscentes per proprias species etiam Deus ipse, cum negant existere, quod verè non existit, non possunt non apprehendere, atque adeo concipere ipsam actualem existentiam, quam negant. Tum quando ex hypothesi alicuius existentia, quæ verè non datur, aliud quidpiam conditionatè iudicant, ipsam existentiam apprehendunt. Quod & in alijs etiam casibus sæpe euenit. Quo pacto sensus non solum interni, sed etiam externi, qui per proprias species cognoscunt, sæpe concipiunt vt existens, quod existens verè non est, de quo nullum est dubium. Quod autem obiectum verè non existens possit etiam per propriam speciem cognosci vt existens in se immediatè citra interuentum verbi obiectiui, in quo cognoscatur, æquè ferme manifestum est mihi contra Aduersarios, cum quibus ago. Nam, vt potest apud eos eiusmodi verbum obiectiui per se immediatè, & sine interuentu alterius verbi obiectiui expressè representare existentiam, quæ verè non datur. Ita apud me absque interuentu vilius verbi obiectiui potest id ipsum præstare ipsa actualis, & formalis cognitio, quæ verbum formale propterea est. Id quod plerique Theologi, Philosophique iure asseuerant contra Thomi-

stas quosdam paucos, vt vidimus.

Hinc ad argumentum oppositum n. 181. re-  
spondeo, quoties in casibus in eo propositis fallitur visus, fallaciam consistere, non quidem in eo, quod tangat aliquid loco obiecti, quod videre dicitur, & per cuius speciem propriam ad visionem determinatur; sed, quod illud tangat affectum accidente aliquo, quod verè non habet; nimirum aliquâ præsentia locali verè non existente. Species quippe impressa sensibilis propriæ virtutem habet representandi ipsum sub hoc, aut sub illo sensibili communi, atque adeo sub hac, aut illâ præsentia locali, (ad quam tandem omne sensibile commune reducitur), penes diuersum modum, quo pingitur in sensiterio, siue penes diuersas partes eius, quibus imprimitur. Quod fit, vt sæpe representet sensibile proprium sub sensibili communi, quod verè non habet; quod est representare illud in ipsomet immediatè, & simul representare præsentiam aliquam localem eius verè non existentem, etiam in ipsamet immediatè absque interuentu vilius medij verbi, aut cuiusvis rationis substituti obiectiui. Hinc, quando obiectum per perpiciat, aut aliter cernitur in pluribus locis, reuera non apparet multiplicatum; (hoc enim esset apparere plura loco vnus, atque adeo obiectum non in se, sed in alieno substituto cognosci, vt euenit, cum intellectu cognoscenti per species alias apparet plura, quod in re est vnum) sed apparet affectum pluribus præsentijs, quas verè non habet. Et, cum cernitur maius, aut minus, aut alterius figuræ, aut situs, quam re ipsa est, reuera non representatur aliud loco obiecti, quod cerni dicitur, sed ipsummet in se ipso representatur cum præsentia tamen maiore, aut minore illâ, quam habet, atque adeo verè non existente, sicut apparet. De quibus omnibus plura sunt dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. quæ ad rem poterunt recognosci. Ex quibus, quid ad argumentum, & ad eius confirmationes sit respondendum, palam est. Supposito enim, quod aliquid non existens reuera per propriam speciem, atque adeo in se ipso immediatè cognosci potest vt existens, atque adeo habere esse fictitium in sui cognitione obiectiue, quod verè non habet in se, impertinentisque subinde est respectu talis cognitionis, quod tale obiectum sit, aut non sit in se, vt cognoscitur, prout constat ex dictis. Nec argumentum, nec eius confirmationes præstant aliquid contra nos, vt patet.

184 Secundo obijicitur ex Spinulâ. Quando cognitio est falsa, obiectum eius non est in se re ipsa sicuti est expressum in intellectu. Ergo non cognoscitur in se, sed in suâ intellectuali expressione; hoc est, in suâ specie expressâ, seu verbo; atque adeo, non quoad esse quod habet in se, sed quoad esse, quod habet in suâ specie expressâ, cognoscitur. Quod ipsum est, non obiectum, sed tantum eius speciem expressam, seu verbum tangi formaliter per cognitionem; obiectum autem idcirco materialiter denominari cognitum; quia verbum expressum eius pro eo sub cognitionem cadit. Quod si in cognitione falsâ ita euenit, & in verâ ita euenire, dicendum est: quia eadem, quod ad rem attinet, de vtrâque ratio est. Et confirmatur primò; quia species expressa, seu verbum, imago formalis obiecti est. Ergo in se habet formaliter formam obiecti expressam, siue esse expressum obiecti; nequit enim imago, expressiove formalis obiecti non continere in se ipsâ obiectum expressum; siquidem exprimere obiectum, & obiectum.

obiectum expressum esse, prorsus est idem. Sed obiectum secundum esse tantum expressum, quod habet in verbo, ab ipsoque verbo est indistinctum, cognoscitur ab intellectu. Ergo cognosci obiectum ab intellectu, aliud non est, quam cognosci verbum, ut est formalis expressio eius. Confirmatur secundò; quia idem est terminus formalis, & immediatus intellectus, qui est productionis intellectualis, cum sit formaliter idem productio intellectualis, & intellectio. Sed terminus formalis, & immediatus productionis intellectualis sola est species expressa, seu verbum, non item obiectum in esse rei, quod non producitur ab intellectu. Ergo sola species expressa, seu verbum est terminus formalis, & immediatus intellectus; obiectumque eatenus denominatur cognitum, quatenus in ipso verbo continetur expressum. Confirmatur tertio; quia fieri potest, ut obiectum in re varietur transiendo de esse ad non esse, aut de non esse ad esse: quin eius cognitio, eiusque verbum varietur. Ergo obiectum non in se, ubi patitur variationem, sed in ipso verbo, ubi inuariatum perseverat, cognoscatur, necesse est. Repugnat enim, cognitione inuariata, obiectum eius immediatum, formaleque variari; alioquin, posset ea inuariata modò esse cognitio huius obiecti, modò autem non, sed alterius; aut etiam nullius. Quod est chymericum, ut constat.

186 Omnia hæc ex dictis nuper nullo negotio diluuntur. Respondeo ad argumentum, nullum obiectum cognitionis falsæ, quod eo ipso quâ tale fictitium est, cognosci in sua specie expressâ, seu verbo, prout Aduersarij censent, sed vel in phantasmate substituto, si cognitio habita sit per speciem alienam; vel in se ipso, si per propriam iuxta doctrinam datam in Pharo disp. 2. q. 5. In quo obiectum cognitionis falsæ, & obiectum cognitionis veræ nullatenus differunt. Differunt tamen, quòd obiectum cognitionis veræ non solum in sua cognitione obiectiue, sed etiam in se re ipsâ habet esse: obiectum autem cognitionis falsæ solum habet esse obiectiue in sua cognitione. Quod fieri posse, etsi cognitio per propriam speciem habita sit, ipsumque obiectum subinde per se, siue in se immediatè, & formaliter representatur per illam, ex dictis circa argumentum primum liquidum est. Ad primam confirmationem dico, ex eo, quòd verbum sit imago, expressiove formalis obiecti, solum sequi, obiectum esse formaliter expressum, suæ representatum per verbum: quo iure metaphoricè dicitur esse, existere ve in verbo obiectiue, (ut quoduis prototypon in sua imagine), quin sit illo modo cum ipso verbo identificatum. Exprimatur enim per verbum, quoad ipsum esse à verbo distinctum, & secum identificatum, quod vel in se habet, si in se re ipsâ est, ut concipitur, vel haberet, si esset. Vnde cognoscere obiectum quoad esse per verbum expressum, nullatenus est cognoscere verbum; sed aliquid à verbo diuersum. Ad secundam confirmationem nego, eundem esse terminum immediatum productionis intellectualis, & intellectus: quia productio intellectualis, & intellectio ne realiter quidem sunt idem, nedum formaliter. De quo in Pharo disp. 2. q. 1. Ad tertiam dico, estò, inuariatâ cognitione, varietur obiectum in se re ipsâ, eatenus tamen non variari in ratione obiecti, quatenus cognitio inuariata eiusdem semper obiecti cognitio est. Quod fieri potest, estò illud, cognitione inuariatâ, de esse ad non esse transeat, vel vice versa: siquidem eodem modo

potest cognosci existens obiectum, siue illud existat, siue secus, ut constat ex dictis. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facile quisque diluet.

187 Et infero imprimis contra Spinul. malè ab ipso subnixo doctrinæ, quam reieciimus, negari contra communem, dari entia rationis ficta tum disp. 4. de Anim. supra citatâ sec. 4. tum disp. 4. logic. sec. 2. primò quidem; quia doctrina, cui subnititur falsa est, ut vidimus. Secundò; quia estò vera esset, adhuc entia rationis ficta neganda non erant. Quoniam negari nequit, per cognitionem falsam cognosci aliquid, quod verè non est, siue illud in se immediatè, siue in verbo mentis, siue in alio quouis medio cognosci dicatur. Quod cognitum, cum verè non sit, ex vnâ parte ab omni verbo mentis verè existente necessariò est distinctum; ex aliâ verò hoc ipso, quòd cognitum est, in sui cognitione obiectiue dicitur esse, seu existere; non quidem existentia physicâ, & propriâ, sed existentia tantum obiectiua, intentionaliue, & metaphoricâ: quam existentiam intentionalem, seu metaphoricam omne obiectum reuerà habet in sui cognitione eo ipso, quòd per illam reuerà est cognitum. Quòd si obiectum in se non sit à parte rei, sicut cognoscitur, atque adeò sicut obiectiue, siue intentionaliter est in sui cognitione, uti euenit, quoties cognitio est falsa; tunc tale obiectum dicitur ens rationis fictum; tam certumque est, illud reuerà dari, quàm certum est, illud reuerà cognosci, (quocunque demum modo cognosci dicatur); atque adeò reuerà existere intentionaliter, & metaphoricè in sui cognitione, cum physicè non existat in se. Quod dumtaxat intendunt omnes, qui, dari reuerà entia rationis ficta, citra omne dubium asseruerant. Quam existentiam intentionalem, & metaphoricam obiectorum quia non animaduertit Spinula, multa non bene circa præsentem materiam & contra commune, indubitatumque Doctorum placitum opinatus est.

188 Deinde infero contra eundem, malè etiam ab ipso per suam prædictam, & à nobis refutatam doctrinam expeçiti difficultatem de præcisionibus obiectiuis, quas nobiscum defendit: siquidem in falsâ doctrinâ nihil verum fundari potest. In eo tamen ad nos, & ad veritatem accedit Spinula, quòd præcisiones obiectiuis oriundas facit à distinctione substitutorum obiectiuorum, in quibus obiectum præcindendum cognoscitur. Fallitur tamen; quia putat, huiusmodi substituta obiectiua esse verba mentalia ab omni specie expressa, ab omni cognitione indistincta; atque adeò omni cognoscenti etiam per species proprias communia. Cum tamen substituta obiectiua, à quibus præcisiones obiectiuis suam trahunt originem, sola sint obiecta propria earum specierum, quibus ad alia cognoscenda intellectus utitur, qui compos est ad cognoscendum per species alias, qualia apud nos pro statu præsentis videntes sensibilibus obiectorum proprijs speciebus phantasmata sunt sensibilibus, in quibus ut in substitutis cognoscimus cuncta insensata; Quæ subinde substituta obiectiua cum præcisionibus obiectiuis ab eis oriundis ijs dumtaxat, qui cognoscunt per species alias, non verò item ijs, qui per proprias, conuenire possunt, ut pluribus est à nobis ostensum in Pharo Scient. disp. 13. q. 9. & seqq. quæ ad rem videndâ. Mitto alia plura ad naturam, & proprietates cognitionis spectantia, quæ contra commune Doctorum placitum profert insuper ipse Spinula in dictâ suâ doctrinâ fun-

fundatus, ex dictisque à nobis contra illam facile veniunt ab vnoquoque refellenda.

## Hypothesis 3.

189

Verbum mentale nostrum in duo membra distinguendum videtur consentaneè ad modum loquendi S. Augustini, & S. Thomæ; nempe in formale, & obiectivum.

Ita quidem, vt verbum formale dicatur species expressa physicè ab intellectu producta, quæ formalis est obiecti cogniti representatio, & in qua consistit cognitio iuxta sententiam nostram statutam in Pharo disp. 2. q. 1. Verbum autem obiectivum dicatur, non quidem ipsa species expressa, aut aliud quidpiam physicè ab intellectu productum, in quo vel tanquam in medio determinante, vel tanquam in substituto cognoscatur obiectum, vt opinati sunt Auctores reiecti à nobis hypoth. 1. & 2. sed ille conceptus obiectivus, quem de vnaquaque re à nobis intelligenda per alienam speciem format intellectus noster intentionaliter ex phantasmate obiectiuo sensibili, in quo illam, non vt in medio determinate, sed vt in substituto cognoscit, iuxta doctrinam stabilitam in dicta Pharo disp. 2. q. 3. & sæpe aliàs in superioribus commemoratam. De quo etiam duplici genere verborum in eadem disp. 2. q. 1. & 3. num. 26. 31. & 85. mentionem fecimus. Etenim, si species expressa iure appellatur verbum mentale iuxta dicta in eà q. 1. quia verbo vocali assimilatur, quatenus notificat nobis rem cognoscendam, quam alijs, cum quibus loquimur, notificat verbum vocale, non minori iure dictum phantasma substitutum, siue conceptus obiectivus per illud de re cognoscenda ab intellectu nostro formatum verbum mentale dici potest, quatenus & nobis etiam suo modo rem ipsam notificat, & magis adhuc, quam species expressa verbo vocali assimilari videtur, vt pote quod pro re ipsa cognoscenda obiectiuè subrogatur respectu nostri, pro qua obiectiuè etiam respectu aliorum, cum quibus loquimur, subrogatur verbum vocale.

190

Quod quidem duplex genus verbi mentalis videtur agnouisse, nisi ego fallor, S. August. & S. Thom. & ex eis alij varijs in locis suorum operum. Ait enim S. August. lib. 8. de Trinit. cap. 6. sic & Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præstò est apud me phantasma eius. Cum enim à multis audivissem, & credidissem, uaguam esse illam urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem eius, quam potui, & hoc est apud me verbum eius. Ecce phantasma, siue imaginem obiectiuam cuiusdam magnæ urbis subrogatam ab intellectu pro Alexandria concipiendâ verbum mentale eius appellat. De quo eodem verbo mentali obiectiuo loqui haud dubiè videtur, quorundam ait, illud per verbum vocale externum significari; tum quia voces ad significandum potius nostros conceptus obiectiuos, quam nostros conceptus formales sunt instituta, vt est notissimum: tum quia satis clarè se explicuit lib. 15. de Trinit. cap. 10. dum ait. Inuenta sunt etiam litteræ, per quas possemus & cum absentibus colloqui, sed ista signa sunt uocum, cum ipse uoces in sermone nostro earum, quas cogitamus, signa sint rerum. Proinde verbum, quod foris sonat, signum est uerbi, quod intus lucet. En pro eodem usurpat rem cogitatam à

nobis, seu conceptum obiectiuum nostrum, & verbum nostrum internum, siue mentale per verbum externum, siue vocale significatum. Accinit S. Ansel. in Monol. cap. 3. 4. dicens, *Cum enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cognitione uerbum est.* Compertum est enim, loqui cum de imagine hominis obiectiuè captâ per sensum, pro ipsoque absente homine subrogatâ. De eodem genere uerbi mentalis obiectiuè videtur loqui S. Thom. quorundam illud ponit ex parte obiecti cognitum per intellectionem. Quod præstat lib. 1. contra Gent. cap. 5. & 53. & lib. 4. cap. 11. ubi uerbum mentale nostrum intentionem intellectam appellat; subiungitque, *Vnde oportet, quod in homine intelligente se ipsum, uerbum interius conceptum non sit homo uerus naturale esse hominis habens, sed sit homo intellectus tantum.* Hoc est, id, quod apud nostrum intellectum est homo, cum in se reueta homo non sit; nempe phantasma sensibile pro intelligendo homine substitutum. Et q. 4. de Verit. art. 1. in corp. dicit, *Verbum uocale ad hoc nobis exprimitur, ut interius uerbum manifestetur: unde oportet, quod uerbum interius sit illud, quod significatur per uerbum exterius; uerbum autem, quod exterius profertur, significat id, quod intellectum est, non ipsum intelligere.* Quid clarius ad rem? Art. autem 2. sæpeque alibi similia habet, & Opusc. 14. dicit, *Verbum esse intellectum principale, quia res non intelligitur, nisi in eo: est enim tanquam, in quo res ueritur.* Similiaque dixerat Opusc. 13. sæpeque alibi. Recolantur insuper alia, quæ ad rem ex S. Tho. adduximus in citatâ Pharo disp. 2. q. 3. num. 85. etiam citato, Consentiant Aureol. in 1. dist. 27. 1. p. dist. dicens, *uerbum mentale nostrum esse ipsum obiectum sub esse apparenti, seu in esse prospecto, & formato; & alij apud ipsum 2. p. dist. dicens, uerbum mentale esse idolum speculari fabricatum ab intellectu, in quo speculari rem positam extra mentem.*

Iam uero quod etiam speciem expressam, in qua intellectio nostra consistit iuxta sententiam communiorum, vel certè intellectionem ipsam uerbum mentale nostrum appellent S. Aug. & S. Tho. ex alijs ipsorum locis constare videtur. S. August. enim lib. 9. de Trinit. cap. 7. ait, *Atque inde conceptam rerum ueram notitiam tanquam uerbum apud nos habemus.* Et lib. 15. cap. 10. *Cogitatio nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde format uerbum nostrum uerum est.* Et serm. 20. de Sanctis, *Verbum esse definiunt ipsam cognitionem, quæ adhuc intra conscientia secreta resinetur.* S. Thom. autem lib. 4. contra Gent. cap. 11. ante medium ait, *Vnde & ipsa intellectio uerbum interius nominatur.* Et in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. in corp. *Vnde, inquit, oportet, quod uerbum, vel dicatur ipsa operatio intelligendi; vel ipsa species (utique expressa), quæ est similitudo rei intellectæ, & sine utroque istorum non potest quis intelligere. Utrumque enim istorum est id, quo quis intelligit formaliter: & idcirco impossibile est, quod, accipiendo hoc modo uerbum, aliquis intelligat nisi uerbo intellectus sui.* Vide ad rem plura in Pharo nostrâ disp. 2. q. 1. proposit. 7. citatâ. Consonat huic modo loquendi de uerbo mentis Damasc. lib. 1. Fidei cap. 18. ubi *Verbum, inquit, est naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligitur, & cogitatur.* In eundemque conspirant plerique Theologi, vt constat ex dictis.

Stet itaque consentaneè ad modum loquendi doctorum Patrum, & Theologorum duplex in nobis



nobis verbum mentale afferendum esse. Alterum formale consistens in ipsâ specie expressâ, seu cognitione, quod formaliter notificat intellectui rem cognitâ; quin opus sit, vt ipsum ad id cognoscatur. Alterum obiectiuum consistens in conceptu obiectiuo, quod intellectus, non quidem physice, sed intentionaliter sibi format ex phantasmate obiectiuo sensibili pro re insensatâ cognoscendâ subrogato, seu substituto; quodque subinde illam notificat intellectui, non formaliter, sed obiectiue, quatenus loco eius, atque adeo gerens vicem eius ab intellectu cognitum est, prout dictâ disp. 2. Phari q. 3. sæpe citatâ fusiùs est explicatum. De quo verbo mentali censendi sunt loqui S. August. & S. Th. quoties dicunt, in verbo tanquam in aliquo obiectiuo, & cognito cognosci rem intelligendam.

Progressio ad resolutionem quæstionis.

Propositio I.

193 Visio beatifica absque specie expressâ, atque adeo absque verbo mentis formali expressiuo essentia diuinæ constare non potest.

Hæc propositio imprimis probatur ex illo 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* Videtur enim Ioannes loqui, vt aliqui Interpretes opinantur, de similitudine intentionali futura in videntibus clarè Deum qualis est species expressâ, seu verbum expressiuum Dei, iuxta illud August. lib. 14. de Trinit. cap. 17. dicentis, *Tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio, de qua dicit Apostolus Ioannes; cum apparuerit, similes ei erimus, &c.* Et clariùs ad rem lib. 9. cap. 11. *In quantum Deum nouimus, similes sumus; sed non ad æqualitatem similes: quia non tantum eum nouimus, quantum ipse se. Et quemadmodum, cum per sensum corporis discimus corpora, sit eorum aliqua similitudo in animo nostro: ita, cum Deum nouimus, illa notitia verbum est, & sit aliqua similitudo; tamen inferior: quia in inferiore naturâ est. Creatura quippe animus. Creator autem Deus.* Insuper lib. 15. cap. 16. ait. *Cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum, &c.* Quibus adeo apertè videtur August. stare pro sententiâ nostrâ, vt nullâ congruâ expositione videatur posse ab illâ diueri; præsertim si legatur contextus. Pro eadem stat Ansel. in Monol. cap. 31. adeo expressè, vt non sit necesse verba eius transcribere. Stat etiam S. Th. apertè in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. verbis à nobis relatis nuper n. 191. vt constat ex ipsis.

194 Secundò probatur propositio à priori. Quia certum apud omnes est, visionem beatificam actum quemdam esse creatum, quo intellectus Beati intuitiue cognoscit Deum; cum certum sit, per cognitionem increatam neutiquam posse creaturam quidpiam cognoscere. Ergo visio beatifica absque expressâ representatione, atque adeo absque expressâ similitudine, seu specie, seu verbo formali Dei expressiuo constare nequit. Probo consequentiam. Quia impossibile est, intellectum cognoscere iuxta omnium communem conceptionem, & manifestam experientiam, quin repræsentet sibi id, quod cognoscit. Repræsentate autem sibi id, quod cognoscit, & habere

in se eius representationem; speciemve expressam, seu verbum formale, idem est prorsus. Ob id namque per cognitionem dici solet obiectum trahi, præsentique fieri cognoscenti intentionaliter, siue representatiue. Ob idque etiam Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 10. dixit. *Formata quippe cogitatio ab eâ re, quam scimus, verbum est.* Nequit igitur visio beata sine specie expressâ, atque adeo sine verbo formali expressiuo Dei reperiri. Et confirmari potest. Quia, si de conceptu cognitionis non est ferre secum hoc, quod est, exprimere, repræsentareque cognoscenti obiectum, impertinenter adstruitur species expressa, seu verbum, vt omnes adstruunt in cæteris alijs cognitionibus. Si autem est; malè in visione beatâ negatur, cui minimè potest negari conceptus cognitionis.

195 Secundò probatur propositio contra Thomi stas. Aut illa operatio intellectus immanens, in qua secundum eos consistit visio beatifica, est actio physica spectans ad prædicamentum actionis; aut est actio grammaticalis, vt vocant, ad aliud prædicamentum pertinens? Si primum; nequibit carere termino producto per ipsam: quia actio physica essentialiter est productio, atque adeo alicuius producti: qui quidem terminus nequit non esse aliqua qualitas representatiua obiecti, atque adeo species expressa, seu verbum formale. Id namque supponunt ipsi Thomistæ: ob idque, ne talem speciem, seu verbum concedant, huiusmodi terminum negant, præter Gonzalez; qui admittens illum, dum in vnione intentionali constituit, re ipsâ admittit quoque ipsum verbum: quia vnio intentionalis obiecti cum potentia aliter fieri non potest, quàm mediâ representatione, qua obiectum trahi ad potentiam, cum eâ coniungi, & vniri intentionaliter dicitur. Quod ipsissimum munus speciei expressæ, seu verbi est. Si verò dicatur secundum, visionem scilicet beatificam actionem merè grammaticalam esse; id certè non tollit, eam esse speciem expressam, seu verbum formale: quia etiam tale verbum est actio grammaticalis ex suo conceptu; videlicet representatio, & expressio obiecti. In idemque recidit, intellectum videre obiectum, atque illud sibi repræsentare, & exprimere iuxta dictâ.

196 Tertiò. Quòd Deus sit intimè præsens physice intellectui Beatorum, & quòd sit summè intelligibilis, non tollit, vt Thomistæ prætendunt, verbum formale expressiuum eius requiri ad hoc, vt à Beatis videatur: quia præsentia physica, & intelligibilitas summa non facit eum intentionaliter præsentem, prout requiritur ad visionem; neque aliunde, quàm à tali verbo expressiuo sui præsentiam intentionalem potest habere. Quod confirmatur primò. Quia nihil magis præsens physice, quàm mens creata sibi ipsi; & tamen, vt se ipsam intelligat, eiusmodi verbo expressiuo sui indiget, vt consentent ipsi Thomistæ. Secundò confirmatur. Quia visio beatifica possessio Dei est citra omne dubium addens sui præsentiam Dei physicam aliquod aliud genus præsentia, seu coniunctionis; (qualis ad omnem possessionem est necessaria, iuxta vniuersitatem naturam). Talis autem præsentia, siue coniunctio alia ab intentionali esse nequit, quæ effectus formalis speciei expressæ, siue verbi formalis est.

197 Verùm contra præsentem propositionem obijcitur primò. Deus est actus purissimus infinite perfectus. Ergo per similitudinem creatam mixtam potentialitate, alijsque imperfectionibus

bus nequit representari, ut est in se: quia talis representatio quadamtenus debet proportionari, & adæquari obiecto. Ob id enim similitudine corporali nequit representari spiritus; quia non ita proportionatur; & magis distat Deus à creaturâ, quàm spiritus à corpore. Imprimis hoc argumentum, si quid probat, probat haud dubiè, etiam visionem beatificam esse impossibilem; quod tamen est erroneum. Ex quo patet, illud nihil probare. Etenim visio beatifica non potest non secum ferre similitudinem aliquam formaliter expressiuam Dei, qualis est species expressa, seu verbum expressiuum eius, ut constat ex dictis. Et quidem, cum, nullâ cognitione corporeâ, censeant Thomistæ, spiritum videri posse intuitiue, si paritas esset ad rem, nullâ cognitione creatâ posse Deum intuitiue videri, erat inferendum ex illâ. Quod tamen est absurdum. Respondeo ergo, inter formalem representationem, & obiectum solum requiri proportionem, ac veluti æqualitatem intentionalem, qualis inter Deum, & verbum formale creatum possibilis est: quantumuis quoad perfectionem physicam ab inuicem infinite distent: sicuti inter Deum, & visionem est asserenda ab omni Catholico, non obstante tali distantia. Quod si verò spiritus per verbum formale corporeum nequit representari, per cognitionemve corpoream nequit cognosci, (quod sub lite est, de quo alibi), id quidem non ab inæqualitate physicâ inter ea duo reperta censendum est nasci; sed à defectu virtutis adhuc inchoatæ reperto in facultate corporeâ ad cognoscendum, siue representandum spiritum, sicuti est in se; qualis non reperitur in intellectu creato ad videndum Deum intuitiue iuxta doctrinam traditam supra q. 1. & 7.

198 **Secundò obijcitur.** Qui medio verbo producto cognoscit aliquid, in ipso verbo ut in imagine cognoscit. Igitur non cognoscit illud immediate in se ipso, prout ad visionem intuitiuam requiritur. Ergo impossibile est, videntes Deum intuitiue medio verbo à se producto videre. Nego antecedens. Quia in verbo ab intellectu producto, de quo modò agimus tanquam in aliquo cognito non cognoscitur obiectum; sed ipsum verbum citra reflexam sui cognitionem est formalis representatio, aut etiam cognitio ipsius obiecti, ut constat ex dictis. Quo tota obiectio ruit. Quomodò autem nec verbum, aut aliud quidpiam cognitum ut medium determinans impediatur intuitionem obiecti, tamen si cognitum ut substitutum impediatur, ex dicendis propos. 2. & 3. constabit.

### Propositio 2.

199 **Cognoscere Deum in alio quopiam,** tanquam in substituto, atque adèò medio verbo obiectiuo exposito à nobis supra hypoth. 3. & Deum per talem cognitionem, videre intuitiue, siue, sicuti est in se, prorsus sunt incompatibilia.

Quia, ut constat ex doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. & sæpè aliàs repetitâ, quod cognoscitur in alio tanquam in substituto, eo ipso non, ut est in se, sed aliter, quàm est in se, cognoscitur: quia aliud ab eo, quod est in se, nimirum substitutum ipsum à se diuersum apparet cognoscenti. Ergo, si Deus cognoscatur in

alio tanquam in substituto, (vt à nobis pro presenti statu cognoscitur), eo ipso non, ut est in se, atque adèò neque intuitiue, sed aliter, quàm est in se, per talem cognitionem cognitus erit. Cognoscere igitur Deum in alio tanquam in substituto, & Deum per talem cognitionem videre intuitiue, siue, sicuti est in se, prorsus sunt incompatibilia, ut propositio nostra fert.

Ex qua colligo primò, si Deus in specie expressâ sui ut in substituto necessario cognosceretur, uti opinatur Spinula refutatus hypoth. 2. fore utique, ut à Beatis non, sicuti est in se, sed aliter, quàm est in se cognosceretur. Quod est contra fidem. Ut ibi etiam inferebam ex Spinulæ opinione.

Secundò colligo, vbiunque S. Th. negat Deum intuitiue, siue, sicuti est in se, per similitudinem creatam cognosci posse, de similitudine obiectiuâ, per quam Deus tanquam per sui substitutum cognoscatur intelligendam esse doctrinam eius: hoc enim pacto intellecta verissima est, ut constat ex præsentate proposit. Per similitudinem enim formalem, qualis est species expressa Dei, imò & ipsa Dei visio, optimè potest Deus cognosci intuitiue, ut dictum propos. 1. atque etiam per similitudinem obiectiuam, in qua non ut in substituto cognoscatur, sed ut in medio determinante, ut dicendum proposit. 3. Quare neutrum horum censendum est negari à S. Th. sicut nec posse cognosci Deum intuitiue per similitudinem tantum virtualem, qualis est species impressa, causatiua cum intellectu visionis, iuxta infra dicenda disp. 19. Vbi de hoc puncto redibit sermo.

### Propositio 3.

**Cognoscere Deum in alio quopiam,** tanquam in medio determinante, & ipsum per talem cognitionem intuitiue, siue, sicuti est in se, cognoscere, benè coherent inter se.

Quia cognoscere quoduis obiectum in alio tanquam in medio determinante, aliud non est, ut supra notauimus, quàm cognoscere distinctè vtrumque; tamen, ut vnum aut per se, aut per sui cognitionem determinet intellectum ad cognoscendum alterum. Hoc autem benè stare potest cum eo, quòd vtrumque, sicuti est in se, siue intuitiue cognoscat. Ita enim iuxta commune Theologiam cognoscit Deus creaturas in se ipso, in sua omnipotentia, vel in sua scientia, & vnam creaturam in aliâ, & se in creaturis; & tamen hæc omnia, ut sunt in se, siue intuitiue cognoscuntur à Deo. Cum prorsus repugnet, quidpiam à Deo aliter, quàm est in se, cognosci, ob manifestam imperfectionem huiusce cognitionis. Itaque nihil est, quod vetet, Beatum in quavis creaturâ connexâ cum Deo, vel in visione beatificâ alterius Beati tanquam in medio determinante, cognoscere Deum, uti est in se, siue intuitiue. Quemadmodum Deus in quavis creaturâ, in quavisque visione beatificâ creatâ se ipsum, sicuti est in se, cognoscit, siue intuitiue. De quo plura dicenda sunt in tract. de Scientiâ Dei.

Ex hac propositione infertur, Thomistæ, qui putant, verbum mentale esse aliquid ab intellectu productum, in quo tanquam in medio determinante cognoscitur obiectum, non benè negare huiusmodi verbum compatibile esse cum visione intuitiuâ Dei. Constat enim ex præsentate proposit. benè illud, si daretur, posse cum eâ coherere.

Propositio 4.

104 **U**t de reliquis intellectiōibus, ita de visione Dei intuitiua philosophandum est, quod attinet ad assignandum illud, in quo ipsa consistit.

Quia supposito, quodd intellectus videntis Deum intuitiue producit speciem expressam, seu verbum formale expressiuum ipsius Dei, iuxta dicta propof. 1. æquè, ac cuius intellectus producit speciem expressam, seu verbum formale expressiuum cuiusvis obiecti à se cogniti, prout statuitur in Pharo Scient. disp. 2. q. 1. non est, cur de visione Dei intuitiua aliter, quam de reliquis intellectiōibus, in præfenti philosophemur. Itaque, prætermittis alijs sententijs in eâ questione, relatis, visio intuitiua Dei iuxta nostram ipsi statutam in vniuersum in specie expressa consistit producta ab intellectu creato per superadditam actionem, vniã tamen eidem non mediã vniõne superadditã, sed per se ipsam instar cuiusdam modi eius. Cuius assertiōnis probatio ex vniuersali doctrinã in dictã q. propof. 1. traditã petenda est.

DISPUTATIO XVIII.

De supernaturalitate visionis intuitiue Dei.

**Q**uia multa, quæ de supernaturalitate visionis Dei possunt in præfenti, atque etiam solent tractari, alijs supernaturalibus entibus communia sunt: idcirco Theologi præsertim Recentiores de ente supernaturali, siue de supernaturalitate in genere solent in præfenti multa dicere. Quod & nos in hac disp. illis morem gerentes gratiã vniuersalitatis doctrinã præfate decreuimus.

QVAESTIO I.

Quos modis dicatur aliquid supernaturale.

**N**atura à nascendo dicta multifariam vsurpari solet. Primò pro natiuitate, siue generatione. Secundò pro essentia, seu quidditate cuiusvis entis vniuersè. Tertiò specialitèr pro essentia, siue substantiã suppositi vt condistinctã à substantiã: quo sensu dicimus, substantiam esse terminum, seu complementum naturæ: atque ita in Christo Domino esse duas naturas cum vnã substantiã, seu personalitate: in Deo autem vnicam naturam cum tribus personalitatibus. Quartò sumitur natura pro rerum creaturarum vniuersitate. Quo pacto dicunt Theologi cum S. Th. 1. p. q. 105. art. 7. miraculum totius naturæ vim superare. Quintò accipitur paulò contractiùs pro congregatione causarum secundum instam, innatamve propensionem operantium: quomodo dicere solemus, naturam nihil facere frustra, abhorrere vacuum, odisse superfluum, &c. Hinc

sexto præfati Philosophi interdum nomen naturæ ad solam primam causam contrahebant, dum dicebant, cuncta esse facta per naturam. Septimò apud Arist. lib. 2. Physic. cap. 1. natura est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundum accidens. Octauò denique, quia præter ea, quæ iure creationis substantijs creatis sunt debita, plura illis Deus dona confert ex meritis Christi gratuito, & supra exigentiam ipsarum; pro eâ rerum collectione, cum quibus hæc dona tanquam indebita comparantur, à Patribus, & Theologis natura vsurpatur. Qua acceptiōne ordinem naturæ ab ordine supernaturali, & gratiæ solemus seiuungere. Quam autem entia natura sic vsurpata sub se complectatur, vberitèr infra explicandum est.

Hinc naturale tot ferè modis, ac natura, accipi solet. Primò enim dicitur naturale, quod natiuitate, seu origine comparatur. Secundò, quod cuiuslibet entis naturæ, seu essentiæ quoquo modo est conueniens, & consentaneum: quæ acceptiō est latissima: quia non solum consentanea naturæ debita, sed etiam indebita amplectitur. Tertiò vocari solet naturale, quod ratione naturæ, non verò ratione substantiæ supposito conuenit: siue id sit debitum, siue non debitum. Quartò naturale dicitur, quod opponitur miraculoso: & quia de ratione miraculi est esse infuetum, omnia in Mundo non infueta, quantumuis ad ordinem gratiæ pertineant, naturalia hoc sensu vocantur, vt videre est in Aug. lib. 26. contra Faustum cap. 6. Quintò naturale dicitur, quod non est liberum: quo pacto etiam actum charitatis naturæ indebitum naturalem esse dicimus, cum liber non est, vt in Beatis. Sextò ens, quod principio motus constat naturale vocatur; & quod ab eius natiua propensione nascitur, naturale dicitur; opponiturque violento, quod ab extrinseco, & contra internum impetum entis ipsi solet impingi. Septimò denique naturale dicitur à Theologis, quod intra naturæ vires, & exigentiam, seu ius, aut debitum continetur, sumendo naturam in octaua acceptiōne data n. præced. quodque subinde supernaturale non est, neque ad ordinem gratiæ pertinet, sed naturæ. Aduerto tamen circa hanc acceptiōnem, quæ sola ad rem præfentem facit, naturale in hoc sensu præter ea, quæ naturæ sunt debita, ea etiam comprehendere, ex quibus natura ipsa coalescit, vt latius explicabo infra q. 2.

His positis, supernaturale, vt nomen ipsum præ se fert, idem est, quod supra naturam. Vnde, quicquid quomodolibet supra naturam est alioquo ex prædictis modis acceptam, supernaturale vocari posset. Quamquam bifariam dumtaxat reperitur hæc vox vsurpata. Primò apud Philosophos pro eo, quod est supra naturam sumptam pro principio motus, & quietis, siue supra ens ab illã dictum naturale, quod est obiectum Physicæ, superioritate quadam vniuersalitatis: qualia sunt ea, de quibus Metaphysica tractat; quæ proinde scientia supernaturalium, seu scientia supernaturalis conuenit vocari, vt notauit P. Fonseca in præmio Metaph. cap. 8. Secundò apud Theologos & ad rem nostram pro eo, quod est supra vires, supra omneque debitum, aut etiam exigentiam naturæ, quamdamque superioritatem, & excellentiam supra illam habet. Quo sensu non solum apud Scholasticos, vt Recentiores quidam putant, sed apud Patres etiam habet vsum prædicta

vox, vt videre est in Dionys. epist. 4. ad Caium, Damasc. lib. 3. de Fide cap. 15. & lib. 4. cap. 12. 14. & 15. aliisque in locis, & Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 13. & 14. Patres etiam Concilij Arausic. 2. August. Prosp. Fulg. & alij dona, quæ nos voce istâ significamus, verbis æquivalentibus dicunt, esse supra naturam in sensu dicto. Quinimo, cum Greg. 13. & Pius V. in Bulla editâ contra Michalem Baium inter alias eius propositiones damnent propositionem 22. qua ait, *Humane nature sublimatio etiam in consortio diuine nature debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Et proposit. 24. simile quid habentem; canonicè perfectò definita, seu approbata censenda est huiusmodi vox secundum sensum explicatum.

4 Penes quem rursus supernaturale diuiditur in supernaturale simpliciter, quod solum, absolute loquendo, dicitur tale, & in supernaturale secundum quid. Primum est, quod superat, siue excellit vniuersam naturam, vt gratia, sanctificans, vnio hypostatica, & similia. Secundum, quod solum est supra vnâ, aut alteram naturam particularem, vt sensus comparatione lapidis, intellectus comparatione bruti, & huiusmodi.

5 Præterea Thomista aliqui cum Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. aliud vocant supernaturale excellentiæ dignitatis; qualis, inquiunt, est solus Deus omnem naturam creatam dignitate excellens. Aliud supernaturale excellentiæ causalitatis, seu virtutis; qualia sunt, aiunt, cætera entia simpliciter supernaturalia: quæ licet interdum quoad dignitatem, seu perfectionem ab aliquo ente naturali excedantur, in nullius tamen causalitate, siue virtute continentur.

6 Denique frequentissima est, & celeberrima diuisio entis simpliciter supernaturalis in supernaturale quoad substantiam, & supernaturale quoad modum. Supernaturale quoad substantiam est, cuius substantia, seu essentia, siue entitas supra vires, & exigentiam nature est, vt gratia sanctificans, fides diuina, &c. Supernaturale verò quoad modum est, quod intra vires, & exigentiam nature quoad entitatem continetur: quoad modum verò, quo producit, superat illas, vt restauratio visus amissi, recuperatio repentina salutis, & similia. Quæ omnia ex decursu disputationis amplius constabunt, fusiusque à nostro Ripald. disp. 1. de Ente supra, propolita sunt.

## QUESTIO II.

*Quid sit, quidve complectatur natura, supra quam ens supernaturale dicitur esse.*

7 **C**um ens supernaturale relatè ad naturam, supra quam esse dicitur, innotescat, ad eius quiditatem capiendam, quiditas imprimis talis nature venanda est. Suppono primò tanquam certum, neque naturam sumptam vniuersè pro essentia, neque naturam sumptam pro Deo, neque naturam sumptam pro totâ collectione aut creaturarum vniuersè, aut causarum esse eam, supra quam ens supernaturale ponitur: quia ens supernaturale neque est supra suam, aliorumque entium supernaturalium essentiam, neque est supra Deum, neque supra collectionem aut creaturarum, aut

causarum, in qua ipsum clauditur, vt constat. Suppono secundò etiam vt certum, naturam, supra quam constituitur ens supernaturale, vt minimum completi sub se omnes substantias creatas de facto existentes, atque etiam ea accidentia, quæ ipsis connaturalia sunt: quia hanc collectionem entium vt minimum intelligunt Concilia, & Patres usurpatione nature, dum dona supernaturalia gratiæ supra naturam esse prædicant contra Pelagium, aliosque hæreticos, vt amplius ex dicendis constabit. Difficultas ergo eò reducitur, an natura, supra quam euellit ens supernaturale, præter substantias existentes, & accidentia, ipsi congenita, aliquas substantias præterea, aut omnes purè possibiles, earumque subinde accidentia connaturalia complectatur.

Prima sententia negat. Pro qua P. Ripald. disp. 3. de Ente Supern. sec. 1. refert P. A. gid. Concil. disp. 4. de actibus supernaturalibus n. 9. & alios Recentiores.

Secunda autem sententia asserit, naturam, quam superat ens supernaturale, omnem omnino substantiam creatam, & creabilem, siue existentem, & possibilem comprehendere. Ita Caiet. 1. p. q. 12. art. 4. Fasol. ibidem n. 20. Arrub. disp. 20. n. 21. Tanner. disp. 2. q. 6. dub. 3. n. 4. & Gran. 1. 2. cont. 8. de Gratiâ tract. 4. disp. 8. sec. 2. Quibus consentit Arriag. 1. p. disp. 3. sec. 1. & 3. Hi namque Doctores negant possibilem substantiam supernaturalem, cui aliquod ens supernaturale connaturale sit.

Tertia sententia est, naturam supra quam eleuatur ens supernaturale, esse omnem substantiam existentem, & possibilem impotem suis viribus videre Deum. Admittit namque sententia hæc possibilem substantiam supernaturalem competentem suis viribus videre Deum. Ita Petr. Hurt. in manuscriptis de visione Dei, testante eodem Ripaldâ supra.

Quarta sententia, quam tenet Ripaldâ ibidem sec. 2. est, naturam, supra quam essertur ens supernaturale, esse collectionem substantiarum non existentium, earumque possibilem, quæ existentibus annexæ, & affines sunt. Sunt autem huiusmodi, inquit, quæ intra vires naturales existentium physicæ, aut intentionales quiditatiuè continentur, ita, vt ab earum naturali virtute aut physicè causari, aut quiditatiuè cognosci possint, ad qualque proinde existentes transcendentaliter referuntur.

Quintam sententiam tuetur insuper idem Ripald. sec. 4. Qui supponens ex dicendis à se disp. seq. ens supernaturale esse ex proprio, & absoluto conceptu, quod cum gratiâ iustificante aliquo modo connexum est, ait, naturam, supra quam illud constituitur, collectionem esse omnium substantiarum, & accidentiarum tam existentium, quam possibilem, quæ nullatenus cum gratiâ iustificante connexa sunt.

Sexta sententia quorundam Recentiorum est asserentium, naturam, quam superat ens supernaturale, collectionem esse substantiarum existentium, & earum possibilem, quæ aliqua ratione existentibus debentur, & circa quarum existentiam Deus aliquem effectum saltem simplicem habere tenetur ex eo præcisè, quòd eas, quæ modo existunt, produxerit. Supponunt enim hi Recentiores, vnâ substantiam alteram, cum quâ vniuersum componit perficere aliquo modo, illique eo iure deberi. Sicut vna pars alteram, cum qua componit totum, perficit, & illi debetur. Tum Deum.

Deum, qui debitor est huiusmodi naturalium debitorum, quoties vnum ens debetur alteri, teneri habere affectum aliquem aut efficacem, aut simplicem circa id, quod debetur, attentâ præcisè naturâ eius, cui est debitum. Pro exactâ, perspicuâque resolutione huius, & sequentium quæstionum, aliquot hic hypothèses oportet præmittere, ut sequitur.

Hypothesis 1.

14 **Entia supernaturalia, quæ de facto dantur, sumpta in speciali, notissima sunt in Theologia; quinimo in totâ Ecclesiâ Dei.** Notitiâ videlicet per fidem potissimum acquisitâ ex diuinâ revelatione, quæ vel in factis Litteris, vel in Ecclesiâ definitionibus continetur. Talia enim sunt visio beatificâ, & alia dona beatitudinis, gratia sanctificans, fides, spes, charitas, & alia virtutes infusæ, gratia gratis data, & dona Spiritus sancti cum auxilijs, alijsque compingentijs, quibus eleuatur natura ad exercendas operationes huiusmodi virtutum, atque donorum. Tum vni hypostatica, character, & cætera, si quæ sunt huiusmodi, de quorum existentia constat per fidem, necnon miracula superantia vires naturæ, quæ per experientiam in super ratione accedente innotuerunt. Dicuntur autem cuncta hæc supernaturalia: quia, vt etiam habemus ex fide, ex Patrumque, & Theologorum communi consensu, non à naturâ, sed à gratiâ Dei sunt oriunda: cum sint dona collata à Deo merè gratuito, non solum vltra facultatem, sed vltra debitam naturæ. Pro cuius intelligentiâ sit.

Hypothesis 2.

15 **Quæcunque in toto hoc Vniuerso iuxta naturæ facultatem proueniunt, ex iure quoddam debitoque naturali ducunt originem.** Quemadmodum enim in qualibet benè constitutâ republicâ ius habet morale vnusquisque ciuium ad faciendâ aliqua, aut possidendâ consentaneâ ad suum statum, & conditionem. Vnde nascitur in Principe, siue Governatore respUBLICÆ debitum quoddam morale seruandî illa talia iura. Ita in ordinatissima istâ Mundi vniuersitate vnumquodque entium, quæ in illâ existunt, ius naturale habet ad aliqua præstanda, vel possidenda consentaneâ ad suam naturam, siue essentiam, & conditionem. Vnde in Deo Opifice Mundi, ac Governatore debitum quoddam naturale resultat seruandî illa talia iura. Et sicut interdum in humanâ republicâ competit ius communitati, quod singulis, communitatis non competit determinatè, sed summum huic, vel alteri, aut his, vel illis sub disunctione. Ita in vniuersitate rerum aliqua iura habent species, quæ singula indiuidua non habent, proindeque non in singulis, sed in his, aut alijs debent impleri. Adde, sicut in republicâ interdum singulari ciui ius ad præstandum, aut obtinendum aliquid competit non semper, nec pro determinato tempore, sed pro hoc, aut alio tempore sub disunctione. Ita pariter in Vniuerso quandoque enti singulari

competit ius ad aliquid aliquando præstandum, aut obtinendum, non tamen semper, aut pro tempore determinato. Denique, sicut iura moralia ciuium non semper eis competunt absolutè, sed sæpe respectiuè ad alios ciues, proindeque sæpe exoriuntur lites, & exigentibus duobus, aut pluribus rem eandem, Princeps illi eam adiudicat, qui omnibus vndeque pensatis, præstantius ius habere censetur, quantumvis alij molestia, aut etiam violentiæ patiantur. Ita in vniuersitate rerum sæpe iura non absoluta, sed respectiua, sunt: atque ita, cum duæ, vel plures res oppositis exigentibus decertant, ei, quæ pensatis omnibus, præstantius ius habet, conferri debet, quod exposcit contra exigentiam cæterarum, aut etiam cum earum violentiâ, vt, quando causa contrariæ congreduuntur, cernere licet. Hinc ego duplicem exigentiam naturalem in rebus vniuersi distinguo. Alteram iuridicam, contra quam citra miraculum fieri nequit. Alteram non iuridicam, contra quam sæpissime fit: quia iuribus aharum rerum, quæ prævalent, ita debetur.

16 His positis, ad tria capita reduco omnes exigentias, omniaque iura, siue debita vniuersæ naturæ iuxta tria, quæ res vniuersi naturaliter exigunt, aut iuridicè, aut non iuridicè. Ea autem sunt, quibus intra limites status sibi naturalis (hoc est, consentanei, ac proportionati suæ naturæ, seu essentia) aut perficiuntur in ordine ad esse, aut instruuntur in actu primo in ordine ad operari, aut adiuuantur in actu secundo in ipsâ operatione. Incipio ab hoc postremo.

17 **Et enim qualibet causa instructa iam, atque completa in actu primo cum omnibus requisitis ad operandum, concursus Dei comitantem exigat ad integrum actum secundum, quem ita instructa potest elicere: debetur autem ei quantum petit, si ius oppositum non occurrit, quod debitum eius, aut integrè extinguit, aut minuat: si enim tale ius contrahent, amplius, quàm illud patitur, non debetur.** E.g. ignis approximatus aquæ concursus Dei petit ad producendos in illâ sex gradus lucis, atque etiam sex gradus caloris simul in primo instanti approximationis: quia tantum est, quod potest simul producere potentia physicâ, quam habet. Verùm, etsi comparatione lucis producendæ integer concursus, quem petit, debeat, & præbeat: quia nullum est ius oppositum, quod contrahent, eo ipso, quod lux contrarium non habet: ast comparatione caloris nec debetur, nec datur integer concursus, quem petit: quia ius oppositum, quod habet aqua ad conseruandum suum frigus, ac resistendum per illud calori contratio, id non permittit. Quo fit, vt petente aquâ ex vnâ parte integrum frigus conseruare, & igne ex aliâ integrum calorem inducere pro primo instanti, naturæ æquitas vtriusque debeat, plus, aut minus iuxta vniuersi cuiusque naturam, & dignitatem. Tantumdemque euenit in reliquis partibus temporis, quo durat applicatio. Vnde nascitur, vt alteratio contrariorum successiuè fiat, vt latius explicauit suo loco. Similiter, dum lapis grauitat ad centrum, concursus Dei exposcit semper ad descendendum: at non semper illi debetur, sed solum, quando exigentia, & ius vrgentius impulsus contrarij non præualet. Porro, quando causa completa in actu primo est necessaria, absolutè exigat concursum, & absolutè debetur illi, cum debetur: quando verò est libera, veluti conditionate solum



exigit, & ei debetur, pro casu videlicet, quo sese ad operandum sponte sua est determinatura, nisi concursus ipse negetur.

18 Et quoniam petens aliquid ab altero indifferenter supponit illum ad dandum, vel nondandum, & se ad recipiendum, vel non recipiendum, quod petitur; (serio enim non possum ego à te petere id, quod neque tu potes non dare, neque ego possum non accipere); ideo, si cum proprietate aliqua loquendum sit, dicendum utique est, prædictam exigentiam causarum, & ius ad concursum diuinum, non præsupponere; sed potius præcedere decretum concurrenti Dei: quia, posito tali decreto, nec Deus potest non concurrere, nec causâ non potiri concursu eâ ratione, quâ illum petit, conditionatè scilicet, si libera est, & absolutè, si necessaria. Quinimo, cum sit possibile, uti fatentur omnes, causam in negatione concursus posse violentiam pati, non modo exigentia, verum etiam conatus, quantum est ex se, ad operandum, contra quem sit violentia, debet in causâ præcedere ante decretum concurrenti. Si enim ad talem conatum requireretur tale decretum, ut quidam Recentiores Philosophi opinati sunt, nunquam posset causa pati violentiam aut in negatione sui actus, aut in receptione contrarij: quia, deficiente decreto, non esset in causâ conatus requisitus ad patiendum violentiam; & posito decreto, non est possibilis negatio concursus, ut constat, & consequenter neque positio actus contrarij.

19 Pergo ad secundam exigentiam, & ius naturale, quod habent res, ut compleantur in actu primo ad operandum proportionatè ad suam naturam. Loquor autem non de complemento cogito rei aut à principio, aut pro certa ætate instar passionis eius inseparabilis: qualia esse solent facultates, & instrumenta operandi: quia hoc ad tertiam classem perfectionum referuo, utpotè perficiens etiam rem in ordine ad esse: sed de complemento accidentariè rei obueniente, qualis est impressio, vel excitatio speciei ad intelligendum, cogitatio obiecti, ad appetendum, approximatio agentis ad passum, &c. Et dico, respectu talis complementi ut minimum esse exigentiam, & ius in specie, ut illud aliquibus indiuiduis aliquando tribuatur iuxta naturam, & dignitatem ipsius speciei, & conditionem operationis, ad quam tribuitur. Alioquin frustra existeret in rerum naturâ potentia nunquam ad actum reducenda defectu complementi: quod contra æquitatem naturalem esse videretur. Adde tamen, singula etiam indiuidua videri exigere, imò & ius habere, ut de prædicto complemento interdum eis provideatur; licet non semper, neque in eadem mensurâ, aut gradu: quia etiam in singulis indiuiduis videtur frustraneam fore potentiam, quæ aliquando, & aliquo modo ad connaturaliter operandum non completeretur. Hoc tamen ius indiuiduorum à contrarijs iuribus concurrentibus sæpissimè potest, soletque extingui iuxta eam, quæ dicebamus n. 17.

20 Restat tertia exigentia, & ius rerum ad ea, quibus in ordine ad esse connaturaliter perficiuntur. Quæ in duplici sunt differentia. Alia, quæ congenita sunt ipsis aut à principio, aut pro certa ætate tanquam passiones inseparabiles: & ad hæc quidem præter exigentiam ius habent singula indiuidua, nisi, quod quandoque extinguitur à contrarijs iuribus concurrentibus; uti euenit in monstris effectibus, qui sæpè in vniuerso cer-

nuntur. Alia verò, quæ accidentariè obueniunt rebus; & ad hæc etiam saltem aliquando obtinenda videntur & exigentiam, & ius habere singula indiuidua: quia æquum videtur, ut vnum, quodque perfectione sibi proportionatâ, & possibile quandoque saltem perficiatur; tametsi ius istud, utpote cæteris debilius, frequentius à contrarijs concurrentibus labefactari soleat. Et quidem hæc connaturalia accidentia hoc maxime differunt ab illis, quæ præternaturalia, seu neutra vocantur, qualis est lux respectu aeris, quod prima rebus, quas perficiunt, aliquo modo sunt debita; posteriora verò nullo modo; tametsi semper sint debita causis, à quibus fiunt.

Est tamen hic obiter dubitabile, an accidentia commemorata præternaturalia, seu neutra non solum non debeantur subiectis, respectu quorum talia sunt, sed neque ab ipsis exigantur. Vnde debet dicendum, exigi: quia vnumquodque potest petere, quod sibi est conueniens, quantumvis debitum non sit. Arbitror tamen, melius dictum iri, huiusmodi accidentia à dictis subiectis non exigi. Primo: quia exigere propriè est petere, aliquod tanquam debitum. Secundo: quia, cum Deus ut Auctor vniuersalis, atque gubernator nature, ad quem ut sic diriguntur naturales istæ exigentiæ, solum attendat ad iura nature adimplenda, frustra exigent ab ipso res naturales quidpiam sibi conueniens aliter, quam prætextu iuris, quod vel reuerâ habeat ad illud, vel lite exorta cum alijs rebus, veluti præterdunt habere. Itaque negant rebus non solum ius, cui respondeat debitum, sed etiam exigentiam respectu accidentium eis præternaturalium aptis loquuntur consentaneæ ad analogiam iurium, & exigentiarum moralium, quam in hisce naturalibus semper insequimur. Insequimur autem iure optimo. Quia per has metaphoras nature rerum, in quibus fundantur, satis appositè declarantur, atque notificantur. Virum autem comparatione totius nature entia aliqua possint esse præternaturalia, & quo à supernaturalibus differant, inferius constabit. Ex dictis autem modo constat, naturam non habere exigentiam respectu accidentium ipsi toti præternaturalium, aut supernaturalium; utpote quæ eiusdem nature omnia iura, omneque debitum transcendunt. Vnde dicemus etiam inferius, neque appetitum innatum ad talia accidentia illam habere.

Itaque, quidquid res naturales exigunt, aut est illis debitum, aut est eiusmodi, quod deberetur quidem, nisi occurreret ius urgentius oppositum. Quoties autem rebus naturalibus negatur, quod exigunt, violentiam quamdam late acceptam contra talem exigentiam pati dicuntur. Dico late acceptam. Quia violentia stricta solum fit, quando ad eum conatus in oppositum: conatus autem solum censetur esse in causis præsertim effectiuis, quando completæ in actu primo cum omnibus requisitis ad operandum ita ad operationem propendunt, in illamque veluti conatus prodire, ut verè, & cum effectu prodirent, nisi concursus, quem exigunt, negaretur. Ex quo patet, violentiam strictam solum fieri contra exigentiam concursus Dei propter conatum, quem secum fert. Contra alias verò exigentias vel complementi actus primi ad operandum, vel perfectionis ad essendum strictam violentiam non fieri, sed summum lato modo sumptam: quia istæ sunt exigentiæ sine conatu. Vnde, etiam, quando sunt iuridicæ, contra illas supernaturaliter fieret

ret iuxta mox dicenda; adhuc non essent dicendæ pati strictam violentiam: quia ad strictam violentiam non sufficit auferre aliquid contra ius, nisi auferatur contra conatum oppositum; qui non eo ipso, quod est ius, censetur adesse in naturalibus; sicut neque adest in moralibus.

23 Aduerto hic P. Ripal. disp. 5. de Ente supern. sec. 4. n. 35. duas in rebus exigentias distinguere. Primam vocat necessitatis, qua vnumquodque id dicitur exigere, quo ad aliquid præstandum, vel obtinendum indiget, cuiusvis generis illud sit; vt si quis dicat, homo, vt mundetur à peccato, gratiam iustificantem exigit; vt fidem supernaturalem concipiat, habitum exigit infusum. Verùm hæc improprie valde, & abusive dicitur exigentia; cum potius indigentia dici debeat, vt est reuerè, ad præsentem institutum non facit. Secundam, de qua nos hæcenus tractauimus, & vera exigentia est, valdeque ad rem præsentem conducens, exigentiam connexionis vocat Ripalda, putans, de conceptu eius esse, quod res exigens aliud quidpiam cum possibilitate eius essentialiter connexa sit. Cæterum connexio hæc importunè ad huiusmodi rerum naturalium exigentias exposcitur; cum non minùs illæ sint adscribendæ rebus in sententiâ talem connexionem negante, quàm in sententiâ concedente. Sicut enim, suppositâ possibilitate caloris, ignis absolute dicitur potens calorem producere tam ab ijs, qui negant substantiæ ignis connexionem transcendentalem cum possibilitate caloris, quàm ab ijs, qui concedunt. Ita pariter, eadem possibilitate suppositâ, ab vtriusque dicendus est ignis absolute exigere productionem caloris. Illud erit discrimen, quod in sententiâ concedente prædictam connexionem, conceptus tam potentia, quàm exigentia ignis fors dici poterit non inuoluere intrinsicè possibilitatem caloris; sicut in sententiâ negante: esse enim in primâ denominationem intrinsicam; cum sit in secundâ partim extrinseca: eo quod iuxta hanc, etiamsi ignis permaneret casu, quod calor non esset possibilis; at, sicut tunc non diceretur absolute potens calorem producere, ita nec diceretur absolute exigens producere illum: quia nulla res censetur exigere, quod sibi est obtentu impossibile; sicut in moralibus nemo potest serio petere, quod impossibile iudicat. Deinde hic etiam aduerto, licet indebitum id solum dicatur, loquendo strictè, cuius contradictorium est debitum, vt supra statuimus disp. 16. num. 53. latius tamen usurpari à nobis hoc nomen in hac disp. pro quouis non debito: siue sit, siue non sit debitum contradictorium eius.

### Hypothesis 3.

24 Deus vt Auctor, atque Governator naturæ nihil omnino præstat; sed nec præstare potest, quod sit contra ius, vel ultra ius, seu contra, vel ultra debitum naturæ. Quia quidquid contra, vel ultra tale ius, seu debitum sit, supernaturaliter sit; atque ita non ad Deum, vt Auctorem naturæ, sed vt Auctorem gratiæ, aut supremum Dominum spectat. Quemadmodum enim Princeps humanus, dum præcisè agit personam iudicis, nil prorsus potest agere, præterquam seruare unicuique subditorum ius suum: si quid enim aut contra, aut ultra ius subditorum præstat, ad ipsum id pertinet, non, tanquam ad iustum iudicem, sed vel tanquam ad

supremum Dominum, cui fas est iura subditorum inuertere, vel tanquam ad liberalem Principem, qui gratis de suo potest subditis benefacere ultra id, quod ipsis debetur. Ita pariter Deus, qui in quantum Governator naturæ veluti iudicis personam agit constituti ad seruanda naturalia iura, quæ cunctæ res vniuersi habent indiesque acquirunt, postquam illud ita creatum, ac dispositum est, nil aliud vt sic, quàm talia iura seruare, potest. Quidquid autem aliud aut contra, aut ultra iura ipsa supernaturaliter præstat, id non ad ipsum tanquam ad Auctorem, seu Governatorem naturæ; sed vel tanquam ad supremum Dominum, si sit contra iura, vel tanquam ad liberalem Principem, si sit ultra illa, refertur.

Hinc apparet, bifariam posse esse aliquid supra naturam, seu supernaturalè. Primò, si sit contra ius, seu debitum alicuius rei naturalis. Secundò, si sit ultra, seu præter ius, aut debitum vniuersæ naturæ. Dico vniuersæ. Quia, quod est præter debitum rei, cui tribuitur, si sit iuxta debitum alterius, non dicitur supernaturalè, sed præternaturale; idque non absolute, sed respectiue ad eam rem, præter cuius debitum est. Sic lumen aeri tributum ipsi aeri præternaturale vocatur, quia ipsi aeri non est debitum: absolute tamen non est præternaturale, nedum supernaturalè, sed naturale: quia debitum est causæ, à qua fit, tanquam effectus proportionatus eius. Quoniam autem raro Deus peruertit iura naturæ faciendo contra illa; sæpissimè autem ultra vniuersæ naturæ debitum sua dona largitur: ideo de ratione miraculi, quo naturæ iuri contravenitur, est, quod sit rarum. Dona autem gratiæ ultra naturæ iura collata miracula uon appellantur, nisi sint rara: quia tunc, etsi non contra, sed præter naturæ iura sint, miracula etiam non sine proprietate vocantur, atque inter vera miracula à solo Deo factibilia censentur. Ea enim mirabilia, & insolita, quæ arte Dæmonis, aut Angelorum, virtute fiunt, vel fieri possunt, vulgòque etiam miracula solent vocari, non excedunt iura naturæ; sed iuxta illa fiunt virtute naturalium causarum, quæ insolito modo vi naturali Dæmonum, aut Angelorum applicatæ actiue passiuè insolito modo, sed debito sibi supposita applicatione, operantur: quæ etiam insolita applicatio virtuti naturali tum liberi arbitrij, tum facultatis executricis Dæmonum, & Angelorum debita est. Quocirca huiusmodi mirabilia vera miracula non sunt, sed tantum apparentia. Ad verum quippe miraculum duo sunt necessaria. Primum, quod verè sit supernaturalè, id est aut contra, aut ultra debitum naturæ patratum. Secundum, quod exorbitet ab ordinariâ prouidentia, quam Deus vt Auctor supernaturalis exercet: quæ quidem in elargiendis donis supernaturalibus conferentibus ad animarum salutem potissimum distenta est.

26 Ex hoc obiter deprehendes, cur non sit præsumptio illicita petere à Deo dona animæ pertinentia ad salutem, quantumuis ea sint supernaturalia; cum tamen plerunque sit præsumptio illicita petere à Deo miracula. Dux namque sunt differentia. Prima, quod dona animæ conferentia ad salutem, in quocunque gradu petantur, semper sunt necessaria aut ad obtinendam gratiam, & gloriam absolute, aut ad obtinendam maiorem gratiam, & gloriam, quam sine limite maiorem, & maiorem licet, imò & expedit nobis desiderare. Secunda, quod eiusmodi dona non exorbitant à communi prouidentia, quam

quam Deus exercet vt Auctor supernaturalis . At verò miracula & sunt aliena à communi Dei providentiâ ; & sunt vt implurimum minus necessaria , quàm opus erat , ad hoc , vt à Deo licetè peti possent .

27

Ex his nascitur dubiolum quoddam nonnullam præ se ferens difficultatem , cuius solutio lucem adiecit ijs , quæ diximus . Videtur enim , fas non esse petere à Deo pluuiam , fructuum terræ vbertatem , corporum valetudinem , & similia , quæ passim petimus . Quoniam aut intendimus , quòd hæc succedant vel contra , vel ultra naturæ debitum : & hoc est petere miracula , quòd fas non est : quia huiusmodi naturalia dona non possunt dari sine miraculo , si danda sunt , alterato iure naturæ . Aut intendimus , quòd ea succedant secundum debitum , & iura causarum naturalium : & sic oratio prorsus videtur inutilis , & nugatoria : quia , quòd iuxta debitum , & iura causarum naturalium est prouenturum , necessariò est prouenturum necessitate naturali ; siue petatur à Deo , siue non petatur . Otiosè igitur , & nugatoriè petitur . Respondeo tamen nihilominus , per orationes commemoratas nec petere nos miracula iura naturæ alteratura : nec petere , quòd aliàs est euenturum ex naturæ necessitate . Primò ; quia , licet causis naturalibus completis ad operandum in actu primo semper sit debitus concursus ad eos effectus , ad quos sunt completa iuxta dicta n. 17 . at non est eis debitum , quòd semper , & ad tales effectus completa sint , sed satis , superque sit earum naturali iuri , si aliquando , & ad effectus aliquos compleantur aut per applicationem , aut aliter iuxta dicta n. 19 . Quo superest optio providentiæ diuinæ , vt earum complementa vel proxime , vel remote disponat in ordine ad effectus , quos nostris orationibus petimus ; aliàs aliter , aut alio tempore disponenda , si non poterimus , salvo semper earum iure . Secundò ; quia , licet Deus pro arbitrio suo sine respectu ad exigentiam aliarum causarum , applicando actiua passiuus , prouideret nobis effectus , quos petimus ab ipso orantes , adhuc nec faceret contra ipsarum causarum iura , nec ultra ius naturæ vniuersæ .

Quòd vt declarem , suppono vt certum , non solum causas necessarias , sed etiam liberias , quales sunt homines , & Angeli , habere ius naturale ad operandum pro suo arbitratu in hoc Vniuerso proportionatè ad suam naturam ; quinimo plerasque causas necessarias naturaliter esse subditas liberis in suis operationibus , quatenus quoad applicationem sibi necessariam ad operandum ab arbitrio illarum dependent . Etenim homines , & Angeli potestatem naturalem habent mouendi localiter , prout sibi arriserit , alia entia corporea , sicque applicandi actiua passiuus , qua ratione expedit , vt effectus , quos exoptant , proueniant . Habent insuper potestatem mouendi intentionaliter alia entia cognoscitiua , vel imprimendo , vel excitando in eis species , à quibus primùm actus cognoscendi , deinde actus appetendi , postremò operationes externæ proficiuntur . Igitur quemadmodum impulsus sursum extollens lapidem contra exigentiam , quam habet grauitas deprimendi illum deorsum , nec operatur contra ius grauitatis ; quia grauitas in conspectu tanti impulsus non habet ius ferendi lapidem deorsum , quòd aliàs haberet , si impulsus ipse non adesset : neque operatur ultra ius naturæ vniuersæ ; quia ipse impulsus , qui est pars naturæ , habet ius ad talem operationem . Ita quotiescun-

que agens liberum quilibet suis viribus proportionatum pro suo arbitratu operatur in hoc Vniuerso , contra quasque exigentias aliarum causarum operetur , neque earum iura labefaciat ; quia tales exigentiæ in conspectu agentis liberi ita volentis operari non sunt iuridicæ , etsi aliàs forent : neque operatur ultra vniuersæ naturæ debitum ; quia ipsum , quòd est pars naturæ , habet in tali casu ius , cui talis operatio debita est .

Hoc cum ita sit , pergo , & dicendum arbitror , Deam bifariam posse comparari cum hoc Vniuerso sumpto quoad naturalia præcisè . Primò vt Princeps , & moderatur eius . Secundò vt pars eiusdem præstantissima : sicut Princeps humanus , & est gubernator reip. & pars principalissima eius . Sicuti ergo , quamuis Principi humano vt gubernatori reip. dumtaxat competat seruare illæ subditorum iura : así vt parti reip. principalissimæ etiam competat potiri iuribus proprijs ; qualia profectò habere potest , & debet , quantum cum iuribus subditorum compatibile est . Ita pariter , quamuis Deo vt gubernatori Vniuersi solum conueniat seruare illæ iura naturæ ; at vt pars eius præstantissima , non est , cur proprijs iuribus defraudetur . Ea igitur iura vt sic habere censendus est , quæ & cum dispositione Vniuersi , & cum iuribus naturæ bene coherent ; qualia erunt quidem iura , quam cæteræ causæ liberæ habent applicandi pro arbitrio suo actiua passiuus , in altiori tamen gradu , quàm illæ . Quibus quidem iuribus vtens Deus bene potest plura operari , de factoque operari censendus est ultra exigentiam , & debitum causarum naturalium ; quin ea miraculosa censi debeant . Et quamuis in Deo vt agente particulari non sint iura dicta , adhuc poterit citra miraculum per ministerium Angelorum , ipsorum iuribus vtendo , operari quæcunque per se cum talibus iuribus præstare possit . Quo tandem concluditur , optimè posse nos petere ab ipso , vt illa præstet ; quin aut miraculum petamus , aut nostra oratio sit otiosa , vt ratio dubitandi proposita n. 27 . obijciebat .

#### Hypothesis 4.

Vt aliquid alicui rei naturali iure sit debitum , duo interueniant , necessè est , nimirum & proportio aliqua , & aliquis titulus . Quemadmodum enim in humana rep. ad hoc , vt aliquid alicui civium morali iure debitum sit , duo sunt requisita . Et quòd sit ei proportionatum . Et quòd extet præterea titulus , in quo fundetur tale ius . Defectu enim proportionis neque honor debitus Prætori potest fabro debitus esse , neque munia fabro debita possunt debita esse Prætori . Defectu autem tituli multa sunt civibus non debita , quæ aliàs satis , superque illis proportionata erant . Ita pariter , vt aliquid naturali iure alicui rei debitum sit , duo omnino requisita sunt . Et quòd sit ei proportionatum , siue conforme . Et quòd vice tituli aliquod necessitudinis , seu specialis habitudinis vinculum intercedat , quale est , quòd cernitur inter causam , & effectus , inter essentiam , & passiones , & similia . Defectu huius quasi tituli lux non est debita aeri , cui tamen satis proportionata est . Defectu autem proportionis cognitio non est debita plantæ , cui improporionata est per excessum , nec passio corporea rei spiritali , cui improporionata est per defectum . Proportio enim aut per excessum , aut per



per defectum deesse potest, ut est notum: Quæ cum ita sint, planè consequitur, varijs ex causis nasci posse, ut aliquid toti naturæ indebitum sit, atque ita absolutè non naturale. Primò ex defectu solius tituli; quo casu præternaturale absolutè vocari poterit. Secundò ex improportione per defectum; quo casu infranaturale iure vocabitur. Tertiò ex improportione per excessum; quo casu supernaturalè cum proprietate dicitur. Et huius generis sunt dona gratiæ, quæ supernaturalia nouimus. Quæ, ut denotentur Concilia, & Patres, idcirco naturæ indebita esse, quia illi improportionata sunt per excessum, sæpè dicunt, esse supra naturam, superare vires naturæ, excellere dignitate naturæ, esse supra naturæ debitum, & similia. Præter hos autem casus simplices, duo alij insuper compositi possibiles sunt. Alter, si ens sit naturæ indebitum ex improportione per defectum simul, ac ex defectu tituli; & hic ad secundum reduci potest. Alter, si sit ens naturæ indebitum ex improportione per excessum simul, & ex defectu tituli; qui potest renocari ad tertium. Ex quibus apparet primò, de ratione entis supernaturalis esse, quòd naturæ, cui est indebitum, improportionatum sit per excessum. Secundò, multa posse esse naturæ indebita, quæ propriè supernaturalia non sunt; sed vel præternaturalia, vel infranaturalia debeant vocari, iuxta diuersas habitudines, quas habent ad naturam.

31 Verùm enim verò, quamuis proportio, & improportio ad supra dictum ius naturale, ad eiusve defectum conducens plerumque in solis rerum naturis, quibus tribuitur, fundetur: at titulus, cui maximè tale ius nititur, alias præterea extrinsecas circumstantias exposcit, quorum defectu modò solet esse rebus indebitum, quod in aliâ rerum, aut circumstantiarum peristasi debitum foret, & vice versâ. Quemadmodum enim in moralibus frequentissimè vsu venit, ut sub tali constitutione reip. talibusque occurrentibus circumstantijs alicui cui non sit debitum, quod sub aliâ reip. constitutione, circumstantiarumque occurrentiâ debitum esset, vel è contrâ. Ita pariter in naturalibus accidit. Sic causæ applicatæ ad agendum minus debetur de effectu, quem exigit, & physicè potest, contrarietate contrario, quàm, si omni contrario careret. Sicut, quæ contrarium non habet, ad omne, quod potest, simul producendum ius habet: quale non haberet quidem, si contrarium occurreret. Et vniuersim multa iura proueniunt rebus sub itâ entium societate, & vniuersi dispositione, quæ non haberent quidem diuersis entibus associatæ, aut sub aliâ Mundi formâ dispositæ; & è conuerso. Quod pro varijs difficultatibus enodandis soletur aduertendum est.

Hypothesis 5.

32 Præter exigentiam, ius, ac debitum naturalia, de quibus hæctenus, alia exigentiâ, ius, ac debitum essentialia, tametsi minus propria possunt in rebus excogitari.

Nam, quoties vnum cum altero essentialiter connexum est: non incongruè dici potest aliud exigere essentialiter, inque essentialiter habere ad illud tanquam ad quid essentialiter sibi debitum. Idque sive ab illo distinguatur realiter, ut sæpè contingit, sive per rationem nostram dumtaxat,

uti plerumque fit. Ad istud quippe genus exigentiæ iuris, & debiti essentialis minus propriè dicti qualibet distinctio extremorum: siue realitatis siue rationis cum fundamento in rebus sufficiens est. Porrò contra iura essentialia rerum Deus nihil præstare potest, quemadmodum contra naturalia: quia, quod essentialiter debetur, nequit sine contradictione negari; eo quòd, existente re, id, cum quo illa est essentialiter connexa, nequit sine contradictione deesse. Et quoniam, quod est essentialiter naturæ debitum, strictius, quàm, quod naturaliter, debitum est: idcirco illud potiori iure inter entia naturalia ad ordinem naturæ spectantia censi debet. Entia enim non naturalia, siue præter, siue infra, siue supra naturam sint, omne debitum naturæ excludunt tam essentialè, quàm naturale. Ex quibus omnibus apparet, exigentiam, seu petitionem, ius, & debitum in ea tria membra secari posse, (prout supra itidem disp. 5. q. 5. secimus), in quæ suis locis etiam diuidimus connexionem, oppositionem, necessitatem, possibilitatem, & alia huiusmodi: nempe in moralia, naturalia, seu physica, & essentialia, seu metaphysica. Quod ad scientiarum symmetriam non parum interest animaduertere.

Hypothesis 6.

Naturale, prout à supernaturali distinguitur, non solum vocatur à Theologis in presenti id, quod naturæ aliquo ex supradictis modis debitum est, sed etiam id, quod componit, siue constituit ipsam naturam, supra quam supernaturalè dicitur esse.

Quæcumque enim Deus per se primò produxit, quando vniuersum hoc compegit, entia naturalia vocantur; non quidem, quia ad exigentiam naturæ producta sint; cum ante ipsa nihil esset, à quo exigi possent; sed quia ipsammet constituunt naturam, supra quam supernaturalia euoluuntur. Partes quippe naturæ non abs re dicuntur naturales eo præcisè, quòd sunt partes naturæ; tametsi iure naturali nullatenus ipsi naturæ debite sint, ut contra Recentiores citatos supra inferius monstrabimus. Itaque Angeli de facto existentes substantiæ naturales dicuntur; non quidem, quia naturæ debite sint; nec, quia conseruatio earum sit naturæ debita, ut infra etiam q. 3. ostendemus contra Ripaldam; sed quia ipsis supernaturalia dona indebita sunt, ad eamque subinde naturam tanquam partes eius spectant, supra cuius exigentiam, seu debitum constituuntur ista dona. Hinc fit, nomen naturale iuxta duas significationes prædictas duos conceptus diuersos æquiuocè amplecti: nam esse aliquid partem naturæ, & esse debitum naturæ dissimiles conceptus, atque diuersi sunt, ut apparet. Vnde rursum efficitur, ut aliquid absolutè sit supernaturalè à naturali conditum, non satis esse, quòd naturæ indebitum sit; sed requiri insuper, quòd non sit pars constituens naturam. Quare substantia, cui aliquid supernaturalè debitum esse, (de cuius possibilitate est quæstio postea tractanda), non propterea supernaturalis consuevit vocari; quia naturæ indebita est; (nam id multis etiam substantijs naturalibus conuenit, ut constat ex dictis); sed, quia ipsi donum supernaturalè

debitum esset; ad eamque subinde naturam non pertineret tanquam pars, supra cuius exigentiam, & debitum esset euectum tale donum.

#### Hypothesis 7.

34 Potissimus huius quaestionis scopus est, sternere viam ad aptè, exactèque definiendum ens supernaturale theologicum per comparationem ad naturam, supra quam illud dicitur esse.

Ignorata enim, aut posita in dubio tali natura, non potest certè cognosci conceptus obiectiuus relatus ad illam, qualiter per definitionem cognosci debet, ut est notissimum. Ex quo vnum valde notandum sequitur, supra eam omnino naturam debere in presenti ens supernaturale consistui, quæ planè, & aptè notum omnibus faciat conceptum respectuum eius; ita, ut definitio entis supernaturalis compacta respectu ad talem naturam non modo non sit nugatoria, & inepta ad declarandum definitum, sed ita stabilis sit, ac fixa, ut ab omnibus sine controversia recipi debeat. Definitiones quippe in scientijs principia sunt, quæ ante omnia fixa, statutaque apud omnes supponi debent; ne postea, dum rei per definitionem statuta proprietates erant querenda, aut in æquiuoco laboretur, aut inutiles, & de solo modo loquendi controversiæ reddantur, ut sepe videmus euenire non sine magno operæ, temporis, ipsarumque scientiarum dispendio. De quo plura sunt dicta à nobis in Pharo Scient.

#### Progressio ad resolutionem quaestionis.

35 Produxit paulò fufius prædicta omnia; tum quia doctrinam continent non contemnendam, & sepe tam in Philosophia, quam in Theologia vtilem; tum maxime quia eximie conferunt ad extricandas difficultates materiæ presentis, quarum nonnullæ à Doctores parum videntur extricatae. Pergo iam ad resolutionem quaestionis.

#### Propositio vnica

36 **Natura, supra quam effertur ens supernaturale in quantum supernaturale, solas substantias existentes, atque eas possibiles, quæ æqualem quoad perfectionem cum existentibus, atque inferiorem essentiam habent, comprehendit cum accidentibus vtriusque debitibus, siue connaturalibus.**

Hoc sensu accipio Doctores relatos pro prima sententiâ num. 8. Itaque non nego, entia supernaturalia, quæ de facto dantur, & multa ex parte possibilibus alias substantias superare, præter existentes, & possibiles eiusdem, aut inferioris essentia; sed assero, solum requiri, quod has superent, ut supernaturalia sint ea supernaturalitate, quæ nobis per fidem innotuit, & cuius dumtaxat fixam, statutamque definitionem præscribere possumus, prout methodus scientiæ requirit.

37 Probo igitur propositionem sic intellectam.

Primò; quia, ut in confesso est apud omnes, Scriptura, Concilia, & Patres, dum supra naturam extollunt entia supernaturalia, quæ dantur, dumtaxat loquuntur de natura existente, ac complectente omnes substantias, & accidentia naturalia creata; cum solum intendunt contra hereticos, huiusmodi entia dona esse Dei merè gratuita creaturis intellectualibus data, non solum supra earum vires, sed etiam ultra omne ius creationis, ultra omneque debitum oriundum à rebus de facto existentibus. Ergo, ut aliquid sit supernaturale in sensu, quo loquuntur Scriptura, Concilia, & Patres, fat est, quod sit supra vniuersam naturam de facto existentem, & consequenter supra eam possibilem, quam non potest non superare, quidquid superat existentem: qualis est solum, quæ æqualem quoad perfectionem, aut inferiorem essentiam cum existente habet. Donum quippe improporionatum per excessum, atque adeo indebitum naturæ existenti non potest non pariter improporionatum esse, & jode bitum, naturæ possibili æqualis essentia, magisque naturæ possibili essentia inferioris, ut constat. Cum tamen ex eo, quod aliquid naturæ ex his omnibus coalescent modo dicto indebitum sit, non bene inferatur, naturæ quoque superiori debere esse, ut satis etiam notum est. Ex quo patet, Scripturam, Concilia, & Patres, dum supernaturalia dona expressè efferunt supra naturam existentem, tacitè, & virtualiter efferre illa supra naturam possibilem æqualis, aut inferioris rationis; non verò item supra superiorem, casu, quod ea sit possibilis.

Confirmo id ipsum, & probo secundo propositionem; quia si Deus creaturæ intellectuali existenti aliquid donum accidentale præter illa, quæ ex fide nouimus, eodem prorsus modo conferret, ac illa confert, gratis videlicet, & supra debitum integræ naturæ existentis, nemo Patrum, prætorumque Scholasticorum ambigeret collocare illud inter alia dona supernaturalia, quæ possumus; quantumvis nesciret, esset ne illud proportionatum, & debitum cuiusque substantiæ possibili excedenti intellectualem existentem in essentiali perfectione. Igitur ut aliquid iuxta sensum Patrum, prætorumque Scholasticorum sit supernaturale, fat est, quod sit supra naturam existentem, atque adeo etiam supra possibilem eiusdem, aut inferioris rationis.

Tertio probatur propositio; quia præter naturam assignatam nulla alia est excogitabilis, relata ad quam possit congruè, aptèque defini ens supernaturale, quæ tale. Igitur ea sola est, per comparationem ad quam non solum secundum doctrinam Conciliorum, & Patrum, sed etiam secundum rectam rationem, & scientiæ methodum est illud definiendum, & declarandum. Ut probem assumptum percurro imprimis, & rejicio sententias commemoratas supra à nig.

Etenim natura, supra quam extollitur ens supernaturale, omnes omnino substantias possibiles complecti non potest; ut censent Auctores relati pro secunda sententiâ. Primò; quia, ut infra q. 14. probabo, possibilis est substantia, cui visio beatifica, aliaque supernaturalia dona debita sint. Igitur hæc non sunt supra omnem substantiam possibilem. Secundò; quia, saltem est dubitabile, imò non parum inter Theologos controuersum, an talis substantia sit possibilis. Igitur perperam, & indifensè, antequam supponitur, eam repugnare, dum entia supernaturalia supra omnem sub-

stantiam possibilem asseruntur. Tertio; semel per definitionem statuto, quod ens supernaturalis sit illud, quod superat omnem substantiam possibilem, quæstio aliàs grauissima de possibilitate substantiæ supernaturalis prædictæ nugatoria efficitur, ac ridicula. Perinde enim est, eâ præmissâ definitione, ac si quæreretur, an sit possibilis substantia, quam non superet ens superans omnem omnino substantiam possibilem. Quarto; definitio entis supernaturalis data per naturam comprehendent omnem substantiam possibilem contra rectam scientiæ methodum litigio subest, eoque de modo loquendi, quale est quod quod versatur circa definitiones, vt n. 34. tangebam. Nequeunt enim nomine entis supernaturalis intelligere aliquid superans omnem possibilem substantiam, qui censent, aliquam esse possibilem, quam non superent illa entia, quæ ex necessitate fidei supernaturalia sunt asserenda. Quinto; qui semel statuunt, de conceptu entis supernaturalis esse omnem substantiam possibilem superare, probabili dubio, prudentique controuerstiæ exponunt veritatem catholicam, contra quam nec probabiliter dubitari, nec prudenter disputari potest. Quoniam, si tantum est ens supernaturalis, quod superat omnem substantiam possibilem, idem est dubitare, & controuertere, (quod probabiliter dubitant, prudentique controuertunt Theologi), an sit aliqua substantia possibilis, quam non superent visio beatifica, fides, charitas, & alia huiusmodi dona gratiæ; ac dubitare, an ista dona sint supernaturalia; cum tamen fide sanctum sit, ea supernaturalia esse. Malè igitur statuit secunda sententia, ens supernaturalis esse, quod superat omnem omnino substantiam possibilem.

41 Aliter peccat tertia sententia attributa per Ripal. Petr. Hurt. Quæ, cum fateatur, possibilem esse substantiam supernaturalem, cui dona supernaturalia debita sint, naturam, supra quam eleuat ens naturale, omnem substantiam existentem, & possibilem esse dicit impotentem suis viribus videre Deum. Sed malè. Primò; quia, suppositâ possibilitate substantiæ supernaturalis, compertum est, esse possibilem substantiam, cui fides diuina sit debita, non verò visio clara Dei, quæque propterea ita sit potens suis viribus Deo credere, vt Deum videre suis viribus potens non sit. Constat enim, excellentissimum donum, qualis visio est, disproportionatum, indebitumque posse esse substantiæ, cui donum longè inferioris notæ, qualis est fides, proportionatum est, & debitum. Igitur fides diuina non est supra omnem substantiam possibilem impotentem suis viribus videre Deum; cum tamen ea iuxta dogma catholicum ens naturale sit. Tandemque licet inferre in alijs supernaturalibus donis, quæ perfectione excedunt à visione beatificâ. Malè ergo definitur ens naturale per hoc, quod est, omnem substantiam existentem, & possibilem superare impotentem suis viribus videre Deum. Secundò; definitio ista, si bene inspicatur, nugatoria est: quia inepta est ad explicandam supernaturalitatem, visionis beatificæ; per quam tandem non explicatam explicat ceteras. Nam, cum sit idem esse aliquid naturale, & esse supra naturam, si quæram à te, quanam est natura, supra quam est quoduis ens naturale? Respondes ex tuâ definitione, ea, supra quam est visio beatifica: (nam esse visionem beatificam supra natu-

ram, & esse impotentem naturam suis viribus videre Deum, idem omnino sonat in materiâ præsentî). Quod si rursus interrogo, natura, supra quam est visio beatifica, quanam est? Aliud ex definitione nequis respondere, nisi, esse eam, supra quam est visio beatifica; quæ est aperta nugatio. Vel aliter. Si petam à te, quid est in visione beatificâ, esse supernaturalem? Respondes per definitionem esse, superare eam vires naturæ, cuius superat vires, aut esse improporcionatam, indebitamque naturam, cui est improporcionata, & indebita. Egregia profectò explicatio supernaturalitatis visionis. Idem nugacitatis vitium incurreret quælibet definitio entis supernaturalis data per ordinem ad naturam, quam superat quoduis aliud particulare donum ex ijs, quorum supernaturalitas per fidem diuinam nobis innotuit. Quanquam, si hoc esset infinitum omnium, non militaret contra illam argumentum priori loco à nobis factum contra istam tertiam sententiam.

Venio ad quartam, quæ est P. Ripaldæ dicentis, naturam, quam ens naturale superat, esse omnem substantiam existentem, & possibilem, quam existens viribus proprijs aut potest causare, aut quiditatiuè cognoscere. Sed non melius, quam alij. Imprimis enim supponit hæc sententia id, quod inter Theologos sub lite est, vt postea videbimus; nempe, substantiam naturalem nihil posse viribus proprijs cognoscere quiditatiuè, quod naturale sit. Quo fit, vt definitio entis supernaturalis iuxta sententiam istam compatiã eisdem incommodis pateat, quæ n. 40. opposuimus sententiæ secundæ. Nimirum anticipatè, re indiscussa, supponit, quod postea per otium est discutendum. Reddit nugatoriam quæstionem inter Theologos difficilem, & grauem. Est exposita litigio contra bonam methodum scientiæ. Ac denique probabili dubio, & controuerstiæ exponit veritatem catholicam. Hæc namque perinde sequuntur ex hac sententiâ, atque ex secunda, (vt consideranti notum fieret), eo ipso, quod definitionem entis supernaturalis compingit, supponendo proprietatem, de qua est inter Theologos controuerstiã vtrinque probabilis, an ipsi enti supernaturali conueniat, vel secus; nempe, non esse illud quiditatiuè cognoscibile naturæ viribus.

43 Deinde, ista etiam proprietate entis supernaturalis suppositâ, in alia insuper absurda incidit sententia Ripaldæ. Primum enim definitio, quam enti supernaturali compingit, nugatoria est. Nam, cum aliunde nequeat discerni secundum doctrinam Ripaldæ, quanam substantia possibilis contineatur intra vires physicas, aut intentionales substantiæ existentis, & quanam non contineatur, nisi discernendo, quanam sit infra entia supernaturalia, & quanam ad eorum ordinem spectet; non magis profectò notificat conceptum entis supernaturalis, qui dicit, ens naturale esse, quod superat substantiam existentem, & eam possibilem, quæ viribus existentis causabilis est, aut cognoscibilis quiditatiuè; quam, qui dicit, ens naturale esse, quod superat substantiam existentem & eam possibilem, quam ipsum superat. Vtque clariùs nugationem in vitioso circulo videas, quare à Ripaldâ, quanam substantia possibilis est cognoscibilis quiditatiuè ab existente? Dicet profectò ex doctrinâ suâ dispnt. 10. omnis ordinis naturalis, supra quam dona supernaturalia

constituuntur. Quare iterum, supra quam substantiam constituuntur supernaturalia dona? Respondet modo disp. 3. supra existentem, & possibilem, quæ est cognoscibilis quiditatiuè ab existente. Ecce explicatum idem per idem circulariter. Ad hæc, substantiæ quiditatiuè cognoscibiles viribus existentium aut sunt reipsa, quæ superantur à solis donis supernaturalibus de facto existentibus; aut quæ superantur etiam ab omni ente supernaturali purè possibili. Neutrum dici potest sine absurdo, vt paulò post ostendam, nisi recidatur in meam sententiam, à qua longè abest Ripalda. Ergo.

44 *Iam verò secunda explicatio eiusdem Ripaldæ proposita supra quinto loco non magis rem expedit, quam aliæ: quia nititur in eâ suppositione, quam facit ex doctrinâ à se tradendâ disp. 2. nimirum, ens supernaturale ex conceptu suo absoluto esse, quod cum gratiâ iustificante aliquo modo connexum est. Quæ tamen suppositio & falsam, & impossibilem esse infra q. 4. monstrabo. Quo explicatio hæc posterior Ripaldæ penitus corrui.*

45 *Restat sexta Recentiorum sententia n. 13. relata, quæ sanè satis apertè videtur suam falsitatem, suamque ad rem insufficientiam præ se ferre. Imprimis epim falsum est, ea, ex quibus aggregatum quoduis coalescit, ad inuicem sibi debita esse; alioquin continuò Deus naturæ iuribus contraireret, quòd cætera entia possibilea non creat, quæ aggregatum aliud cum existentibus componeret; quinimo, creatio quouis aggregato rerum finito, non posset non per quoddam genus miraculi iura ipsarum rerum infringere, non creando plures, quas posset. Quod est chymericum, & inauditum. Ratio à priori. Quia coalescere ex rebus existentibus aggregatum quoddam per accidens, ne minimum quidem sufficientis tituli habet, vt aliæ alijs debita sint, Quod autem addunt Recentiores, teneri Deum ad habendum effectum simplicem circa ea, quæ non producit, cum debita sint existentibus, etiam est falsum, Quia supposito, quòd Deus per efficacem affectum huiusmodi debita naturalia non soluit; necundè remanet in eo obligatio volendi soluere illa simplici affectu. Tametsi de facto talem affectum fortasse sine obligatione concipiat, quatenus de se, & præscindendo à circumstantiis aliud poscentibus, propensam habet voluntatem ad semper illæ servanda iura naturæ. Quòd si verò, vt Recentiores philosophantur, ex eo præcisè, quòd vna substantia cum aliâ aggregatum componit, eam aliquo modo perficit, & ipsi est debita; substantiæ etiam supernaturales possibilea existentibus erunt debita, cum quibus, si darentur, aggregatum componerent. Quo fiet, vt natura, supra quam ponunt hi Recentiores ens supernaturale, ipsum inuoluat ens supernaturale. Quod est absurdum. Ex quo etiam patet insufficientia sententiæ eorum.*

46 *Ecce impugnatos modos, quibus Auctores signant naturam, supra quam effertur ens supernaturale, sub quorum ferè impugnationem omnes alij excogitabiles cadunt. Etenim huiusmodi natura aut ponitur in aliquo, quod entia supernaturalia certò non superant; & sic definitio per talem naturam data certò erit falsa, seu non conueniens definito. Aut ponitur in aliquo, de quo est controuersa, an superent; & sic definitio tum litigiosa, tum rationabilem controuersiam eludens, tum rem controuersam imma-*

turè supponens erit iuxta dicta n. 40. Aut denique ponitur in eo, quod reuera superant vel omnia entia supernaturalia cognita ex fide, vel aliqua, aut aliquod eorum, vel omnia omnino tum cognita, tum possibilea. Et sic vt minimùm in definitione datâ per talem naturam nugacitas erit ponderata n. 41. Quia semper aut de aliquo, aut de singulis entibus supernaturalibus dicendum, erit, idcirco esse supernaturalia; quia superant naturam, quam superant. Ad quæ capita reuocantur omnes modi diuersi à nostro excogitabiles signandi prædictam naturam. Nostrum autem ab omnibus aliorum vitijs, absurdis, seu incommodis exemptum, & immunem esse manifestè conspicitur. Nam definitio entis supernaturalis per illum compacta neque est falsa, nec litigiosa, nec supponens aliquid controuersum; cum constans, & in confesso apud omnes sit, ens supernaturale omnem substantiam existentem possibilemque, aut æqualis, aut inferioris essentiæ superare. Neque est vltatenus nugatoria; cum explicet definitum per id, quod aliunde notius est, absque omni circulo vitioso; quale est aggregatum ex substantijs existentibus, & possibilebus æqualis, & inferioris rationis. Ex quibus satis, superque probatum manet assumptum, argumenti tertij facti ad probandam propositionem n. 39. Quo posito, consequentia facta ibidem euident est.

47 *Probo iam quartò propositionem, Quia natura, supra quam constituuntur entia supernaturalia quoad modum, qualia sunt miracula, solum amplectitur entia naturalia existentia; nemo enim non appellaret supernaturale miraculum factum supra vires, & debitum totius collectionis talium entium. Sed entia supernaturalia quoad modum, & quoad substantiam respectiue ad eandem naturam constitui debent; neque enim ex parte naturæ, quam superant, sed ex parte modi eam sperandi discriminantur, vt apud omnes in confesso videtur. Ergo natura, supra quam est constituendum omne omnino ens supernaturale solum entia naturalia existentia, & consequenter possibilea æqualis, aut inferioris rationis debet completi.*

48 *Cæterum contra statutam propositionem quædam obijci possunt. Primum sic ex Ripaldâ disp. 3. sec. 1. Si quis assereret, gratiam iustificantem, lumen gloriæ, & reliqua dona supernaturalia substantijs possibilebus existentium perfectionem excedentibus connaturalia esse, non audiretur impunè in Catholicorum Scholis; quamquam collectionem omnium existentium superare tueretur. Ergo ad supernaturalitatem vltra substantias existentes, possibilea etiam existentibus perfectiores vincendæ sunt. Distinguo antecedens. Si quis assereret, gratiam iustificantem, &c. non audiretur impunè, &c. quòd aliquid contra doctrinam Ecclesiæ, aut Sanctorum Patrum assereret; nego. Quòd aliquid temerè, & contra rationem proferret; concedo. Et nego consequentiam. Etenim, cum ex definitione Ecclesiæ, & Patrum doctrinâ solum habeamus, gratiam iustificantem, & cætera dona supernaturalia, quæ noscimus, excedere vires, & debitum naturæ de facto existentis, vt ipse Ripalda fatetur; ex eoque dogmate per consequentiam necessariam solum sequatur, huiusmodi dona naturam possibilem æqualis, aut inferioris essentiæ cum existente superare. Certè, qui diceret, dicta dona naturam possibilem superiorem, siue*

substantias possibiles perfectiores non superare, nihil contra doctrinam Ecclesiæ, & Patrum assereret. Vti non asserunt eiusdem Ripaldæ opinione, qui censent, esse possibiles substantias, quibus connaturalia sint, & debita; quasque proinde non superent dona prædicta. Quippe dogmati Ecclesiæ, & Patrum æquæ perfectio contraibit, aut non contraibit, siue infra plures, siue infra omnes substantias possibiles perfectiores existentibus colloceat quis dona supernaturalia, quæ noscimus. Loquetur tamen temerè, & contra rationem, si infra omnes; non item, si infra aliquas colloceat. Temerè quidem: quia sine fundamento. Contra rationem autem: quia vel minimum donorum supernaturalium, quæ ex fide noscimus multa alia possibilia minus perfecta habet sub se ante peruentum ad collectionem donorum naturalium. Quo fit, vt, signatà quavis substantiâ possibili, cui tale donum debitum sit, nequeant non esse infra illam alia possibiles, quibus donum ipsam per excessum improporionatum sit, & indebitum, antequam perueniant ad existentes. Cum quibus omnibus sit, dona supernaturalia, quæ noscimus, relatè ad solas substantias existentes, possibilesque æqualis, ac inferioris rationis constitui in esse supernaturalium: quia, vt fiat supernaturalia, fat est, quòd superent istam naturam; tamen ex peculiari differentiâ ampliozem vnumquodque eorum, ac perfectiozem superet. Alioquin, cum de ipsius Ripaldæ sententiâ, quò perfectius est ens naturale, eò plures substantias possibiles superet; si per ordinem ad naturam, quam vnumquodque reuerà superat, definitio supernaturalis entis esset tradenda, tot definitiones, quot sunt entia supernaturalia tradendæ essent. Quia nullum fermè superabit reuerà eandem naturam, quam aliud. Essentque præterea definitiones hæc nugatoriæ, vt probant argumenta superius facta.

49 Secundo obijcit Ripaldæ. Multi sunt Angeli possibiles, qui superant omnes substantias existentes, & tamen non sunt supernaturales. Igitur ens naturale non est, quod superat substantias existentes; nisi alias insuper possibiles superet existentibus perfectiores. Vt huic argumento, & similibus responsum consentaneum, communi mori loquendi exhibeam, suppono, Theologos, præsertim recentiores, dum disputant de possibilitate substantiæ supernaturalis, non agere de quavis substantiâ possibili, quæ consentaneè ad nomenclaturam donorum supernaturalium acceptam ex Concilijs, & Patribus iure supernaturalis substantia potest, & debet appellari. Sed, ne controuerfia ad solum loquendi modum mentis vtiliter diuertat, de eâ dumtaxat substantiâ determinatè agunt, cui donum aliquod naturale eorum, quæ ex fide nouimus, debitum sit. Itaque quærent, & discutunt, an sit possibilis substantia, cui visio beatifica, gratia sanctificans, habitus fidei, aut aliquod aliud ex donis, quæ supernaturalia noscimus, proportionatum sit, ac debitum, atque adeò connaturale: & talem substantiam dumtaxat consueuerunt supernaturalem vocare. Quibus vt morem geram, duplicem substantiam supernaturalem arbitror distinguendam. Alteram, cui donum aliquod naturale eorum, quæ de facto dantur, per fidemque innotuerunt, debitum sit: & hanc theologice supernaturalem licebit appellare: Alteram, cui debitum sit aliquod ens naturale aliorum, quæ ratiocinatione, & discursu deprehendimus possibilia: & hanc non incongruè distinctionis gratiâ supernaturalem philosophicè

vocauerimus. Dico igitur, hoc supposito, ad argumentum factum, multos esse Angelos possibiles, eos, qui de facto existunt, perfectione excedentes: qui tamen nullatenus sunt supernaturales theologice, vt pote quibus nullum supernaturale donum eorum, quæ ex fide nouimus, debitum est. At dici illos, & verè esse supernaturales philosophicè, nihil est, quod prohibeat: prout iam iam latius expono circa argumentum tertium.

Tertio enim potest sic argui contra nostram propositionem. Nulla est substantia superioris, atque perfectioris essentia, cui non sit proportionatum, ac debitum aliquod accidens, quod sit improporionatum per excessum, atque adeò indebitum substantiæ inferioris, atque minus perfectæ essentia. Ergo nulla est substantia possibilis perfectione superans omnes substantias existentes, cui non sit debitum aliquod accidens simpliciter supernaturale. Patet consequentia. Quia ex nostra doctrinâ, vt aliquod accidens sit simpliciter supernaturale, fat est, si per excedentem improporionem indebitum sit omni substantiæ existenti, & consequenter omni possibili æqualis, aut inferioris rationis; quantumuis illud debitum sit, & connaturale cuius substantiæ superiori. Igitur nulla est substantia possibilis superior perfectione existentibus, quæ non sit supernaturalis simpliciter. Quod est inauditum in Scholis, cum vix vna, aut altera earum talis ab aliquibus Theologis reputetur; nec sine ingenti plurimorum contradictione. Respondeo, esse quidem inauditum in Scholis, quòd omnis substantia possibilis perfectione superans existentes, asseratur supernaturalis supernaturalitate theologica, de qua solum est controuerfium inter Theologos, an vni, aut alteri substantiæ ex possibilibus conueniat. Supernaturalitate verò philosophica, de qua hæcenus tam distinctè Theologi non tractauerunt, non est, cur ipsi recusent vocare supernaturalem omnem substantiam possibilem substantijs existentibus perfectiozem. Quandoquidem iuxta communem phrasim substantia supernaturalis asseritur, cui accidens supernaturale debitum est, & iuxta Patres, & Concilia omne accidens toti naturæ existenti indebitum supernaturale simpliciter vocari debet, vt ostendimus: neque iuxta bonam philosophiam negari potest, esse possibile accidens, cuius substantiæ possibili superiori existentibus debitum, quod toti naturæ existenti indebitum sit.

### QVÆSTIO III.

*Quo pacto definiri debeat ens naturale, per comparisonem ad naturam, quam superare dicitur.*

51 **Q**uod inter differendum quæ præced, sæpe posuimus, modò ex professio statuendum. Scot. q. 1. prologi 8. *Ad questionem*, & in 4. dist. 10. q. 8. *Contra rationem*, & cum eo Scotiæ communiter ens naturale definiunt, quod vires actiuas naturæ excedit, quantumuis intra passiuas eius contineatur. Videantur Aureol. in 1. dist. 41. q. 1. art. 3. Philip. Faber disp. 3. prologi, & disp. 8. cap. 2. Basilius, Guillelm. de Rubione, Bargius, Tartaretus, Antonius Andreas q. 1. & 2. prologi, Herrera dist. 1. q. 5. Rada contr. 1. art. 1. Solia q. 1. prolog. art. 8. & alij. Quibus adde Solum

rum de naturâ, & gratiâ cap. 4. concl. 3. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. Quos omnes refert pro hac sententiâ Ripalda disp. 5. de ente supern. sect. 1. & disp. 8. sect. 2. illisque adiungit Conine de Virtutibus supernaturalibus disp. 4. num. 17. & disp. 7. num. 15. Sed ibi Conine reuerâ pro istâ sententiâ non est; longè diuersum est, quod docet, vt expendenti textum perspicuum fiet.

52 Secunda sententiâ tuetur, illud esse ens supernaturale, quod superat vires tum actiuas, tum etiam passiuas naturæ, nec amplius requiri ad eius conceptum. Hanc tribuit Ripal. supra n. 7. pluribus Recentioribus.

53 Tertia sententiâ ens supernaturale definit, res, cuius productio, & conseruatio superat exigentiam, ac debitum totius naturæ. Ita Ripal. supra sect. 2. Iungit autem cum productione conseruationem, vt à conceptu entis supernaturalis excludat Angelos, aliasque substantias primò constituentes naturam. Nam, licet prima productio Angeli non exigatur à naturâ, at eius conseruatio exigitur; quia exigitur ab ipso Angelo, qui pars quædam naturæ est. Quod dicit iussicere, vt Angelus ad ordinem naturæ spectet, substantiaque naturalis sit. Vnde vniuersè naturale esse definit, cuius productio, aut conseruatio naturæ exigentiam non excedit.

54 Quarta, & communis Theologorum sententiâ simpliciter, & absolutè pronunciat, id supernaturale esse, quod supra exigentiam, & debitum vniuersæ naturæ est. In hac sententiâ sunt Mag. in 2. dist. 33. S. Thom. 1. p. q. 12. art. 4. & 1. 2. q. 111. art. 1. Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 5. f. Dicendum ergo, & lib. 2. de Grat. cap. 4. num. 4. & lib. 6. cap. 9. num. 11. & lib. 2. de Attrib. cap. 8. num. 8. & lib. 3. de Aux. cap. 1. num. 3. & lib. 2. de Ang. cap. 29. num. 2. Vazq. 1. p. disp. 44. cap. 1. n. 1. & disp. 214. cap. 2. num. 8. Agid. Lufit. tom. 1. de Beat. lib. 11. q. 5. art. 2. §. 2. Arrub. 1. p. disp. 5. cap. 2. & disp. 21. cap. 5. & disp. 81. num. 3. Turrian. 2. 2. disp. 46. dub. 1. & disp. 67. dub. 2. & in Selec. 1. p. disp. 17. Scholast. dub. 1. Grana. 1. 2. contr. 8. de Grat. tract. 4. disp. 8. sec. 2. Fasol. 1. p. q. 12. art. 4. num. 22. Tam. 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 3. num. 4. Conine de Virtut. disp. 4. dub. 1. Salas 1. 2. tract. 11. disp. 6. sec. 16. num. 103. & alij communiter. Qui, licet discrepent in assignandâ naturâ, supra quam effertur ens supernaturale, vt vidimus q. præced. in eo tamen conueniunt, quòd illud sit ex quiditate conceptu supra exigentiam, & debitum talis naturæ. Et quoniam de ente supernaturali pertinente ad ordinem gratiæ tractant potissimum; supponunt vique, illud extra adæquatum conceptum naturæ esse, eique iam integrè constitutæ superuenire. Quod insuper præter hoc, quod est, esse naturæ indebitum, requiritur, vt aliquid absolutè, & simpliciter sit supernaturale, iuxta id, quod supra notauimus q. præced. n. 33.

### Propositio 1.

55 Vt sit ens supernaturale, non sufficit efferi illud supra actiuas vires naturæ.

Est contra primam sententiâ, & probatur. Primò; quia creatio animæ rationalis totius naturæ excedit vires actiuas: eò quòd à solo Deo creati potest naturaliter, vt apud omnes est in consensu; & tamen non est supernaturale, sed naturalis, vt est certissimum. Ergo, Quæ ad hoc

respondet Faber supra facillimè quisque reuincet. Ob id in eis repellendis non oportet morari: vide, si libet, Ripal. supra sect. 1. Secundo; quia, quod vires actiuas naturæ excedit, aliunde potest esse naturæ debitum, vt patet in creatione animæ debita materiæ dispositæ. Ergo, superare aliquid vires naturæ actiuas præcisè, non est esse supra naturam; quo sensu Concilia, & Patres dona gratiæ naturæ indebita supra naturam ponunt. Ergo neque est esse supernaturale eâ supernaturalitate, quæ nobis per fidem innotuit; de qua in præfati sermo est. Quæ pro se adferunt Scoistæ ex dictis, & ex dicendis facillimè ab vnoquoque poterunt dilui.

### Propositio 2.

Esse aliquid supra virtutem actiuam, simul, & supra passiuam naturæ, adhuc non sufficit, vt illud sit supernaturale.

Primò; quia creatio animæ rationalis supra actiuam simul, atque passiuam virtutem naturæ est; cum tamen naturalis sit: materia namque disposita nec potest, nec petit animam pati, seu recipere, sed solum ad componendum hominem, per illam mediâ vnione informari. Creatio si militer Angeli, naturalis cum sit, tam passiuam, quam actiuam naturæ facultatem transgreditur. Secundo; quia, quod vires naturæ actiuas, & passiuas superat, atque adeò iure effectiõis, vel receptionis ei non debetur, alio iure potest deberi proprietatis scilicet, aut accidentis connaturalis aliter, quam actione, aut passione quoquo modo perfectiõis naturam. Id autem, quod quouis pacto naturæ est debitum, supernaturale esse non potest consentaneè ad doctrinam fidei iuxta probationem secundam propositi. 1. Quæ ad hæc respondet, & contra opponunt Recentiores, minoris momenti sunt, quam, vt in eis repellendis morari expediat, apud Ripal. supra videri possunt.

### Propositio 3.

Definitiones entis supernaturalis, & naturalis, quas respectiue ad naturam tradidit Ripalda, prout in sententiâ tertîâ num. 53. retulimus, mihi non placent.

Primò; quia, quòd conseruatio Angeli naturæ sit debita impertinens est, vt ipsa substantia Angeli, & eius prima productio sint naturales; si penes naturæ debitum, & indebitum tantum naturalitas, & supernaturalitas entium metiende sunt, vt supponit Ripalda. Fieri enim potest, imò ita de facto fit, vti Ripalda ipse concedit, quòd Angelus quoad primum esse, & fieri totius naturæ sit indebitum; quantumuis duratio, & conseruatio eius naturæ sit debita. Igitur prima existentia, & productio Angeli supra naturæ debitum, atque ita supernaturales manebunt; quantumuis duratio, & conseruatio Angeli sint naturales. Et quidem esse possibile ens, cuius prima productio naturæ sit debita, & naturalis, conseruatio autem indebita, & supernaturale, vel è conuerto, haud dubium mihi est. Nam, sicut in moralibus sæpe possessio dat ius ad rem, quod, seculis possessione, non esset, sæpeque est ius primò rem possidendi, non item possessionem semper

continuandis: ita pariter in naturalibus potest acci- dere. Vbi prima existentia instar primæ posses- sionis est: duratio autem quasi possessionis con- tinuatio. Malè igitur per debitum, ac natura- litatem conseruationis ab ordine supernaturali abstrahuntur substantia Angeli, & aliæ similes quoad suum primum esse, & fieri.

58 Secundo, cum naturale non possit non æquiuocè dici de eo, quod constituit naturam, & de eo, quod naturæ est debitum, ut supra q. 2. n. 33. notauimus, adhuc per dictum circum- loquium non potuit Ripalda distinctionem in illius definitione vitare. Igitur satius ipsi fuisset planius asserere, uti nos ibi, naturale esse, quod vel naturam constituit, vel ipsi est debitum.

59 Hinc tertio malè definitur supernaturalis absolutè, cuius productio, & conseruatio natu- ræ est indebita. Quia, licet id utrumque reuera inueniatur in ente supernaturali quoad primum esse, & conseruari; at in ente (possibili citra dubium, ut nuper dicebam) quoad alterutrum eorum tantum supernaturali non inuenitur. Tum supernaturalitas entis in vniuersum non solum naturæ debitum, sed naturæ compositionem de- bet excludere, per eamque exclusionem explica- ri; seu definiri. Quandoquidem substantiæ, quæ primò constituerunt naturam, principio naturales fuerunt; quantumuis ultra omne ius naturale, & præter omne naturæ debitum fuerint pro- ductæ.

Propositio 4.

60 Igitur ens supernaturalis in vniuersum sic solum venit apertissime definiendum res- pectiue ad naturam. Quod est supra om- ne debitum, atque compositionem natu- ræ.

Est dicere: Quod neque naturæ, aut ali- cui parti eius debitum est ob improportionem, per excessum, quem habet ad illam; neque ad naturam ipsam pertinet tanquam pars eius. Cum tamen ens naturale sit, quod vel naturam con- stituit, vel ipsi, aut alicui parti eius est debitum ob proportionem, & titulum intercedentem, ut satis supra explicatum est. Hoc sensu, si non eisdem expressis verbis, definiunt ens supernatu- rale omnes Doctores commemorati pro quartâ, & communi sententiâ; dum illud ad naturam, ut quid ei indebitum comparant tanquam ad extre- mum ab ipso adæquatè distinctum; quo extra natu- ræ compositionem collocatum esse supponunt.

61 Quinimo hæc eadem est ipsissima notio entis supernaturalis, quæ nobis ex sacris Litteris per Concilia, & Patres innotuit. Quoties enim Scriptura prædicat, gratuita prorsus esse dona, quæ nobis ex diuinâ liberalitate promanant; quæ- que supernaturalia vocamus: ea utique supra naturæ debitum effert: quia gratia debitum excludit, iuxta illud ad Rom. 4. *Merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Concilia etiam, & Patres vbiunque agunt de his donis, omnino illa gratuita, indebitaque naturæ pronunciant, in solamque Dei gratiam, ac largitatem liberalem eorum collationem refe- runt. Theologi pariter inde prædictorum dono- rum supernaturalitatem colligunt, quod Scriptu- ræ, Conciliorum, Patrumque testimonijs explo- ratum vident, eorum productionem supra om-

nes vires, supra omneque debitum naturæ à solâ Dei gratiosâ liberalitate manare. Igitur conce- ptione eorum, vnde supernaturalitas entium nobis innotuit, primus, atque ad eò quiditarius conceptus entis supernaturalis in eo stat, quod sit supra debitum naturæ adæquatè distinctæ à se: (talis enim est citra dubium, de qua loquuntur Concilia, Patres, & Theologi). Quod est, esse supra debitum, ac compositionem naturæ, ut nos expressius definimus. Et quidem apertissi- mam omnium esse istam definitionem, inde conspicuè apparet, quod ea breuissimè iuxta, atque explicatissimè comprehendit omne ens su- pernaturale, & illud à naturali discernit, ut ex superius dictis liquidum est.

62 Porro ex ijs, quæ fusè præmissimus quæst. præced. constat, in idem recidere, esse ens su- pernaturale supra naturæ debitum, atque esse supra exigentiam, & ius naturæ. Quænam autem, & qualia sint exigentia, ius, atque debi- tum naturæ, supra quæ illud dicitur esse, ibidem abundè explicauimus. Id nunc aduerto. Quan- quam nullum ens supernaturale naturæ viribus ef- fici possit: quia, quidquid proprijs viribus natura patrat, eo ipso est ipsi debitum, & naturale; ob idque Patres contra Pelagium adscribentem natu- ræ viribus, quæ sunt dona gratiæ, non semel su- pra naturæ vires collocant ista dona. Ast, ut ali- quid sit supernaturale, non sufficit, quod sic illud supra naturæ vires; nisi sit etiam supra exi- gentiam, seu ius, seu debitum naturæ. Sublatâ enim à totâ naturâ virtute causatiuâ alicuius rei, si maneat intra naturam ipsam ius exigens talem rem à Deo, aut ab alio ente supernaturali causa- ri, causatio huiusmodi rei naturalis erit. Vide id in creatione animæ rationalis, quæ supra vires tam actiuas, quam passiuas naturæ est; & tamen, quia non est supra naturæ debitum, est naturalis.

63 Sed opponi potest primò contra propositio- nem. Monstra, & effectus per accidens non in- tenduntur à naturâ. Ergo neque exiguntur à natu- râ, nec ei debentur. Ergo non omne naturæ indebitum est supernaturale. Distinguo antece- dens. Monstra, & effectus per accidens in quan- tum huiusmodi; siue indiuisim sumpta non in- tenduntur, aut non exiguntur à naturâ; tran- seat. Quoad singula, ex quibus coalescunt; ne- go. Et nego consequentiam. Itaque, etsi mon- strum, aut aggregatum per accidens à nullâ causâ earum, quæ ad illud conferunt, exigatur: singula tamen, ex quorum coniunctione casu coalescit, suas causas habent, quibus debentur singulatim. Quod sat est, ut totam monstrum, seu aggregatum sit naturale. Adde, huiusmodi monstra naturæ vniuersitati deberi, ad cuius pulchritudinem faciunt, sicut vmbra ad venusta- tam picturæ, ut docet Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 8. De quo vide Conimb. lib. 2. Phys. cap. 9. q. 6.

64 Secundo obiicitur. Peccatum, cum sit quid naturale, neque exigitur à naturâ, neque ei debetur: quia potius est contra naturam. Er- go. Respondeo, peccatum quoad physicum, esse quod habet naturæ esse debitum, quidquid sit de moralitate. Et licet actio etiam physica sit contra naturam peccantis prout ratio- nalem, quatenus ipsi prout tali dissentanea, & difformis est, iuxta doctrinam à me traditam alibi. Ast id non tollit, quod physicè à tali naturâ, at- que iuridice exigatur ob physicas conuenien- tias, quas illi adfert. Instas. Quoad moralita- tem

rem saltem, siue quoad malitiam moralem non potest esse peccatum naturæ debitum. Ergo quoad illam ut minimum non erit naturale. Admissio antecedente; nego consequentiam. Quia, cum malitia moralis peccati sit monstrum quoddam ex physicis fundamentis coalescens, quorum nullum non est debitum singillatim naturæ, etiam si illa sumpta indiuisim non sit debita, naturalis erit iuxta doctrinam n. preced. Adde tamen, fortasse dici posse peccatum etiam quoad malitiam moralem huic Vniuerso debitum esse, si non propter se, propter bona, quæ ex tali malitiâ proueniunt. Pro quo soluendo debito, factus est in Governatore Vniuersi potestas, atque voluntas permissiua peccati.

65 Tertiò obijcitur. Violenta indebita sunt rebus, quibus per vim inferuntur, Ergo supernaturalia. Nego consequentiam. Quia factus est debita esse illa inferentibus, ut debita dicantur naturæ, quale vocatur, quod alicui parti naturæ debetur. Pariter de ijs, quæ præternaturalia vocant, philosophare.

66 Quartò obijcitur. Si Deus ultra id, quod natura postulat, intendat naturalia accidentia, supra naturæ debitum operabitur; nec tamen aliquid faciet supernaturale. Igitur definitio nostra entis supernaturalis minus sufficiens est. Respondeo, si Deus ultra id, quod vniuersa natura exigit, intentio faciat naturalia accidentia, aut aliud quiddam naturalis ordinis operetur, factum in, ut operatio eius, si non quoad substantiam, quoad modum tamen sit supernaturalis, quo solum pacto in tali casu supra naturæ debitum est. Id quod definitionem nostram potius commendat, quam oppugnat. Tantumdem euenit, quando Deus auxilia naturalis ordinis ultra vniuersæ naturæ debitum elargitur. Sed de his plura dicenda infra q. 5.

67 Quintò obijcitur. Non repugnat, effectum naturalis ordinis à causâ supernaturali prodire; sicut in probabili opinione conclusio theologica orta ex supernaturali præmissâ, & habitus acquisitus exercitio actuum supernaturalium naturales sunt. Igitur non, quiddam ultra naturæ debitum prouenit, est supernaturale. Respondeo, si effectus naturalis ordinis ultra vniuersæ naturæ debitum à causâ supernaturali nascatur, quod fateor possibile esse; non posse non illum esse, supernaturalem quoad modum. Quia solum etiam ratione consentaneè ad nostram definitionem excedet debitum naturæ; prout amplius explicabimus infra q. 5. citatâ.

68 Sextò denique obijcitur. Non repugnat causa naturalis, quæ non connexa entitatiuè cum possibilitate effectus naturalis valeat nihilominus illum causare. Sed sine tali connexionè nequit esse in causâ exigentia ad talem effectum. Igitur produci aliquid ultra exigentiam naturæ non tollit esse id naturale. P. Ripal. disp. 5. citatâ sec. 3. n. 30. concessio antecedente, ut tutò neget consequentiam, recurrit ad exigentiam subiecti, aut ipsius effectus producti, qui cum ponatur pars naturæ, exigentia eius, exigentia naturæ erit. Sed malè. Quia, quo iure admittitur possibilis causa actiua absoluta à possibilitate effectus, pariter admitti debet causa passiva. Igitur absque exigentiâ subiecti fiet etiam in tali hypothesi effectus effectus. Se autem ipsum quoad primum esse effectus exigere non potest, ut concedit ipse Ripal. in simili n. 11. Nec, quod suam conseruationem exigat, ad supernaturalitatem sui primi

esse quiddam conducit, ut contra eundem Ripal. supra propos. 3. concessimus. Igitur, concessio toto antecedente argumenti, malè se à vi consequentia tueret Ripalda. Quare ego, solâ maiore admittâ; minorem nego. Quia ad conceptum exigentiæ non magis requiritur in causâ connexio cum possibilitate effectus, quam ad conceptum potentia. Vnde, si in causâ inconnexâ cum dictâ possibilitate maneret nihilominus potentia ad causandum à effectu; etiam maneret exigentia, qua exigeret illum causare, prout aliâs supra contra Ripaldam ipsum statui.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum ens supernaturale in quantum huiusmodi aliter possit definiiri vniuersè sine respectu ad naturam, supra quam est.*

Q Vi ita definire satagunt, consequenter id putant possibile. Non desunt tamen graues Theologi, qui oppositum arbitrentur, censentes aliorum laborem irritum, & vacuum esse, ac sine successu. Ex vtriusque autem nonnulli istud genus definitionis à priori vocant, primarijve, aut absoluti conceptus entis supernaturalis, vocantes, quam q. præced. inquisimus, definitionem à posteriori, siue secundarij, aut relatiui conceptus entis supernaturalis. Igitur examinemus singillatim imprimis, quas hic Doctores prioris classis definitiones à priori entis supernaturalis adinuenerunt: inde enim capiemus lucem ad resolutionem questionis determinandam.

Zumel 1. 2. q. 110. art. 4. disp. 5. part. 2. in eo discriminat ens supernaturale à naturali, quod illud ut trinum, hoc verò ut vnum Deum respiciunt. Sed communiter reijcitur. Primò; quia Deus non minus est supernaturalis ut trinus, quam ut vnus, prout explicabimus infra q. 6. Secundo; quia si Deus spectetur ut obiectum, per actum fidei, aut etiam amoris naturalis potest respici ut trinus, & per actum fidei, amorisque supernaturalis potest respici ut vnus. Multi etiam sunt actus tam supernaturales, quam naturales, qui nullo modo habent pro obiecto Deum. Si autem Deus spectetur ut principium, tam supernaturalia, quam naturalia respiciunt Deum ut vnum: quia æquè vtraque à Deo ut omnipotente, atque adeò ut vno procedunt. Ut exemplar autem non magis à supernaturalibus respicitur Deus ut trinus, quam à naturalibus, quiddam interpretetur Gran. 1. 2. tract. 4. de Gratia disp. 8. n. 48. Quis enim dubitet, hominem factum ad imaginem, & similitudinem Trinitatis, ut dicitur Genes. substantia naturalis cum sit, melius referre, magisque æmulari Trinitatem, quam vbi Eucharisticum, actum misericordia, aliaque huiusmodi accidentia supernaturalia? Non igitur supernaturalia in proprio conceptu per respectum ad Trinitatem Dei, naturalia verò per respectum ad vnitatem constituantur.

Secunda sententia ens supernaturale definit esse, quod participat diuinam essentiam, aut attributa, prout sunt in se. Naturale verò, quod illa participat, prout sunt in alio. Ita Ioannes Vin.



Vincentius reled. de gratiâ Christi q. 1. fol. 34. Curiel. 1.2. q. 110. art. 1. dub. 1. §. 16. Gonzal. 1. p. disp. 26. num. 10. Herrera in 1. q. 1. d. 1. contr. 1. & Sossa q. 1. prolog. diff. 4. Sed impugnantur. Primò; quia obscure loquuntur contra definitionis iura. Secundò; quia non est excogitabilis participatio, qua supernaturalia præ naturalibus participant diuinitatem, prout est in se. Non enim participant per identitatem, nec per physicam vnionem, vt constat. Non per vnionem intentionalem, vel possessionem: quia sic dumtaxat per visionem claram, aut etiam per amorem beatificum participatur diuinitas, vt est in se. Non per causalitatem: quia per hanc tam naturalia, quam supernaturalia participant de diuinitate esse, quod habent. Non denique per imitationem, & similitudinem: quia, quod ad hanc attinet, multa naturalia præcellunt supernaturalia, vt patet in Angelo, & homine, qui in pluribus assimilantur diuinitati, quam Character, vbi Eucharisticum, habitus fidei, & alia huiusmodi accidentia. Aliud autem genus participationis excogitabile non est. Vide plura contra hanc sententiam apud Herice 1. p. disp. 48. nu. 27. & apud Salas 1. 2. tract. 1. 1. disp. 6. n. 95.

72 Tertia sententia asserit, ens naturale esse, quod ordinem diuinum spectat. Naturale verò, quod extra diuinum ordinem constituitur. Sic loquuntur Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. & 1. 2. q. 62. art. 3. & q. 63. art. 3. sæpeque alibi. Machin. 1. p. disp. 16. sec. 8. §. 3. & Antonius Perez in Laureâ Salmantinâ certam. 4. scholast. à num. 48. Sed satis obscure. Quid est supernaturalæ præ naturali ad diuinum ordinem pertinere? Est ne peculiari modo Deum respicere? Hunc modum oportebat exponere. Expositus autem per ea, quæ diximus, & dicemus, cum cæteris proculdubio maneret explosus.

73 Quartò Albertinus noster Principio 1. philosophico q. 2. theol. num. 4. & Principio 2. q. 5. num. 2. excellentiam entium supernaturalium præ naturalibus per ordinem ad Deum vt actum purum satagit explicare. Sed non maiore operâ fructu, quam alij. Quia Deus, vt actus purus neque vt obiectum, neque vt principium, neque vt exemplar, neque aliter respicitur à supernaturalibus aliquo peculiari respectu, quo non respiciatur aut ab omnibus, aut à plurimis naturalibus, vt contra præcedentes sententias arguebam in simili: pariterque descendendo ad singula potest hic argui.

74 Quintò Fasol. 1. p. q. 12. art. 4. num. 22. supernaturalitatem entis creati ponit in ordine essentiali ad substantiam diuinam, & increatam, cui immediatè coniungit substantiam creatam vel per cognitionem, vel per amorem, vel per hypostaticam vnionem, &c. Sed non bene. Primò; quia multa sunt entia supernaturalia, quæ non coniungunt Deo immediatè substantiam creatam nimirum vbi Eucharisticum, character, habitus infusi virtutum moralium, earumque actus; actio, qua frigus à calore procederet, si id est possibile, vt fert sententia satis communis; actiones item, quibus sunt quælibet entia supernaturalia, & alia id genus. Secundò; quia amor Dei naturalis, & scientia naturalis de ipso non minus immediatè coniungunt animam cum Deo, quam amor supernaturalis, & fides diuina de eodem. Igitur per hoc, quod est, coniungere substantiam creatam cum Deo immediatè, nec constituitur ens naturale vniuersè, nec feceratur à naturali.

Sextò Herice 1. p. disp. 48. cap. 3. cum alijs 75

Recentioribus totum ordinem supernaturalem constituit aut in coniunctione immediatà cum Deo, aut in respectu, & ordinatione ad talem coniunctionem, aut in effectu manante ab ipsa. Itaque asserit, rationem entis supernaturalis consistere in connexionem, quam illud petit habere cum Deo, vt est in se; vel immediatè, eaque aut physicà, qualis est vnio hypostatica, aut intentionali, qualis est visio, amor, & fructio beatifica; vel mediatè, qualem habent habitus, & actus virtutum per se infusarum; vel proprià effectuum coniunctionis immediatæ, quales habent dotes corporis gloriosi, & alia accidentia, quæ subsequuntur visionem beatificam. Verùm adhuc non bene rem edisserit sententia ista. Primò; quia multà vitur disunctione in definiendo non patet definitionis vitio. Videtur sanè potius specialia dona, quibus supernaturalitas conuenit, recensere, quam conceptum supernaturalitatis illis communem definire. Secundò; quia amor Dei naturalis, saltem qui à visione Dei intuitiua iuxta probabilem sententiam oriri potest, non minus immediatè coniungeret animam cum Deo, quam amor supernaturalis. Tertio; quia actio, qua frigus à Deo eleuatum potest producere calorem, & vniuersim quoduis ens aliud quoduis iuxta sententiam valde probabilem, supernaturalis est intrinsecè citra omne dubium; nec tamen vllam omnino connexionem habet cum coniunctione immediatè Dei, vt etiam est notum. Quartò; quia hæc explicatio vt summum solum amplectitur dona ea supernaturalia, quibus ex fide nouimus substantiam intellectualem de facto existentem à Deo ditari; non item innumera alia possibilia, quibus citra omnem prorsus connexionem, respectumque ad coniunctionem sui immediatam posset Deus pariter omnem substantiam irrationalem existentem, & vniuersim quasuis cuiusuis generis substantias possibles supra omne naturæ debitum exornare. Quintò; vbi Eucharisticum, quod vel est intrinsecè naturale de facto, quidquid refragetur Herice, vel saltem tale sine dubio est possibile, cum coniunctione immediatè Dei nec minimam connexionem habet. Sextò denique in eo peccat Herice, quòd accidentia materialia oriunda à visione beatificà eo ipso inter entia supernaturalia recenset; cum tamen possibile absque dubio sit aliquod ens naturale ab ente supernaturali tanquam à causâ æquiuocà nasci, vt supra retigimus, & inferius latius monstrabimus. Postremò; non satis declarat Herice, qualis debeat esse connexio mediata cum visione, vel amore beatifico, quam alia supernaturalia debent habere.

Septimò Hurt. tom. de Fide disp. 46. sec. 1. n. 2. 76  
ens naturale quoad absolutum supernaturalitatis conceptum, de quo nunc agimus, definit. Quod spectat ad gradum videndi Deum formaliter, aut causaliter, vt vnio hypostatica, visio beata, & fides. Hæc tamen sententia ferè recidit in præcedentem re ipsa, eademque, quæ illa, contra se habet. Quæ non opus est inculcare.

77 Octauò denique Ripal. disp. 4. de ente supern. sec. 3. asserit, proprium donorum supernaturalium conceptum connexionem esse quiditatuam cum gratiâ sanctificante physicam, aut intentionalem, immediatam, aut mediata, antecedentem, aut consequentem. Connexionem quiditatuam vocat, qua res cum gratiâ sanctificante existente, vel possibili essentialiter est connexa.

*Physicam*, quæ secundum entitatem physicam, intercedit, ut inter causam, & effectum, actionem, & terminum, & similia. *Intentionalem*, quæ res ita cum gratiâ sanctificante comparatur, ut species, & cognitio quiditatiua earum soli gratiæ sanctificanti debita, & connaturalis sit. *Immediatam*, quæ per se; *mediatam* autem, quæ mediâ alterius rei connexionem respicit gratiam sanctificantem. *Antecedentem* denique, quæ rebus conuenit gratiæ existentiam nexu aliquo præcedentibus. *Consequentem*, quæ rebus subsequen-  
tibus illam.

78 Neque ista definitio aridet; imo vehementer displicet mihi. Primò; quia multiplici disunctioni vitiosè subicitur; vnumque subinde conceptum entis supernaturalis non exhibet contra conatum sui Auctoris. Connexiones enim cum gratiâ sanctificante, ad quas omne ens supernaturale tentat pertrahere, valde analogicè, seu æquiuocè cadunt sub nomen connexionis. Secundò; quia multa supponit incerta, & valde exposita litigio; quo & litigiosa vitiosè redditur, & alia secum fert incommoda, quæ suprâ q. 2. in simili commemorauimus contra eundem Ripaldam. Tertio; quia post hæc nec omne ens supernaturale comprehendit, nec omne naturale excludit maximo definitionis vitio, ut discurrendo in particulari iam iam ostendo.

79 Utque omittam, gratiam ipsam sanctificantem sub ipsam definitionem non cadere, nisi addatur noua disunctio, atque adeò nouus supernaturalitatis conceptus: uti addit ipse Ripald. sec. 4. n. 32. dicens, gratiam sanctificantem idcirco esse supernaturalem, vel quia per se est participatio diuinæ naturæ, vel quia secum ipsâ logicè saltem connexa est. Oppono imprimis ex donis supernaturalibus, quæ ex fide diuinâ nouimus, e. g. fidem ipsam tam habitualem, quam actua-  
lem. De qua certum est, essentialiter, & physicè cum gratiâ sanctificante prout existentium non conueniri: quandoquidem in peccatore sine tali gratiâ inuenitur. Sed nec conuenitur modo dicto cum illâ ut possibili. Ergo. Probo hanc minorem. Primò; quia, dato per impossibile, quod repugnaret omnis gratia sanctificans hominem, aut Angelum, non fieret per locum intrinsecum, repugnare eidem fidem diuinam. Quis enim dicat, fore in illâ hypothesi, ut Deus non posset, quod sibi placeret, homini, aut Angelo ultra omne naturæ debitum reuelare, atque eleuare intellectum eius, ut fide crederet etiam superantem naturam? Certè id sine fundamento, ne dicam temerè, diceretur. Secundò eadem minor ad hominem contra Ripald. clarè ex principijs eius videtur ostendi. Ipse enim agens de possibilitate substantiæ supernaturalis disp. 23. concedit, substantiam possibilem, cui debita, & connaturalis sit fides diuina, non verò sanctitas. Deinde solema dogma vbique repetitum in hoc Auctore est, id, quod naturæ debitum, & exigentiam superat, non posse non esse quoque supra omnem connexionem eius; sicut è contrâ, quod naturæ debitum, & connaturale est, eo ipso non posse non quoad esse possibile connexionem quiditatiuam eiusdem naturæ terminare. Videatur præcipue disp. 32. & alijs, quas ibi refert sec. 3. Tum sic substantia illa possibilis, cui fides esset connaturalis, secus gratia sanctificans, secundum dogma statutum nullam omnino connexionem haberet cum possibilitate gratiæ sanctificantis; cum possibilitate verò fidei essentialiter connexa

esset. Igitur fides cum possibilitate gratiæ sanctificantis connexa non est. Patet consequentiâ. Quia, si fides conueniret cum gratiâ, substantia connexa cum fide mediâ eum ipsâ gratiâ connexa esset. Hæc ratio vniuersaliter ex præstituto ipsius dogmate probat contra Ripaldam, fidem diuinam nec connexionem intentionali conueniri cum gratiâ: quod tamen insuper probabitur aliter n. sequente. Igitur fides diuina, supernaturalis cum sit, nullatenus cum gratiâ sanctificante connexa est. Non ergo omne ens supernaturale est cum tali gratiâ connexum, ut data definitio profert. Nec refert, fidem ut præuiam, & necessariam dispositionem præcedere gratiam sanctificantem: id namque ut summum arguit connexionem gratiæ cum fide, non è conuerso. Nam etiam substantia hominis, aut Angeli præcedit eandem gratiam ut subiectum necessarium, & essentialiter: cum tamen sententiâ Ripaldæ omnino sit absoluta ab illâ; eiusdemque, & omnium sententiâ naturalissima.

Deinde oppono ea supernaturalia accidentia, quibus Deus citra omne dubium posset, si vellet substantiam irrationalem supra omne naturæ debitum adornare; qualis fortasse fuit virtus præseruatiua mortis in arbore vitæ. Hæc enim ex nullo capite videntur vllam cum gratiâ sanctificantem connexionem habere. Respondet Ripald. n. 33. est non habeant physicam, habere tamen connexionem quiditatiuam intentionalem, quæ ad supernaturalitatem sufficit: quoniam species, & cognitio quiditatiua eorum accidentium soli deberetur gratiæ. Sed contrâ. Quia sine fundamento assumit, nec probat, species, & cognitionem quiditatiuam accidentium supernaturalium gratiæ sanctificantis, atque soli ipsi deberi; imo contra rationem. Inde enim sequeretur, Angelos, & primos Parentes hoc ipso, quod Deus illos creauit in gratiâ, species, atque notitiam intuitiuam omnium mysteriorum, omniumque accidentium supernaturalium in toto vniuerso futurorum connaturaliter, & sine nouâ gratiâ accepisse; nec potuisse citra miraculum non accipere. Quod inauditum est in Theologia, sequeretur etiam, contra naturam gratiæ esse, quod hominibus iustis in hac vitâ notitia quiditatiua, siue intuitiua aut aliquorum, aut omnium entium supernaturalium aliquando saltem non conferatur. Quod & inauditum est, & à ratione alienum. Vnde rursus fieret, connaturaliter posse se in hac vitâ iustum, imo & debere quiditatiuè cognoscere, atque adeò intuitiue cernere quandoque saltem, se esse in gratiâ. Quod aduersatur Trid. sess. 6. cap. 9. Denique, ut vno verbo plura complectar, sequeretur, homini existenti in gratiâ notitiam intuitiuam omnium entium supernaturalium debitam esse, & contra iura naturalia gratiæ negari illi, dum negatur. Et quoniam notitia intuitiua essentialiter cum suo obiecto connexa est, ut sæpe supponit Ripaldæ; & iuxta ipsius dogma paulò ante commemoratum non potest non gratia habitualis cum omni notitiâ intuitiua debita sibi connexa esse: conficitur, gratiam habitualem cum omni ente supernaturali possibili connexam esse; & consequenter fere cum omni creaturâ possibili. Quod est absurdum. Quia nulla ferme erit creatura possibilis, cui non sit possibile aliquod accidens supernaturaliale cum ipsâ connexum.

Sed estò sit debita gratiæ sanctificantis notitia quiditatiua cuiusvis entis supernaturalis. Hæc

sanè non efficitur, tale ens cum gratiâ sanctificante connexum esse quiditatiuè. Quia bene potest esse alicui subiecto connaturalis, & debita; notitia quiditatiua alicuius rei, imò & res ipsa; quin hæc cum tali subiecto adhuc ut possibili essentialiter connexa sit: frigus enim aquæ connaturale essentialiter cum aqua etiam ut possibili non est connexum iuxta sententiam mihi probabiliorem hoc ipso, quòd aqua non est vnica; & essentialis causa eius. Sed demus, omne ens supernaturalè cum gratiâ habituali connexum esse metaphysicè. Hinc contradictionis arguuntur principia Ripaldæ: nimirum, ex vnâ parte gratiâ habitualis indebita, & supernaturalis erit multis substantijs possibilibus, quibus alia accidentia supernaturalia inferioris naturæ debita sunt, & connaturalia, ut ipse statuit disp. 23. ex aliâ verò parte gratiâ habitualis talibus substantijs indebita, & supernaturalis non erit, (quæ est clara contradictio); eo quòd medijs accidentibus supernaturalibus sibi debitis quiditatiuè erunt illæ cum gratiâ habituali connexæ; & nequit aliquid indebitum, & supernaturale esse substantiæ, quæ cum ipso quiditatiuè connexa est, iuxta solemne dogma Ripaldæ supra commemoratum.

82 Ad hæc. Si gratiâ sanctificans tantæ est perfectionis, & excellentiæ, ut cætera cuncta entia supernaturalia debito connaturalitatis aut physico, aut intentionali sibi habeat deincta; cur pariter titulo eiusdem excellentiæ aliquod saltem ens naturale deuinctum sibi non habeat? Perfectio irrationaliter negabitur, esse gratiâ sanctificanti debitam quiditatiuam notitiam vnus saltem, aut alterius veritatis naturalis, quando ei ob suam præstantiam omnium veritatum supernaturalium notitiam quiditatiuam deberi affirmatur. Semel autem admissio, vel vnum accidens naturale hominis cum gratiâ sanctificante ratione huiusmodi debiti connexum esse. Imprimis definitio data entis supernaturalis deficit, in præterea redditur: quia conuenit alijs à definito. Deinde in principijs Ripaldæ maius absurdum sequitur. Erit namque homo medio tali accidente sibi connaturali connexus cum gratiâ sanctificante; atque ita hæc ipsi supernaturalis non erit. Quod est contra fidem. Nequit enim secundum dogma Ripaldæ saepe relarum aut homo non connecti cum possibilitate accidentis sibi connaturalis, & mediâ hac cum possibilitate gratiæ sanctificantis, posito, quòd cum eadem tale accidens connexum sit; aut gratiâ esse supernaturalis substantiæ hominis, quæ cum illâ saltem ut possibili connexa est. Mitto alia,

83 Et venio ad secundam solutionem, quam argumento proposito à nobis n. 80. exhibet Ripaldæ suo n. 34. dicens, nulla esse accidentia possibilis supernaturalia, propriaque cuiusuis omnino substantiæ etiam irrationalis, quæ non sint physice etiam debita alicui sanctitati saltem substantiali, nempe vnioni hypostaticæ, cum eaque pariter connexa; (supponit enim ex tract. de Incarn. Deum cum quavis substantiâ etiam irrationali hypostaticè posse vniri). Nam, quidquid perfectionis, inquit, excogitari potest in substantiâ creatâ, vnioni hypostaticæ cum Deo debitum est; cum infinite perficiat substantiam, quam Deo coniungit, ratione infinite sanctitatis, & bonitatis diuinæ, quæ talem vnionem terminat; verba sunt eius. Ex quibus ipse arripio impugnationem. Quidquid perfectionis excogi-

tari potest in substantiâ creatâ, vnioni hypostaticæ cum Deo debitum est. Igitur perfectiones etiam naturales substantiæ creatæ assumptæ à Deo pariter, ac supernaturales, imò potiori iure sunt debite vnioni hypostaticæ. Consequens hoc ex verbis Ripaldæ manifestè colligitur; & per se etiam satis perspicuum est. Quis enim dicat, humanitati Christi Domini, cui titulo vnionis ad Verbum tot dotes supernaturales debite erant, non fuisse eodem titulo debitam bonam corporis dispositionem, salubrem complexionem, integritatem, & aptam proportionem membrorum, sensus externos, & internos, aliasque tum corporis, tum animæ potentias proprijs organibus, instrumentis, ac dispositionibus naturalibus optimè instructas, & cæteras huiusmodi naturæ humanæ perfectiones? Quis audeat asserere contra iura vnionis ad Verbum non factum, iri, si Christus Dominus nasceretur, deincepsque semper viueret cæcus, surdus, claudus, mancus, gibosus, delirabundus, aut mente captus? Non ergo supernaturales dumtaxat, sed naturales etiam perfectiones humanitatis sunt debite vnioni hypostaticæ, ambæque titulo huiusmodi debiti pariter cum vnione ipsâ connexæ secundum theologiam Ripaldæ. Quod si ita est; videat iam ipse, quæ sequuntur. Primum, suam definitionem non solum supernaturalibus, sed naturalibus etiam entibus conuenire: vtraque siquidem pari ratione quiditatiuè cum aliquâ sanctitate connexa sunt. Quo nihil in definitione entis supernaturalis deterius. Secundum absurdius iuxta sua principia, vnionem ad Verbum humanitati Christi Domini indebitam, & supernaturalem non esse, utpote non superantem connexionem quiditatiuam talis humanitatis: hæc namque medijs suis proprijs, ac naturalibus perfectionibus non potest non connexa esse cum vnione ipsâ ut possibili, uti arguebam in simili n. præced.

84 Hinc tertio arguo contra sententiam Ripaldæ. Si enim ad conceptum entis supernaturalis sufficit quiditatiua connexio cum qualibet sanctitate etiam substantiali, nullum erit ens creatum non supernaturale. Quia nullum est, quod cum sanctitate substantiali, qua Deus in se sanctus est, non sit connexus quiditatiuè. Et quidem, si præstantia sanctitatis creatæ facit supernaturalia esse, quæ secum quiditatiuè connexa sunt, cur non potius infinitudo sanctitatis diuinæ, aliarumque perfectionum increatarum Dei?

85 Quarto. Non repugnat ens supernaturale, cui debitus, & connaturalis sit effectus ordinis naturalis. Vniuersaliter enim causa superioris generis bene potest continere eminenter effectus inferioris generis, in eiusque productionem incumbere illam tanquam sibi debitam exigendo: imò de facto, ut concedit Ripaldæ n. 43, habitus naturalis ab actibus supernaturalibus generatur, ab eisque exigitur. Igitur effectus naturalis causæ supernaturali debitus est. Igitur cum illâ connexus quiditatiuè, & mediâ illâ cum gratiâ sanctificante; atque adeò sub definitionem cadit entis supernaturalis, quam impugnamus. Negat Ripaldæ, habitum naturalem cum actibus supernaturalibus connexum esse. Nam, licet ab eis tanquam effectus exigatur; ipse tamen eos non exigit pro causâ; quia suâ naturâ à solis actibus naturalibus postulat gigni. Sed ego profectò non video, qua consequentiâ hoc dictum sit. Per te, quidquid est debitum gratiæ sanctificanti, eo

ipso est connexum cum illà quidditatè, prout ad conceptum supernaturalitatis requisitum est, vt num. 33. & 34. statuiti, & constat ex hæcenus dictis. Quomodo ergo concedens modò actus supernaturales habitum naturalem vt proprium, effectum exigere, quod fieri nequit, nisi talis habitus talibus actibus sit debitus, negas nihilominus, ipsum habitum cum ipsis actibus esse connexum quidditatè, ne illum contra statutam definitionem mediatè connexum, cum gratià cogaris confiteri? Rursus, per te actus supernaturales gratià sanctificanti sunt debiti titulo supernaturalitatis. Ergo illos exigit gratià sanctificans, quia esse eos gratià debitos, & ab eà exigì, pro eodem tu accipis in præsentì. Sed per te huiusmodi actus habitum naturalem tanquam sibi debitum exigit. Ergò habitus naturalis mediatè exigitur à gratià sanctificante, mediatèque ipsi debetur; atque adeò nequit non eam connexionem mediatam cum tali gratià habere, quam tua definitio enti supernaturali præscribit. Vnde rursus nequit non sequi illud absurdum, quod aliàs in simili nuper inferebamus. Anima enim nostra nequit secundum tuam doctrinam non esse connexa cum habitu tanquam cum quadam perfectione sibi connaturali, & medio habitu cum actibus, à quibus fit habitus, & medijs actibus cum gratià sanctificante: quo tandem efficitur contra fidem, vt gratià sanctificans nobis indebita, & supernaturalis non sit. Mitto plura. Quia hæc sufficiunt. Pergoque, his positis, ad resolutionem questionis.

#### Propositio vnica

86 Ens supernaturale in quantum huiusmodi non est definibile vniuersè aliter quam per comparisonem ad naturam, supra quam est.

Hæc propositio contra eos omnes est, qui, vt vidimus, aliter, quam per respectum ad naturam, supra quam est, ens supernaturale definire tentarunt. Sed eam tenent absque dubio Sal. 1. 2. tract. 1. disp. 6. num. 103. Coninc. 2. 2. disp. 5. dub. 4. Alarc. tract. 1. disp. 2. cap. 3. & alij ex commemoratis supra q. 3. num. 54. Qui rem ex professo differentes, aliisque etiam refutatis definitionibus, in eà tandem quieuerunt, quæ datur per respectum ad naturam, quam superat ens supernaturale. Expressius tamen tradunt propositionem aliqui Recentiores, præter eos, quos citat Ripal. supra sec. 2. num. 19. Probatum autem primum ijs omnibus in vniuersum, quibus reiecimur definitiones excogitatas hæcenus pro definiendo ente supernaturali sine respectu ad naturam, supra quam est.

87 Deinde specialiter, atque efficaciter probatur, Quia, licet fortasse conceptus aliquis à naturà absolutus excogitari à nobis possit communis omnibus, & solis entibus supernaturalibus, quæ ex fide nouimus; quorumque proinde prædicata perspecta habemus; at communis in super omni enti supernaturali possibili necunde potest à nobis inuestigari. Quis enim infinitorum, ac diuersorum entium possibilium, atque superantium naturam valeat essentias comprehendere, vt queat prædicatum eis omnibus, & solis communem signare, præter prædicatum essendi supra ipsam naturam? Quid? Non solum à nobis inassi-

gnabilem, sed impossibilem profus reputo talem conceptum, seu prædicatum. Quoniam non dubito, nec est, cur quispiam alius dubitet, quin sint plurima entia possibilis adeò inter se diuersa, vt, præter prædicata communia entibus supernaturalibus, & naturalibus, & hoc prædicatum essendi supra naturam, siue superandi naturam, nullum aliud omnino prædicatum à naturà absolutum habeant, in quo inter se assimilentur, siue conueniant. Igitur huiusmodi entibus reuera supernaturalibus ex prædicato superandi naturam, & cæteris omnibus idem prædicatum habentibus conceptus communis à naturà absolutus, nec ad entia naturalia se extendens, non solum à nobis inassignabilis, sed verè impossibilis est.

Dicit fortasse aliquis, esse impossibilia dicta entia. Quia entia, quæ ponuntur habere hoc prædicatum essendi supra naturam, in eoque conuenire, non possunt non habere aliud ipsi annexum, & absolutum à naturà, in quo etiam conueniant, præter ea, in quibus conspirant cum entibus naturalibus. Sed contra est. Sitque probatio tertia nostræ propositionis. Quia prædicatum essendi supra naturam cum nullo alio à naturà absoluto, & supernaturalium proprio cernitur habere connexionem. Absque fundamento autem eam ostendente talis connexio adstruenda non est. Imò, non esse eam re ipsa, positiue probatur. Quia, vt aliquod ens supra naturam collocetur, nihil amplius requiritur, quam, quòd sit eadem, naturæ improporionata per excessum, prout in qq. præced. abundè explicuimus. Ad hoc autem, vt plura sint, per excessum improporionata naturæ sat est, quòd singula excedant naturam, quantum requiritur; vt non sint ei proportionata; quantumis excessus huiusmodi inter se inæquales, ac profus dissimiles sint. In nihilo ergo debent absolute in se conspirare; quæcunque naturam ita excedunt, vt illi sint improporionata, præterquam in hoc ipso, quòd est, illam usque ad improporionem excedere. Igitur prædicatum essendi supra naturam nullum aliud prædicatum arguit à naturà absolutum in entibus, quibus conuenit, solis ipsis commune.

Dices cum Ripaldà supra num. 7. Omnis relatio inæqualitatis supponit perfectionem absolutam, in qua fundetur. Ergo, præter conceptum relationum superantis naturam omni, & soli enti supernaturalium communem alius est reuera absolutus, ac præuus, in quo ille fundetur, & cuius inquisitio, & signatio merito curam, & laborem Theologorum exposulet. Distinguo antecedens. Omnis relatio inæqualitatis supponit perfectionem absolutam in qua fundetur, quæ in omnibus inæqualibus sit eiusdem rationis vno conceptu conceptibilis, vnàque definitione explicabilis; nego. Quæ sit eiusdem, vel diuersæ rationis, atque adeò vel adunabilis, vel secus sub vnà definitione, & conceptu; concedo. Et nego integram consequentiam. Quoniam, vt constat ex nuper dictis, perfectiones entium supernaturalium fundantes ex parte eorum relationem inæqualitatis, improporionisve cum naturà in nihilo debent conspirare ante eam relationem; sed profus, possunt esse dissimiles, de factoque sunt in plerisque dictorum entium. Quo fit, vt aliter, quam per dictam relationem inæqualitatis, seu improporionis cum naturà, neutiquam sint definibiles definitione cunctis communi: quia nihil omnino habent, in quo conueniant, præterquam in hoc, quòd est, superare naturam, siue esse inæquales illi,

illi; improportionataque per excessum.

90 Inhabis cum eodem Ripaldà n. 37. Definitio entis supernaturalis data respectu ad naturam solum continet conceptum secundarium eiusdem entis nominis potius, quam rei definitivus: quo iure alij vocant illam definitionem à posteriori. Ergo alia est definitio quaerenda, quæ res ipsa, conceptusque eius primarius notificetur: quæque definitio à priori vocari possit. Nego antecedens, si sermo sit, uti est, de ente supernaturali quæ tali. Quia, licet supernaturalitas in supradicta improportione cum naturâ consistens supponat in singulis entibus, quibus inest, proprias eorum essentias, quorum veluti passio quadam metaphysica est, iuxta doctrinam vniuersalem de essentia, & passionibus alibi à nobis traditam: nempe in visione Dei supponit essentiam visionis, in gratiâ essentiam gratiæ, in fide essentiam fidei, &c. At ea est, quæ ens supernaturalis vniuersè primario in esse talis constituit: quia nullus alius est conceptus omni enti supernaturali communis, qui præcedat illam, ut vidimus. Quare neque est, cur definitio illam explicans definitio à posteriori, seu descriptiua dicenda sit: quasi non essentiam, sed proprietatem definiti delectet: multoque minus dici debet definitio solum explicans nomen. Vide quid simile in conceptu inæqualis, à quo Angelus, homo, leo, equus, & alia huiusmodi essentia inter se diuersa inæquales in perfectione dicuntur lapidi. Quamquam enim inæqualitas Angeli comparatione lapidis supponat essentiam Angeli, in qua fundatur, & inæqualitas hominis essentiam hominis, &c. Quia tamen nihil habent ista essentia commune, unde huiusmodi inæqualitates nascantur; eo quod ab ipsis prout includentibus vltimas suas differentias nascuntur: nihil est, à quo vniuersè inæquales lapidi dici possint ante ipsam inæqualitatem formalem. Unde per hanc primario in esse inæquales constituuntur, quantumvis prius sit in Angelo esse Angelum, quam esse lapidi inæqualem, & in homine esse hominem, & in cæteris pariter. Sicuti ergo essentia dicitur primario constituuntur in esse lapidi inæqualium per hoc, quod est excedere lapidem in perfectione; ita visio beata, fides, gratia, & cætera cuncta entia supernaturalia primario in esse supernaturalium sunt dicenda constitui per hoc, quod est, ita vniuersam naturam excedere, ut supra omne debitum eius, atque compositionem sint, prout explicuimus q. 3. Ex quibus omnibus conficitur, vnicam legitimam, imo quiditatiam, & à priori, ut vocant, definitionem entis supernaturalis esse, quam ibidem stabiliuimus.

QVAESTIO V.

*Qualiter ens supernaturalis quoad substantiam, & ens supernaturalis quoad modum discriminentur. Et quotuplex utrumque sit.*

91 **Q**uid sit ens supernaturalis quoad substantiam, & quid ens supernaturalis quoad modum breuiter pertrinximus supra q. 1. explicaturi susus hic opportuniori loco, postquam definitionem entis supernaturalis in vniuersum statuissimus. Quæcunque enim pro illa statu-

dà congeessimus fere communia sunt enti supernaturali quoad substantiam, & enti supernaturali quoad modum; aut certè vtriusque exactæ applicationi æqualiter fere deseruiunt. Quinimo, si definitio entis supernaturalis, quam vniuersim statuimus, tam enti supernaturali quoad modum, quam enti supernaturali quoad substantiam commodè applicetur, ut debet, nihil pro vtriusque intelligentiâ, ac discretionem desiderabitur: facileque in ipsâ radice præscinduntur nonnullæ controuersia de nomine, quas circa entia supernaturalia quoad modum versant Theologi aliqui præsertim Recentiores.

92 Enim verò, cum ens supernaturalis quoad substantiam illud omnino vocetur, atque vocari debeat, quod tale est secundum suam intrinsicam entitatem, seu potius secundum suam essentiam specificam, ut bene notauit Soar, lib. 2. de Attrib. cap. 8. n. 8. & lib. 2. de Angelis cap. 29. n. 2. Ens verò supernaturalis quoad modum, quod tale est secundum aliud quidpiam essentia suæ specificæ superueniens. Ob idque primum ab alijs intrinsicè; ab alijs entitatiuè, ab alijs quiditate supernaturalis dicatur: secundum verò supernaturalis tantum extrinsicè. Cum, inquam, hoc ita sit, si definitionem stabilitam q. 3. propos. 4. entis supernaturalis in vniuersum enti supernaturali quoad substantiam, & enti supernaturali quoad modum diuisum, ac proportionaliter applicemus, quid de vnoquoque eorum dicendum sit, planè constabit. Erit enim primum, quod secundum essentiam suam specificam omne debitum, ac compositionem vniuersæ naturæ superat. Secundum, quod id ipsum superat secundum aliquid aliud superueniens essentia suæ.

93 Cæterum quia ea, quæ essentia alicuius rei superuenire dicuntur, eamque subinde aliquâ ratione denominant, multiformia sunt, innumerosque propemodum modos diuersos denominandi habent; hinc nata occasio dissidendi. Non enim conueniunt Theologi in assignandis illis, à quibus supra naturæ debitum, compositionemque existentibus ens, cuius essentia accrescunt, supernaturalis quoad modum vocari debeat.

94 Ripaldà disp. 1. de ente supern. sec. 4. in tria membra distinguit supernaturalia quoad modum: nempe quoad modum intrinsicum, quoad modum extrinsecum, & quoad modum partim intrinsicum, & partim extrinsecum. Exemplum primi ponit in quantitate, quæ per creationem intrinsicè supernaturalem producitur, ab ipsaque tanquam à modo sibi intrinsicè supernaturalis quoad modum denominatur. Exemplum secundi ponit in opere naturali externo, aut interno, quod ab imperio intrinsicè supernaturali procedit, ab eoque pariter euadit supernaturalis quoad modum. Exemplum denique tertij ponit in visu miraculosè recuperato, & in corporibus miraculosè penetratis, ubi, cum nihil seorsim sit supernaturalis intrinsicè, coexistentia nihilominus plurium supra naturæ exigentiam, atque adeo supernaturalis est.

95 Ad hæc tria capita adæquata diuisione reuocata sunt, ut apparet, quæcunque superueniendo rerum essentijs illas supernaturales quoad modum denominare possunt. Verum, cum res naturales ex motiuo supernaturali, atque adeo per supernaturalis decretum productæ à Deo ad secundum caput pertineant non minus, quam quæ ab imperio supernaturali procedunt: nihilominus Ripal. non vult, ut illæ supernaturales quoad

quoad modum à tali decreto asserantur, contra Vazq. 1. p. disp. 91. cap. 14. & 1. 2. disp. 189. cap. 16. Coninc. 2. 2. disp. 4. dub. 7. n. 122. Herice. 1. p. disp. 25. cap. 4. n. 36. & disp. 48. cap. 2. n. 13. Petr. Hurt. disp. 46. de fide. sec. 1. n. 2. & alios asserentes, auxilia gratiæ, aliaque dona in suâ substantiâ naturalia supernaturalia quoad modum esse, quando ex motiuo supernaturali conferuntur à Deo, videlicet ex fine sanctificandi, aut glorificandi hominem, ex motiuo remunerandi merita Christi, & similibus, Ex quo patet, secundum membrum diuisionis vniuersaliter positum à Ripaldâ suâ ipsius sententiâ constans non esse. Sed neque tertium constans est sententiâ aliorum Recentiorum, qui nihil supernaturalis quoad modum admittunt, quod ab aliquo supernaturali quoad substantiam tale non sit; atque ita penetrationem corporum, & similia à decreto Dei intrinsecè supernaturali dicunt euadere supernaturalia quoad modum. Cui sententiæ consentire videtur Aluar. lib. 3. respons. cap. 8. n. 7. & 11. Sed eam impugnat Ripal. ibidem.

96 Ego, vt regulam aliquam certam, atque vniuersalem, quam hactenus Theologi non videntur præscripsisse, stabiliam, secundum quam, sedatâ controuersâ istâ, quæ tota de nomine est, rationabiliter in hac materiâ loqui possimus, sequentem statuo propositionem.

#### Propositio vnica,

97 Si strictè, & propriè loquendum sit, ea solùm entia dicenda sunt supernaturalia quoad modum, quæ, cum naturæ debitum, compositionemque non superent quoad suam essentiam specificam, tamen hic, & nunc, quando causantur, supra vniuersâ naturæ exigentiam, debitumque causantur, Alia verò, quæ hic, & nunc ad exigentiam naturæ, ac iuxta eius debitum sunt, laxè dumtaxat, & impropriè dicentur supernaturalia quoad modum, quòd aliud quidpiam ad illa pertinens, ipsaue denominans quoquo modo, intrinsecè, & quoad substantiam sit naturale.

Ratio, cui nititur hæc regula, ex ipsâ supernaturalitatis notionem, atque etiam origine desumitur. Cum enim naturale secundum doctrinam Conciliorum, & Patrum aliud non sit, quam naturæ debitum, vt ex dictis q. 3. liquidum est; perperam naturale adhuc quoad modum appellabitur, quod in se ipso nullo modo est naturæ debitum, ex eo solùm, quod aliud quidpiam ad illud aliquo modo spectans debitum naturæ sit. Sicut è contra ineptè vocaretur, neque aliquis vnquam vocauit naturale quoad modum id, quod in se est omni modo naturæ debitum, simpliciterque naturale, ex eo, quod aliud quidpiam ad illud aliquo modo pertinens naturæ debitum, ac naturale sit. Alioquin visio beatifica, fides, alique actus simpliciter naturales naturales quoad modum essent vocandi; quòd ab entitate naturali animæ nostræ aliqua ratione procedunt, & ei inherent, cum ipsaque quiditatiuè connexi sunt. Quod tamen inauditum est. Et sanè, quandoquidem nemo vnquam animam iusti vocauit naturalem quoad modum; quantumuis intrinsecè affi-

xa sibi, & inherentiâ habeat plurima supernaturalia dona, fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes infusas tam habituales, quam actuales, auxilia gratiæ, & alia huiusmodi cum modis supernaturalibus, quibus ea cuncta ipsi animæ intimè vniuntur, & inherant. Cur quantitas creatione producta dicenda est supernaturalis quoad modum præcisè, quòd creationem terminat naturalem? Cur actus imperatus præcisè, quòd ab imperio supernaturali procedit? Cur auxilium, quod à Deo ex fine supernaturali conferitur? Cur cætera similibus titulis? Certè nisi ipsa in se sint aliquo modo naturæ debita, reliqui tituli non sunt satis.

Præterea, quæcunque quauis ratione supernaturalia asseruntur consentienter ad doctrinam Conciliorum, & Patrum, vnde supernaturalitatis notio nobis illuxit, eo ipso debent esse idonea materia liberalitatis diuinæ: eo ipso non à naturæ debito, sed à gratiâ Dei largitate debent esse profecta, vt constat. At, quæ in se, ipsi naturæ debita sunt, qua occasione sunt, ad iusque naturæ compensandum, seu debitum soluendum sunt, neuiquam sunt idonea materia liberalitatis diuinæ, aut obiectum profus gratiæ Dei largitionis; quantumuis innumeris supernaturalibus, indebitisque naturæ modis intrinsecè, vel extrinsecè sint constipata. Igitur, quæcunque in se ipsis, dum sunt, naturæ debitum non superant, quantumuis modis scateant naturæ indebitis, neuiquam supernaturalia, adhuc quoad modum, dici debent; nisi quis in hac materiâ impropriè valde velit loqui. Ex quibus patet, regulam à nobis in propositione præscriptam valde consentaneam esse rationi; ac proinde satis, superque dignam, quæ ab omnibus, qui in re præsentî rationabiliter loqui velint, deinceps exactè obseruetur.

99 Ex eâ autem sequitur primò, quando effectus ordinis naturalis à causâ intrinsecè supernaturali procedit, aut actione intrinsecè supernaturali fit, si pro tunc quidem existentia talis effectus naturæ sit debita, vt fieri potest, neuiquam illum supernaturalem quoad modum dicendum esse; bene tamen, si non sit debita, vt etiam est possibile. V.g. Prouideat Deus homini auxilium naturalis ordinis ad bene operandum ex supernaturali motiuo, & consequenter per supernaturale decretum, quo tempore secundum intra naturæ teneatur illud prouidere; non erit tunc tale auxilium naturale quoad modum. Prouideat ex eodem motiuo, quando non teneatur, erit. Producat Deus, & vniat materiæ formam aliquam materialem per supernaturalem creationem, quando materia disposita talem formam, talemque vnionem iure sibi exigebat; nec forma, nec vnio erunt supernaturales quoad modum. Producat pariter, nullo exigente ipsas iure naturæ; erunt. Imperetur impetio supernaturali actus ordinis naturalis in eâ occasione, qua citra imperium naturaliter erat à suâ potentia eliciendus, tunc quidem ab imperio non euadet supernaturalis quoad modum. Imperetur, quando aliâs potentia, secluso imperio, non debebatur, sed solo iure imperij extorquebatur; euadet quidem. Pariterque in cæteris similibus casibus philosophandum est.

100 Ex quibus apparet primò, malè pronunciatum esse absolute Vazq. Coninc. Herice, & alios supra citatos, quæ à Deo ex motiuo supernaturali procedunt, eo ipso esse supernaturalia quoad mo-

modum: non enim sunt, ut vidimus, nisi cum procedunt naturæ indebita. Alias, ut bene argumentatur Ripalda, nihil ferme esset in toto Vniuerso, quod non esset supernaturale quoad modum, quod est inauditum: quia nihil ferme est, quod non procedat à Deo ordinatum aut ad salutem æternam hominum, & Angelorum, aut ad exaltationem Christi, aut ad alia supernaturalia motiua mentis vniuersalia. Secundò apparet contra ipsum Ripald. ut aliquid sit supernaturale quoad modum, nec sufficere, quòd per actionem intrinsecè supernaturalem fiat, nec, quòd ab imperio, aut ab alià causà intrinsecè supernaturali procedat, nisi sit insuper illud naturæ indebitum, qua occasione fit. Alioquin multa vndeque omnium consensu naturalia essent supernaturalia quoad modum: & cuncta supernaturalia è conuerso naturalia quoadmodum. Absurdum, quod inferebam n. 97.

101 Secundò per regulam nostram optimè intelligitur, & explicatur, quomodo auxilia efficacia, quæ Deus hominibus largitur ad graues tentationes vincendas, ad operaque heroica virtutum naturalium paranda, & sint ordinis naturalis, & sint supernaturalia quoad modum, atque adeò ad dona diuinæ gratiæ spectantia: sunt namque huiusmodi: quia, licet sæpè à causis naturalibus ducant originem; in eà tamen mensurà intensio- nis, aut viuacitatis, ad quam promouentur à Deo, cum eaque, quam secum ferunt, denominatione efficacium omne causarum, atque vniuersæ naturæ debitum superant in eà occasione, in qua dantur. Quo etiam pacto multa etiam alia auxilia minoris notæ tam sufficientia, quàm efficacia, cum sint ordinis naturalis, ad ordinem gratiæ euehantur, & supernaturalia euadunt quoad modum. Quia videlicet prouidentur à Deo ultra id, quod vniuersa natura postulat pro eà rerum peristasi, qua prouidentur. Quanquam enim species voluntatis creatæ ius naturale habeat, ut sibi aliquando, & in aliquibus indiuiduis de huiusmodi principijs, aut complementis actus primi ad operandum prouideatur iuxta eà, quæ dicebamus supra q. 2. sed non ut prouideatur semper, & pro omni occasione, ut ibi etiam diximus. De quo plura in tract. de Gratiâ.

102 Tertio ex propositione nostrâ sequitur contra Recentiores commemoratos num. 95. quoties coexistentia aliquorum entium naturalium totius naturæ debitum superat, eo ipso præcisè esse illam supernaturalem quoad modum, quin sit necesse, ut talis denominetur ab alio quopiam tertio intrinsecè supernaturali: quinimò non posse ab hoc, estò adfit, talem denominari, ex dictis satis, superque compertum est. In hoc confectario nobiscum sentit Ripalda; tamen nonnulla misceat; dum oppositam sententiam impugnat, quæ nobis non arrident. Itaque quando Deus duo corpora penetrat, estò decretum, quod de penetratione habet, intrinsecè sit supernaturale, de quo modò non curo, non habet penetratio à tali decreto esse supernaturalem quoad modum; potius decretum idcirco est supernaturale, quia de penetratione naturæ indebita, atque ideo supernaturali decretum est.

103 Obijcies. In penetratione duorum corporum nihil intrinsecè supernaturale intercedit: quia singula corpora, & singula eorum præsentia entitatiuè sunt naturalia: aggregatum autem utrumque supra ipsa corpora, & præsentia nil prorsus addit. Igitur penetratio duorum corporum nullatenus potest dici supernaturale quoad mo-

dum, nisi ab alio quopiam sibi extrinsecò, intrinsecèque supernaturali talis denominetur; quale, solum potest esse decretum Dei. Respondeo, in penetratione duorum corporum aut vtramque, aut alteram eorum præsentiam esse in se ipsâ supernaturalem quoad modum: quia aut vtraque, aut altera earum in se ipsâ est naturæ indebita. Cum enim natura coexistentiam talium præsentiarum in eodem tempore, & spatio potius explo- dat, quàm exposcat, nequit ad vtramque simul ius naturale habere: potest tamen habere ad alteram, & potest ad neutram habere pro eà circumstantiarum peristasi, in qua diuinâ virtute duo corpora penetrantur. Si ad neutram habet, am- bæ erunt supernaturales quoad modum. Si verò ad alteram, uti contingit, cum Christus Dominus per lapidem sepulchri, & per Cænaculi portas se- penetrauit, residua solum præsentia erit supernaturale quoad modum, qualis in illis casibus fuit sola præsentia corporis Christi: quia ea dumtaxat erat pro tunc naturæ indebita. Lapidum enim, & portis debitæ semper perstiterunt præsentia suæ; quandoquidem nullus contrarius impulsus earum destructionem fortiori iure postulauit.

104 Quarto ex propositione nostrâ apparet, qua ratione restitutio visus amissi, & alia huiusmodi miracula sint supernaturalia quoad modum. Talis enim supernaturalitas non prouenit ex aliqua actione, vel modo supernaturali quoad substantiam interueniente, estò reuerà interueniat, ut fieri potest; sed ex eo, quòd aliquid ordinis naturalis fiat à Deo, quo tempore toti naturæ profusus erat indebitum. Hoc enim solum est, quòd à tali indebito euadit supernaturale quoad modum; cætera autem, si quæ occurrunt, aut erunt omnino naturalia, aut supernaturalia quoad substantiam. Verum est, in hisce miraculis sæpè posse euenire, ut, quòd in se formaliter iuxta naturæ debitum sit, meritò loquendo absolute indebitum naturæ dicatur, & supernaturale quoad modum: eo quòd id, vnde tale debitum pullulauit, effectum paulò ante fuit supra totius naturæ debitum. Si enim Deus per præuias dispositiones prorsus indebitas naturæ ita disponat oculos cæci, ut ad eas conaturaliter sequatur facultas videndi; eo quòd tales dispositiones ius naturale habent ad illam: nihilominus collatio formalis, aut etiam existentia talis facultatis supernaturalis quoad modum, naturæque indebita dicetur: quia moraliter censetur ultra naturæ debitum dari, quòd datur ad exigentiam alicuius dati nuper ultra naturæ debitum. Sicut gratuita, & liberalis censetur collatio doni liberaliter paulò ante promissi; tamen per illam soluatur debitum promissionis.

105 Verum contra stabilitam propositionem sic potest obijci primò. Id, quòd in se ipso est naturæ indebitum, nec tale ab alio intrinsecè supernaturali denominatur, nequit non esse naturæ indebitum secundum suam entitatem, atque adeò secundum suam substantiam: quia entitas, & substantia rei idem est. Igitur quæcumque iuxta regulam datam sunt supernaturalia quoad modum, non utique quoad modum, sed quoad substantiam reuerà sunt supernaturalia. Perperam igitur explicuimus supernaturalitatem quoad modum. Distinguo antecedens. Id, quòd in se ipso est naturæ indebitum, &c. nequit non esse tale secundum suam entitatem aut denominatiuè, aut essentialiter; concedo. Essentialiter solum; nego. Et nego consequentiam. Est dicere. Ens supernaturale quoad substantiam; & ens supernaturale quoad modum in-

hoc conueniunt, quòd vtrumque in se ipso, & quoad propriam entitatem naturæ est indebitum. Differunt tamen: quia primum ex prædicato essentiali, & specifico habet esse naturæ indebitum, vtpote quod per suam essentiam specificam est improporcionatum naturæ: secundum verò non item, sed vel ex circumstantijs extrinsecis, vel ex accidente aliquo essentia specificæ accrescente. Non enim est naturæ indebitum: quia ex conceptu suo essentiali ipsi sit improporcionatum, sed quia vel ex accidente minuitur essentialis proportio, puta ex immoderata intensione, magnitudine, aut multitudine; vel quia in tali circumstantiarum peristasi titulus deest, in quo ius naturæ, debitumque illi respondens fundandum erat, iuxta doctrinam, quam tradidimus q. 2. Propterea primum supernaturale dicitur quoad substantiam, id est, quoad essentiam specificam, vt cum Soar. supra n. 92. explicuimus. Secundum verò quoad modum, id est, quoad modum essendi hic, & nunc sub talibus circumstantijs, & accidentibus.

106 Secundò obijci potest. Esse aliquod ens supernaturale quoad modum, & non quoad substantiam, nil aliud sonare videtur, quàm, quòd aliquis modus eius sit supernaturalis; non verò, quòd ens ipsum sit tale. Igitur, vt sit ens aliquod supernaturale quoad modum, fat est, quòd aliud quid ad illud quoquo modo pertinens intrinsecè, & quoad substantiam sit supernaturale. Nego consequentiam. Ad antecedens autem dico. Et si eum sonum absolutè verba præ se ferant; tamen in materià præsentì improprie valde, imò absurdè in eo sensu vsurpari, vt satis ex ijs, quæ diximus, liquidum est. Si enim ens supernaturale quoad modum asseratur esse id, cuius aliquis modus, non verò ipsum supra naturæ debitum est, anima iusti dicenda erit supernaturalis quoad modum ob dona supernaturalia, quæ habet, sanitasque, visus, & quoduis aliud ordinis naturalis collatum, quando erat indebitum, supernaturale quoad substantiam dicendum erit. Quod vtrumque absurdum est in materià præsentì. Intra eam igitur verba prædicta in sensu, quem exposuimus, sunt omnino vsurpanda.

107 Tertiò obijci potest. Ens supernaturale, definiuimus vniuersè q. 3. Quod est supra debitum, atque compositionem naturæ. Igitur ens supernaturale quoad modum non solum supra debitum, sed etiam supra compositionem naturæ debet constitui: cum tamen in regulà à nobis traditâ solum supra naturæ debitum constituatur. Nego consequentiam. Quia, quidquid egreditur à compositione naturæ, iam non quoad modum, sed quoad substantiam est ens supernaturale. Natura quippe cuncta entia intrinsecè, & secundum essentiam naturalia complectitur, vt constat ex doctrinâ traditâ q. 2. Itaque ex duplici supernaturalitate, alterâ propriâ substantiarum constitutâ per hoc, quod est, esse aliquid supra compositionem naturæ; & alterâ propriâ accidentium constitutâ per hoc, quod est, esse aliquid naturæ indebitum, prout vberius declarabimus q. seq. secunda solum est partibilis in supernaturalitatem quoad substantiam, & supernaturalitatem quoad modum: prima verò non item; sed tota est integrè quoad substantiam.

108 Ex dictis hætenus satis liquido apparet, quid sit ens supernaturale vniuersè; quid ens supernaturale quoad substantiam; & quid superna-

turale quoad modum. Sed rogabit tamen aliquis ad extremum huius quæstionis, an vnum ens supernaturale supernaturalius alio esse possit? Respondeo, à multis Theologis id affirmari. De quo videri potest Ægid. Lusit. lib. 11. de Beatit. q. 8. art. 6. Sed ego cum distinctione censeo loquendum. Nam comparatio illa æquiuocè accipi potest. Si sensus sit, an supernaturalitas sumpta per se, & ex proprio supernaturalitatis conceptu sit maior in vno ente supernaturali, quàm in alio. Hoc falsum est. Quia conceptus genericus secundum se, qualis est supernaturalitas, æqualiter semper participatur ab speciebus, æqualiter, & eiusdem rationis est in omnibus illis; aliàs non posset esse illis communis: cò idque vnum animal magis animal, quàm aliud, dici non potest. Si verò sensus sit, an vnum ens supernaturale sit perfectius supernaturale, quàm aliud, vel aliud collocetur supra naturam, quàm aliud, vel ampliorem naturam, quàm aliud superet; idque non ex prædicato supernaturalitatis generico, sed ex prædicato talis entis supernaturalis differentiali. Hæc verò sunt. Quia visio beatifica e. g. perfectius ens supernaturale est, quàm fides, altitiusque superat naturam, seu maiori excessu, quàm fides, est naturæ improporcionata. Casu autem, quòd sint possibiles substantiæ, quibus hæc dona proportionata sint; & debita, plures substantias possibiles, atque adeò ampliorem naturam excellit, superatque quoad tale debitum visio, quàm fides.

## QVÆSTIO VI.

### An Deus in supernaturalitate conueniat cum creaturis.

109 PRO complemento explicationis conceptus supernaturalitatis huius adhuc quæstionis desideratur resolutio. Variè de supernaturalitate Dei loquuntur Theologi. Quidam enim absolute pronunciant, Deum substantiam intrinsecè supernaturalem esse quoad omnia, quæ continent in se, quoad Trinitatem scilicet personarum, quoad vnitatem essentia, & quoad omnia attributa. Ita Gran. 1. p. contr. 1. tract. 2. disp. 8. n. 7. & 1. 2. cont. 8. tract. 4. disp. 8. sec. 3. Alarc. 1. p. tract. 1. disp. 2. cap. 7. Gonz. 1. p. q. 12. art. 4. disp. 26. n. 10. & seq. Falsol. ibidem n. 22. & 26. Arnb. disp. 21. cap. 6. n. 20. cum alijs. Alij verò, esse Deum quoad omnes suas intrinsecas perfectiones supra omnem naturam creatam eminentissimè, imò infinite excellere, fateantur, comparatum tamen cum creaturis in vtroque ordine entium supernaturalium, & naturalium collocant illum, vtriusque denominationes ipsi tribuentes. Sic Soar. disp. 43. Metaph. sec. 4. n. 4. diuinam omnipotentiam potentiam naturalem vocat, prout est factiua entium naturalium, supernaturalem verò, prout factiuam supernaturalem: & lib. 2. de Gratia cap. 14. cum alijs à se relatis bifariam contemplatur Deum, nempe vt finem naturalium, & supernaturalem, sue vt Auctorem naturæ, & gratiæ; quæ distinctio satis est obuia inter Theologos, vt supponit ipse Soar. Et sub priori consideratione obiectum naturale amoris naturalis docet esse bonitatem diuinam; sub posteriori verò obiectum supernaturale amoris supernaturalis:



lis. Pariterque comparatus ad intellectum obiectum naturale cognitionis naturalis potest, & solet Deus vocari, ut vocatur ab ipso Soar. lib. 2. de Angelis c. 29. initio. quatenus est Auctor naturæ; eum tamen, quatenus est Auctor supernaturalis, obiectum supernaturale vocetur. Quo iure Vazq. 1. p. disp. 132. c. 2. obiectum supernaturale censuit esse Deum ut trinum; naturale autem ut vnum: quia priori modo Deus naturæ viribus cognosci nequit; cum queat posteriori: tamen tam ut vnum, quam ut trinus longissime excellat supra naturam. Alio sensu dixit Zúmel citatus supra q. 4. num. 70. Deum ut vnum esse ens naturale, ut trinum verò supernaturale: quia videlicet ut vnum ab entibus naturalibus, ut trinus autem à supernaturalibus respicitur.

110 Hic solum potest esse controuersa de nomine. Quia nihil attribunt Deo re ipsa, qui absolute eum supernaturalem appellant, quod negent, qui naturalem vocant; neque è conuerso. In mea sententiâ optimè cuncta componuntur.

Propositio vnica.

111 Deus quodammodo naturalis, quodammodoque supernaturalis est, consentaneè etiam ad definitiones, quas entis naturalis, ac supernaturalis tradidimus.

Est naturalis: quia naturæ debitus, tum essentiali debito, tum naturali. Essentiali quidem: quia natura omnino sine Deo esse non potest, ipsumque essentialiter appellat ad essendum. Naturali autem: quia, quidquid naturali iure est debitum, sine Deo Auctore neque esse, neque naturæ conferri potest. Ius autem ad rem naturalem consequenter etiam est ius ad illud, sine quo nequaquam potest res obtineri. En quomodo Deus sub definitionem entis naturalis q. 3. traditam cadat, cum eneeque naturali creato in naturalitate conueniat. Quo quidem iure merito Deus appellatur, & est Auctor naturalis naturæ: & quia creauit illam: & quia illam secundum ipsius iura naturalia gubernat. Merito etiam dicitur, & verè est obiectum naturale tum intellectus, tum voluntatis creatæ naturaliter ab eis cognoscibile, & amabile: per scientiam naturalem ab effectibus naturalibus partam, & per amorem naturalem bonitatis, quam iidem effectus notificant.

112 Est autem Deus supernaturalis: quia ipsi omnia entia supernaturalia tanquam proprio, & conaturali Auctori debita sunt: tum quia ipsi est debita visio: beatifica, amor beatificus sui, & propria sanctitas infinita, quæ ex genere suo conceptus sunt supernaturales. Quo fit, ut ille substantia sit supernaturalis supra vniuersæ naturæ compositionem constituta, in quo cum substantiis supernaturalibus creatis, si ex sunt possibiles, conuenit, sub definitionemque cadit entis supernaturalis stabilitam supra à nobis quæst. 3. propos. 4. qua parte ea conceptum exprimit supernaturalitatis propriæ substantiæ, quæ alterius est generis à supernaturalitate propriâ accidentium, ut statim amplius explicabo. Hoc iure Deus Auctor supernaturalis merito vocatur, & est; qua ratione naturaliter nec potest cognosci, nec amari, ut fusiùs suo loco explicabitur.

113 Dices. Naturalitas, ut supernaturalitas sunt conceptus oppositi. Igitur non possunt simul in Deo reperiri. Distinguo antecedens. Aliqua naturalitas, & aliqua supernaturalitas sunt

conceptus oppositi; concedo. Omnis; nego. Deinde consequens. Igitur non possunt simul in Deo reperiri. Quæ sunt oppositæ; concedo. Quæ non sunt; nego. Explico. Notauit q. 2. naturale bifariam, & æquiuocè dicti. Primò de eo, quod naturæ est debitum. Secundò de eo, quod naturam ipsam constituit, siue componit. Vnde definitio entis naturalis non potuit non dari per disunctionem, ut eam ibi, & rursus q. 3. dedimus. Quoniam autem naturam constituere magis est proprium substantiarum; debet verò naturæ magis proprium est accidentium: liceat modò distinctionis gratiâ vocare naturalitatem substantiæ, quæ tribuitur componenti naturam: naturalitatem autem accidentis, quæ tribuitur enti naturæ debito. Porro his duobus naturalitatibus totidem supernaturalitates opponuntur: quas etiam distinctionis gratiâ vocemus supernaturalitates substantiæ, & accidentis. Prima enti non componenti naturam conuenit. Secunda enti indebito. Coniunximus autem utramque in definitione entis supernaturalis, quam supra q. 3. propos. 4. tradidimus: tum quia in omni ente supernaturali creato non potest non utraq; coniungi: tum quia ens simpliciter, & vnde quaque supernaturalis omnem naturalitatem excludens definire prætendimus. Cæterò quoniam supernaturalitas substantiæ solum opponitur naturalitati substantiæ, & supernaturalitas accidentis naturalitati accidentis. Atque adeò, quantum est præcisè ex parte conceptus earum, bene possunt supernaturalitas substantiæ cum naturalitate accidentis in eodem ente coniungi. Quo fit, ut sine repugnantia de facto coniungantur in Deo.

Dices. Ergo etiam in ente creato possunt 114 coniungi. Distinguo. Quantum est ex parte conceptus earum præcisè; concedo. Absolute; nego. Ratio est in promptu. Quia, cum natura, cui debent esse indebita omnia entia supernaturalia supernaturalitate accidentis, vna cum creaturis existentibus, & possibilibus æqualis, aut inferioris essentia omnia omnino entia, creata talibus creaturis debita complectatur, ut ex doctrinâ Conciliorum, & Patrum q. 2. statuimus: repugnat in terminis, esse ens aliquod creatum naturæ debitum, & non componere naturam, cui entia supernaturalia indebita sunt. Quo fit, ut repugnet ens creatum naturale naturalitate accidentis, quale est, quod naturæ debetur, & supernaturalitate supernaturalitatis substantiæ, quale est, quod non componit naturam. Cum verò Deus quantumuis sit naturæ debitus, eam naturam non constituat, cui entia supernaturalia indebita sunt; (alioquin nullum ens supernaturale esset naturæ indebitum; quia cuncta Deo debita sunt); efficitur, ut Deus & naturæ debitus, eoque titulo naturalis, & supra compositionem naturæ, eoque titulo supernaturalis esse possit.

Instabis. Ergo saltem vice versà erit possibile, ut ens creatum sit naturale naturalitate substantiæ; quia componens naturam: & supernaturalitate supernaturalitate accidentis; quia naturæ indebitum: talesque de facto erunt; substantiæ primò constituentes naturam; quæ quoad primum suum esse nequaquam potuerunt naturæ debita esse, ut nos etiam supra docuimus. Respondedo, etsi concederetur totum, nihil incommodi referre. Quia asserere, aliquod ens creatum esse secundum quid naturale, & secundum quid supernaturale, nullum fert secum inconueniens. Præsertim, cum illæ primæ Mundi substan- 115

stantia in eo cum entibus supernaturalibus citra omne dubium conuenerint, quod à solâ Dei liberalitate præter omne naturæ debitum promanauerint. Adde tamen, neque id esse possibile, si fermo sit, uti est reuera, de supernaturalitate quoad substantiam. Quia nullum ens componens naturam plus, quam quoad modum, potest supernaturalitate esse supernaturalitate accidentis. Quamquam enim naturæ sit indebitum quoad primum sui esse; nequit tamen non esse debitum naturæ aut ipsi summet quoad conseruari, aut aliud eiusdem speciei. (Frustra namque pro primo instanti, in quo natura extitit, ad eam constituendam produceretur, si tale esset, ut neque exigeret durare, neque aliud eiusdem essentia producere). Quo fit, ut indebitum primæ existentia tantum faciat supernaturalitatem accidentis quoad modum iuxta doctrinam supra traditam q. præced.

115 Ex dictis infero primò contra Ripal. disp. 2. de Ente supern. sec. 2. naturalitatem, & supernaturalitatem communem Deo, & creaturis non tam analogam esse, quam ipse putat. Secundò infero contra eundem, non solam Deo competere supernaturalitatem dignitatis omnem naturam nobilitate, ac perfectione excellentem, quæ creaturis nullatenus communis est: hæc namque valde improprie vocatur supernaturalitas. Sed etiam ei conuenire supernaturalitatem propriam substantiæ, quam explicuimus, eamq; in gradu eminentissimo. Siquidem substantiæ diuinæ non solum omnia entia supernaturalia creatæ, verum attributa etiam ex suo genere supernaturalia increata, & infinita debita sunt: ad quod debitum nulla creatura possibilis potest ascendere; posito etiam, quod sine possibilis infinitæ, quibus præstantiora, & præstantiora donata supernaturalia creatæ, in infinitum progrediuntur; debita sunt. Tercio infero contra Gran. Alarc. & alios sine factionis, Deum non solum ens supernaturalis, sed etiam naturale esse, prout declarauimus. Quarto infero contra plures, supernaturalitatem in Deo, sicut & in alijs entibus supernaturalibus, non esse conceptum absolutum à naturâ, sed comparatum ad illam, etsi in quiditate absoluta diuina substantia funderetur: quia nullus est ad rem excogitabilis conceptus supernaturalitatis non respectiuus ad naturam, ut fusè ostendimus supra q. 4. Quinto infero, qua ratione Deus est supernaturalis, non solum ut vnus, sed etiam ut trinus formaliter esse talem: eo quod entia supernaturalia Deo debita, non solum ut vno, sed etiam ut trino sunt ei debita, ipseque Deus ut vnus pariter, & ut trinus est supra compositionem naturæ; in quo supernaturalitas eius consistit. Tamen si Deus qua ratione est naturalis, non ut trinus, sed ut vnus talis sit: eo quod solam exigatur à creaturis, illisque debetur ut vnus formaliter, supposito, quod consensio creaturarum cum Deo, in qua illud debitum fundatur, ut vnus præcisè, non ut trinum respiciat Deum, immediatè, & formalitèr, uti communis sententia fert; de qua nos suo loco; naturalitas quippe Dei consistit in huiusmodi debito. Neque grauetur quispiam, dictâ sententiâ præsuppositâ, concedere naturalitatem in Deo ut vno, & non ut trino; quasi nequeat eadem entitas quoad vnâ formalitatem esse naturalis, & non quoad alteram: id namque eodem sensu est consequenter afferendum iuxta sententiâ dictâ, quo iuxta eandem afferitur creaturas cum Deo ut vno, & non ut trino esse conhexas immediatè, & formalitèr. De quo plura suo loco.

## QVÆSTIO VII.

*Virum visio beatifica sit supernaturalis quoad substantiam.*

116 **S**Tatimus disp. 17. q. 8. tanquam certum secundum fidem, visionem beatificam supra naturales vires intellectus creati esse, atque ad eum supernaturalem. Num verò quoad substantiam, vel solum quoad modum sit talis, restat examinandum. Nonnulli ex præfatis Theologis, qui aut ignorasse, aut negasse videntur actus supernaturalis quoad substantiam in vniuersum, prout latè refert P. Ripal. disp. 44. de Ente supern. sec. 1. fortasse eodem modo sentiebant de visione beatifica. Sed iam communis omnium Theologorum sententia est, esse eam intrinsecè, & quoad substantiam supernaturalem. Ita enim sentiunt vniuersè, quorquor actus intrinsecè, & quoad substantiam supernaturales consentunt, quorum longum syllabum reperies apud Ripal. supra: & tradunt in speciali cum S. Thom. 1. p. q. 12. art. 4. & 5. eius Expositores communiter. Videantur speciatim Vazq. disp. 47. cap. 6. num. 36. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 8. num. 7. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sec. 1. Alarc. tract. 1. disp. 2. cap. 2. num. 5. Sol. in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. Tann. 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 3. num. 3. & apud eos alij. Nec dissentiunt Scotus, & eius discipuli, quando aliquam visionem Dei naturalem possibilem Angelis autumant: non enim loquuntur de beatifica, sed de aliâ inferioris notæ, ut vidimus disp. 17. q. 3.

## Propositio vnica.

*Visio beatifica intrinsecè, & quoad substantiam est supernaturalis.*

117 **P**robatur primò: quia, quæcunque supra disp. 17. q. 8. congesimus ad probandum, visionem beatificam neququam per vires naturæ posse obtineri ab intellectu creato, ea vti que probant, esse eam supernaturalem quoad substantiam. Nam, si esset supernaturalis solum quoad modum, etsi quoad talem modum superaret vires naturæ, non esset verum, eam secundum se absolutè, & in omni euentu supra naturæ vires esse, ut probant argumenta facta loco citato à testimonijs Scripturæ, Concilij Viennensis, & Patrum, atque etiam à ratione. Supernaturalia enim solum quoad modum non absolutè, & secundum suam essentiam specificam, sed ut subsunt tali modo, tali ve circumstantiarum, peritasti superant debitum naturæ, ut constat ex doctrinâ traditâ q. 5. Confirmatur. Quia visio beatifica non aliâ de causâ est supernaturalis, indebitaque toti naturæ, nisi quia suapte naturâ, & essentia improporcionata est per excessum intellectui creato, & consequenter multò magis cæteris quibusque substantijs vniuersæ naturæ. Sed quidquid vniuersæ naturæ per suam essentiam specificam per excessum est improporcionatum, eo ipso est quoad substantiam supernaturale, ut ex dictis dictâ q. 5. competum est. Ergo. Secun-

118 Secundò; ex Concilio Viennensi non solum habemus, visionem beatam esse supernaturalem, utcumque, sed etiam, intellectum creatum indigere lumine gloriæ, aut alio dono supernaturali quoad substantiam, quo eleuetur ad videndum Deum, vt latius trademus intra disp. 19. Sed tale donum datur, & est requisitum ad efficiendam visionem beatam; hæcque proinde cum illo sua naturâ connexa est. Igitur visio beata supernaturalis est quoad substantiam. Quandoquidem ad actum quoad suam substantiam naturalem, opus non est habitu infuso, aut alio dono intrinsecè supernaturali; neque actus substantiâ suâ naturalis cum dono supernaturali potest esse connexus. Alioquin naturâ, cui debitum esset talis actus, esset & debitum tale donum. Quo illud & supernaturale, vt ponimus, & debitum naturæ esset. Absurdum clarum.

119 Tertiò; actus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum, quibus vita æterna obtinetur consistens potissimum in visione Dei intuitiua, supernaturalis sunt quoad substantiam, vt sentiunt fere omnes Theologi, atque in proprijs materijs probant; vbertinèque comprobatur Ripal. disp. 44. citata sec. 3. & seqq. Igitur visio ipsa potiori iure est afferenda supernaturalis quoad substantiam. Impossibile quippe est, & prorsus à ratione alienum, quòd media superent vires, atque potestatem naturæ, & finis ipse vnicè per talia media ab ipsâ naturâ obtinendus intra eius vires, & potestatem positus sit. Et confirmari potest. Quia Concilia, & Patres, qui cum Pelagio, & eius Cinceribus contenderunt, omnino impotem faciunt naturam suis proprijs viribus relictam, absque auxilio diuinæ gratiæ ad quidpiam cogitandum, volendum, aut agendum, quod proficuum sit ad salutem. Probantque ex illo Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ex illo quoque Pauli 2. Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alijs similibus Scripturæ locis. Vt videre est in Concilio Mileuitano cap. 4. & 5. Africano can. 80. Arausico. 2. à can. 3. vsque ad finem: Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 2. 3. & 4. in epistolis decretalibus Cælestini, Innocentij, & Leonis contra Pelagianos: in August. epist. 106. & 107. Serm. 13. de verbis Apost. libris de naturâ, & gratiâ; de correctione, & gratiâ; de prædestinatione sanctorum; de dono perseverantiæ; multisque alijs locis: in Prosp. lib. contra Collatorem, præsertim cap. 3. 19. & 28. in Fulgentio de Incarnat. & grat. cap. 6. in Bernar. lib. de liber. arb. & in alijs Patribus. Quis autem non videat, hæc duo inter se repugnare. Quod sit tota natura creata impotens ad concipiendam proprijs viribus vel minimam salutarem cogitationem: & quòd sit potens ad concipiendam visionem intuitiuam Dei, in qua consummata salus consistit? Quòd si vndequeque, & absolutè ad illam proprijs viribus concipiendam natura vniuersa impotens est; nequit non talis visio absolutè, atque ad eò quoad suam substantiam supra totam naturam esse, seu supernaturalis.

QVÆSTIO VIII.

*Virum visio beatifica, & quoduis ens supernaturalis uniuersè supra natura sit connexionem.*

120 **E**st dicere, an intellectus creatus, vel aliud quid ad naturam pertinens cum visione beatifica, vel cum alio quopiam ente supernaturali connectatur. Non dico, ad illud referatur transcendentaliter: nam relatio intrinseca, quam transcendentalem, siue transcendentem appellant, perperam cum connexionem confunditur; quandoquidem latius patet, quàm illa, vt sæpe alibi notavi. Connectitur enim cum alio, quod sine illo esse non potest: ad aliud verò intrinsecè citra connexionem refertur, quod existens, aut potens existere sine illo ad illud se habet nihilominus ex conceptu suo, vt negatio ad rem, quam negat, cognitio falsa ad obiectum, quod repræsentat, &c. Igitur, cum certum sit, naturam per relationem intrinsecam, siue transcendentem non connexionis posse ad ens supernaturale referri, vt in cognitione naturali tantum probabiliter de ente supernaturali cernere licet; de solâ relatione connexionis superest controuersia agitanda. Connexio autem, vt in Pharo Scient. disp. 14. & alijs etiam sæpe notavi, alia est metaphysica, seu essentialis; alia physica, seu naturalis; alia moralis. Metaphysica, quæ sine contradictione. Physica, quæ citra miraculum. Moralitatis, quæ, vt res communiter eueniunt, dissolui non potest.

121 Porro naturam cum ente supernaturali prout existente non connecti aut metaphysicè, aut physicè, nec posse, certo certius est: tum quia satis, superque exploratum est, posse naturam tam naturali, quàm metaphysicè, seu absolutè potentia absque omni dono supernaturali consistere: tum maximè quia connexio aut physica, aut metaphysica naturæ cum alio quopiam huius supernaturalitatem prorsus euertit: cum nequeat non esse naturæ debitum aut naturali, aut essentiali iure, & consequenter non supernaturale id, cum quo natura aut naturali, aut essentiali connexionem connexa est. Repugnat igitur in terminis, naturam cum ente supernaturali prout existente connecti physicè, aut metaphysicè. De connexionem morali fundatâ in ipsâ naturâ etiam est certum, esse impossibilem respectu entis supernaturalis prout existentis: quia, si ex parte naturæ esset aliquid moraliter necessitans Deum atque ad eò obligans ad producendum ens supernaturale, non esset hoc supra omne naturæ debitum, atque ad eò neque supernaturale contrasuppositionem. Cum quo stat, Deum aliunde, quàm à naturæ meritis, moraliter posse esse necessitatum ad donum aliquod supernaturale largiendum iuxta doctrinam, quam trademus intra tract. de voluntate. Quo casu natura veluti connexa ab extrinseco erit moraliter cum tali dono; quatenus moraliter erit impossibile, ipsam manere sine illo.

122 Eò igitur tota præsentis quæstionis difficultas reducitur, an citra supernaturalitatis dispensium possit accidere, aut etiam accidat de facto, quòd natura cum ente supernaturali vt possibili

bili connexa sit, e. g. intellectus creatus cum visione beatificā sibi possibili; idque connexionē metaphysicā. (Nam physica solum, aut moralis circa possibilitatem rerum locum non habet, vt suo loco declaramus). Qua in re P. Ripal. disp. 32. de Ente supern. multis conatur adstruere sententiam negativam; cui bona pars lux Theologiæ circa entia supernaturalia subnititur: fatetur tamen, paucos se inuenire assertores eiusdem sententiæ; licet pro illa citet Nauarret. cont. 33. in q. 12. 1. p. art. 1. § 4. & cont. 32. in q. 23. art. 5. § 3. Petr. Hurt. disp. 8. Physic. sec. 9. Nazarium 3. p. q. 13. art. 2. contr. 4. §. *Sic ergo*, & conl. 6. Herice in manuscriptis de Sacram. Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 31. sec. 6. §. *Quartò id probatur*. & §. *Neque rationes dubitandi*. Qui tamen parum illi fauet. Pro oppositā tamen, & affirmatiuā sententiā flant communiter, quotquot in causis creatis connexionem cum possibilitate effectuum agnoscunt; eodem quippe modo sentiunt, siue tales effectus sint naturales, siue sint supernaturales. Specialiter verò tenent illam Agid. Lufit. lib. 10. de Beat. q. 3. art. 2. §. 3. Cabrera 3. p. q. 1. art. 1. disp. 6. n. 18. Machin. 1. p. disp. 16. sec. 3. Fatol. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 6. Vazq. 1. p. disp. 176. n. 26. Alarc. tract. 1. disp. 1. cap. 1. n. 13. Herice 1. p. disp. 36. n. 81. & alij. Ego neutri harum sententiarum plenè consentio.

#### Propositio 1.

123

Connexio naturæ cum possibilitate alicuius entis, huius supernaturalitatis non obstat, e. g. connexio intellectus nostri cum possibilitate visionis beatificæ.

Hæc propositio est contra Ripaldam, & suos; pro eā tamen sunt Doctores relati pro secunda sententiā. Probatur primò a priori. Quia, vt aliquid sit supernaturale, factum est, quòd existentia eius supra omne debitum, atque compositionem naturæ sit. Sed talis esse potest existentia entis, cum cuius possibilitate natura connectitur. Igitur connexio naturæ cum entis possibilitate non obstat supernaturalitati eius. Consequentia est bona. Maior est ipsa definitio entis supernaturalis ab omnibus re ipsa admitta, & satis à nobis stabilita supra q. 3. Probo ergo minorem, quæ sola eget probatione. Quia, si cut bene stat, naturam cum possibilitate entis esse connexam, & non cum existentia eius; ita quoque stat bene, existentiam entis omnino esse naturæ indebitam, atque adeò supernaturalem; quamuis possibilitas eius ipsi naturæ debita sit titulo connexionis. Confirmatur primò; quia, quòd possibilitas entis terminet connexionem naturæ, non tollit, esse illud tantæ excellentiæ, vt in sua existentia ipsi naturæ per excessum sit improporionatum. Ergo, quòd possibilitas entis terminet connexionem naturæ, non tollit, esse illud quoad existentiam supra naturam, atque adeò supernaturale. Confirmatur secundo; quia, quòd natura connectatur cum possibilitate doni, non impedit, quominus omnino gratis, & liberaliter possit illud conferri à Deo ipsi naturæ. Ergo neque impedit, quominus illud eam supernaturalitatem possit habere, quam Concilia, & Patres exposcunt in donis supernaturalibus, quamque nos ab ipsis didicimus. Confirmatur tertio; quia siue natura ponatur connexa cum dono aliquo vt possibili, siue secus,

semper manere potest verum, habere illam virtutem, potentiamve inchoatam ad absolute recipiendum, vel producendum tale donum. Igitur, siue natura ponatur connexa cum dono aliquo vt possibili, siue secus, impertinens est ad hoc, vt tale donum quoad existentiam supernaturale asseratur, aut non asseratur.

Confirmatur quartò, sitque secunda probatio, nec parum efficax nostræ propositionis. Connexio naturæ cum possibilitate entis non tollit, quominus illud esse possit supernaturale quoad modum, vt sæpe supponit ipse Ripalda ponens vbique naturam connexam cum possibilitate entis intrinsecè, & quoad substantiam naturalis. Ergo connexio naturæ cum possibilitate entis non tollit, quominus illud possit esse supernaturale quoad substantiam. Probo consequentiam. Quia, sicut esse naturam connexam cum possibilitate penetrationis duorum corporum, non tollit, talem penetrationem esse naturæ indebitam; ita esse naturam connexam cum possibilitate visionis beatificæ non tollit, esse etiam naturæ indebitam talem visionem. Quòd enim indubitum penetrationis in accidentaliter concursu duorum corporum ad idem spatium fundetur; indebitum verò visionis in eius essentia specificā, prout explicauimus q. 2. & 5. nihil omnino interest ad rem.

Tertio probatur propositio. Quia connexio essentialis naturæ cum possibilitate alicuius entis non facit, esse illud quoad existentiam naturæ debitum; atque adeò nec naturale. Ergo bene cum tali connexione componi poterit, quòd sit tale, ens supernaturale. Consequentia est bona. Probo antecedens. Quia si huiusmodi connexio cum possibilitate alicuius entis, siue ordo ad illam transcendens, vt appellat Ripalda, argueret necessariò in naturā exigentiam, seu debitum existentie eius, vel potius ipsa exigentia naturæ intrinsecæ (vt ipse Ripalda loquitur supra sec. 3. n. 12.) non esset aliud, quàm dicta connexio, siue ordo intrinsecus, ac transcendens naturæ in suam perfectionem, nihil profectò secundum possibilitatem terminaret connexionem naturæ, cuius existentiam ipsa natura tanquam sibi debitam non exigeret. Quo fieret, vt quævis causa naturalis simul, & pro omni occasione, ac tempore tanquam sibi debitam exigeret totam collectionem eorum effectuum possibilium, cum quorum possibilitate simul, & pro omni occasione, ac tempore connexa est. Quòd tamen est absurdum. Cum constet, nullam causam naturalem exigere tanquam sibi debitas simul, & pro quouis instanti omnes effectus sibi possibiles; cum quorum tamen possibilitate simul, & in quouis instanti est essentialiter connexa, iuxta sententiam, in qua Ripalda procedit. Quòd si semel connexio cum possibilitate alicuius entis abque exigentiā, & debito existentie eius in naturā concipi potest. Conficitur sanè, hos duos conceptus inseparabiles non esse; atque ita bene fieri posse, vt natura cum possibilitate alicuius entis connexa sit, cuius existentiam nullatenus tanquam sibi debitam exigit; quodque proinde tanquam superans omnem exigentiam naturæ simpliciter supernaturale est.

Cæterum contra statutam doctrinam eam, quæ pro sua stabilienda adducit Ripal. opponi possunt. Argumentatur primò ex Concilijs, & Patribus asserentibus, naturam ex se, & sine gratiā extrinsecus sibi adueniente impotem esse ad esse.

efficienda opera supernaturalia; quasi hoc ipso, quod Patres, & Concilia negant, posse naturam sine gratia quidquam supernaturaliter operari, negent consequenter naturae connexionem intrinsecam, cum possibilitate talium donorum. Sed consequentia nulla est; nec Patrum, & Conciliorum dogmata his metaphysicis subtilitatibus subnixata sunt. Vide id aperte in tua, & omnium sententia. Supposita possibilitate effectus, eodem profus modo tribuitur causa denominatio potentis illum absolute causare, sine illa connexa, siue non connexa ponatur cum ipsa possibilitate; ut in Deo cernere licet; qui, supposita creaturarum possibilitate, aequè ab omnibus asseritur potens absolute illas producere, tam ipsi, qui inconnexam, quam, qui connexam cum tali possibilitate ponunt diuinam omnipotentiam. Igitur, supposita possibilitate effectus, ut causa dicatur absolute potens, aut impotens eum causare, impertinens est, quod cum eius possibilitate connexa sit, aut non connexa. Igitur, dum Concilia, & Patres affirmant, causam naturalem impotens esse sine gratia ad supernaturales effectus, ne leuiter quidem insinuant, eam cum possibilitate talium effectuum connexam non esse. Id enim ipsum, & cum eadem veritate affirmarent, etsi connexam esse plane sentirent, & supponerent. Quia solum intendunt, causam naturalem ex se, & sua natura spectatam omnino esse destitutam potentia factiua proximè dictorum effectuum: quia neque per solam suam entitatem praecise proximè possunt illos causare; neque complementum, quo poterunt, illis iure naturae est debitum, sed aliunde fauore Dei gratis est prouenturum. In quo supernaturales effectus à naturalibus differunt, quos causa naturalis absolute dicitur posse: quia, licet etiam ad eos causandos aliquo complemento supra suam entitatem indigeat, hoc veluti ad manum habet in penu suo, & potestate, cum illi iure naturae debitum sit; & id vnumquodque dicitur absolute posse, quod vel per se, vel per aliquid possum in sua potestate potest.

127 Deinde à ratione arguit Ripalda primò sic. Reiecto praedicto ordine transcendenti naturae, facile explicatur plura, quae alias difficilia sunt explicata de donis supernaturalibus. Ergo reiiciendus. Nego antecedens. Imo implicatur; dum dogmata alias certissima circa supernaturalia dona dubia opinioni de inconnexione naturae cum eorum possibilitate alligantur. Itaque independenter ab hac natura inconnexione, vel connexione sunt explicanda, ut explicentur.

128 Secundò arguit. Si naturae competeret connexio cum possibilitate actus charitatis, vel fidei, vel visionis beatificae, deberentur ei compriincipia ad eos actus efficiendos. Quo profus eorum supernaturalitas interiret. Ergo. Antecedens probat. Nam propterea ad actus naturales sunt naturae debita compriincipia, & concursus Dei; quia transcendenti connexione cum eorum possibilitate connexa est. Nego antecedens, & probationem. Quia, ut sint naturae debita compriincipia, & concursus Dei generalis ad actus naturales, impertinens est, quod sit, aut non sit illa cum talium actuum possibilitate connexa, ut alias in simili dixi q. 2. & iterum paulò inferius attingam.

129 Tertia ratio adducta pro se à Ripaldà n. 16, à nobis est pro sequente propositione. Nec probat solum, causam naturalem non connecti cum possibilitate effectuum supernaturalium, quod ip-

se Ripalda praetendit, sed etiam naturalium, quod ipse negat, & nos suo loco monstramus. Ratio autem quarta adducta ab eodem num. 19. tam parui momenti ad rem videtur, ut in ea retundenda non expediat morari. Absurda item, quae congerit nu. 20. quod meam doctrinam minimè tangunt, libens omitto.

130 Vrgentius forsitan contra nostram propositionem potest sic argui. Posito, quod intellectus creatus cum visione beata ut possibili connectatur, non potest non illa ut possibilis ipsi intellectui esse debita debito quodam essentiali. Igitur visio beata in quantum possibilis nequit non esse naturalis, utpote debita naturae. Sed possibilitas visionis praedicatum eius est essentiali. Ergo visio ex praedicto essentiali, atque adeò absolute, & simpliciter erit ens naturale. Rursus possibilitas visionis ab existentia eius distincta reuera non est. Ergo, si visio ut possibilis est ens naturale, ut existens etiam, atque adeò omnino erit. Ergo posita in naturae connexione cum entibus supernaturalibus ut possibilibus, confessum eorum supernaturalitas pessum it. Igitur talis naturae connexio cum supernaturalitate rerum nullatenus est compatibilis.

131 Respondeo tamen, quidquid sit de conceptu possibilitatis, & existentiae, aut etiam essentiae visionis beatificae, de quo satis in vniuersum est dictum in Pharo Scient. disp. 10. id impraesentiarum supponi apud omnes ut certum, naturam ex praedicto essentiali posse connecti cum possibilitate visionis; quin cum existentia eius connexa sit; atque ita possibilitatem visionis posse naturae titulo talis connexionis debitam esse; quin, ipsi vilo titulo sit debita existentia visionis. Hoc ergo supposito, de cuius certà veritate modò propositio mea non curat, dico, inde non sequi, visionem esse ens naturale vilo modo, sed profus supernaturali. Nam, ut ex definitionibus receptis ab omnibus constat, ens naturale id solum dicitur, cuius existentia naturae debita est: supernaturali autem, cuius existentia indebita est toti naturae; utpote, quia ex conceptu suo essentiali improporionatum est toti naturae improporionem per excessum, quod fieri optimè potest, ut num. 123. dicebamus, quantumuis tale ens prout possibile terminet connexionem naturae; ipsique subinde ut tale debito quodam essentiali debitum sit. Bene enim intelligitur, esse naturae aliquo modo proportionatam, & debitam possibilitatem entis, cuius existentia omnino improporionata, & indebita illi est; sicut in moralibus homini plebeo, & rudi proportionata est, & debita metaphysica possibilitas Principatus Ecclesiae eo ipso, quod homo est; at ipse principatus ut existens improporionatus, & indebitus.

132 Et quidem, siue natura ponatur connexa, siue non connexa cum possibilitate actuum supernaturalium, illud posse inchoatum, quod ex se ad illos habere dicitur, quodque essentialiter fert se cum ipsam supernaturalium actuum possibilitatem vel tanquam terminum connexionis naturae, vel tanquam vnum ex fundamentis denominationis potentis, naturale est, atque adeò naturae debitum, iuxta communem sententiam Patrum. Ait enim August. lib. de Praed. Sanctorum cap. 5. Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturae est hominum: habere autem fidem, quem admodum & habere charitatem gratia est fidelium. Et Prosper. lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. Aliud, inquit, est posse habere charitatem, aliud habere cha-

ebatitatem; aliud esse capacem continentie, aliud esse continentem. Non itaque omnis reparabilis reparatur; quia reparabilem esse de natura est, reparatum autem esse de gratia est. Quo fere pacto loquuntur etiam Fulgen. de Incarn. & grat. cap. 22. & seqq. Clem. Alex. lib. 6. Stromatum paulò post medium. Greg. Nyssen. orat. cathechet. cap. 5. Damasc. lib. de duabus Christi voluntatibus inter principium, & medium. Cyrill. Alexand. aduersus Antropomorphitas cap. 1. & 10. Bern. de grat. & lib. arb. sub initium, & alij. Igitur ex sententiâ Patrum, possibilitas actuum supernaturalium, sine qua illud posse, quod natura attribuit, in nullâ sententiâ, vt dicebam, constare potest, (quia nequit dici absolute, vt dicunt Patres, natura posse id, quod supponitur impossibile), quadamtenus in omni sententiâ vocari potest naturalis, quatenus terminat, aut complet posse naturale naturæ, quantumuis sit supernaturalis eorumdem actuum existentia, vt confitentur ipsi Patres. Stet igitur, connexionem naturæ cum possibilitate entium supernaturalium eorum supernaturalitati nihil obflare.

## Propositio. 2.

Arbitror nihilominus, naturam cum ente supernaturali vt possibili connexam non esse; puta intellectum creatum cum visione beatifica: non quòd id conceptus supernaturalitatis exposcat; sed, quòd nulla causa, vt opinor, cum possibilitate suorum effectuum etiam naturalium connectitur; & vnuerfim nulla entitas cum possibilitate alterius titulo præcisè potentis quoquo modo se habere ad illam.

Quod quidem probatum suo loco suppono: modò enim immorari non expedit in hac assertionem vnuerfali, & metaphisicâ comprobanda. Videatur interim probata apud Recentiores Philosophos, & apud Ripal. supra num. 16. Ratio enim, quam ibi ad suum propositum adfert, integram nostram propositionem probat, vt supra notabam. Potissima autem argumenta, quæ contra illam fieri possunt, à n. 25. proponit, & diluit ipse Ripalda.

Vnum modò contra eum ex hac propositione colligo, quòd iam in simili notani q. 2. Vt effectus aliquis naturæ sit debitus, eoque iure naturalis, siue, vt comprincipia, & concursus Dei ad talem effectum naturæ debita sint, neuiquam requirit, quòd natura cum possibilitate talis effectus sit connexa: nam huiusmodi naturalia debita non in itâ connexionem, sed in virtute causarum, quam, tali connexionem seclusâ, supponimus manere, fundantur. Posito enim, vt nostra propositio, & omnes Auctores eius, imò & ipse Ripalda supponunt, quòd ignis non connexus cum possibilitate caloris apprehendi possit nihilominus cum virtute ad illum producendum, atque adeò etiam absolute potens illum producere, supposito, quòd ille absolute possibilis est, (qua ratione Deus citra omnem connexionem cum creaturis concipitur absolute potens illas producere, earum possibilitate suppositâ), non est, cur nequeat itidem, eâ connexionem seclusâ, apprehendi cum exigentiâ, & iure naturali ad eiusmodi productionem, atque adeò etiam ad comprincipia,

& concursus Dei requisita. Quia causa habens virtutem, & potentiam ad producendum effectum sibi proportionatum, qualis est semper calor respectu ignis, confestim habet ius naturale ad productionem eius, eamque subinde tanquam sibi debitam exigit; quidquid sit de connexionem cum eius possibilitate.

Ex quibus omnibus concluditur, tam ad supernaturalitatem, quam ad naturalitatem entium impertinens esse, quòd natura eum eorum possibilitate connexa, aut inconnexa ponatur; tametsi de facto verius sit, eam, quòd ad potentiam atinet, à possibilitate actuum tam naturalium, quam supernaturalium intrinsecè, & entitatiè absolutam esse, prout in proprio loco monstratur.

## QVAESTIO IX.

Virum visio beatifica, & reliqua entia supernaturalia vnuerfim supra appetitum innatum natura sint.

Appetitus innatus metaphisicè dicitur per analogiam ad elicium, qui facultatis appetentis operatio est. Quemadmodum enim, quæcunque facultate appetendi, seu potentia appetitiua pollent, per actum à tali potentia elicium appetunt, quæ sibi conueniunt, in illaque per eundem actum quodammodo propendunt, atque feruntur. Ita à simili cætera cuncta suapte naturâ, siue nativâ inclinatione in bona sibi conuenientia ferri, ipsaque appetere dicuntur, vt aqua frigus, ignis calorem, grauiâ descendere deorsum, leuiâ sursum ascendere, &c. prout eleganter explicat August. lib. 11. de Ciuit. cap. 27. & 28.

Igitur intellectum creatum appetere appetitu innato visionem beatificam, atque adeò naturam supernaturalia dona, prima sententiâ affirmat; quam tenent Scot. in prolog. q. 1. §. Ad questionem, & in 4. dist. 49. q. 10. art. 1. quem sequuntur Scotistæ communiter ad ea loca, Tartaretus, Antonius Andreas, Philippus Faber, Herrera, Rada, Soffa, & alij: necnon Valen. tom. 3. disp. 1. q. 5. pun. 1. Didacus Ruiz tom. de Volun. disp. 1. sec. 2. num. 7. & alij. Secunda sententiâ extreme opposita negat, quam tuerentur Mol. 1. p. q. 12. art. 1. disp. 2. concl. 2. Vazq. ibidem in expositione articuli, & 1. 2. disp. 22. cap. 2. num. 10. Soar. disp. 43. Metaph. sec. 4. num. 10. & lib. 2. de Attrib. cap. 8. num. 4. & 1. 2. disp. 16. sec. 2. Arrub. 1. p. disp. 14. cap. 2. Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dubit. 1. Raynaud. in sua morali Disciplina dist. 1. num. 272. Antonius Perez in Laureâ, Salmant. certam. 5. scholast. dub. 1. Arriag. 1. p. disp. 6. sec. 4. Gonzalez 1. p. disp. 24. num. 20. Ripa dub. 1. Nazar. contr. 1. & communiter Thomistæ cum alijs, quos refert Ripal. disp. 9. de Ente supern. sec. 2. Tertia sententiâ est, naturam non habere appetitum innatum ad supernaturalia absolutum; habere tamen conditionatum ex parte obieci sub conditione, quòd ad illa eleuetur. Ita Salas 1. 2. trac. 2. disp. 12. sec. 2. num. 8. Quarta sententiâ est, naturam non habere appetitum innatum ad supernaturalia, qui sit naturalis; habere tamen, qui sit obedientialis, seu supernaturalis. Ita Herice 1. p. disp. 37. cap. 2. Gran. 1. 2. cont. 1. tract. 3. disp. 5. num. 4. Denique,

Ripalda dicta disp. 9. totam hanc controuersiam censet esse de modo loquendi, nisi ad connexionem, vel inconnexiōem naturæ cum entibus supernaturalibus referatur, uti ipse refert, putans, concessã naturæ connexionem cum entibus supernaturalibus ut possibilibus, appetitum innatum ad illa necessariò concedendum: sicut è contrã negandum, si talis connexio negetur.

Propositio vnica.

138 Dissidium hoc de solo modo loquendi est. Aptissimè tamen, atque tutissimè loquuntur, qui omnem appetitum innatum, negant naturæ respectu supernaturalium; atque adeò intellectui creato respectu visionis beatificæ.

Quoad primam partem propositionis idem expressè censent Soar, Salas, Rayn. & Herice supra. Crediderimque, plerisque etiam cæterorum non dissentire. Quoniam in re omnes Catholici pro certo habent, dona supernaturalia tanquam improporcionata naturæ omnem ipsius exigentiam, omnia iura, atque adeò omne debitum separare. Vtrum autem, istã veritate, suppositã, natura nihilominus dicenda sit appetere huiusmodi dona; quòd perfectiones eius sunt; vel potius non appetere; quòd, licet sint perfectiones, sunt improporcionatæ, & indebitæ; quæstio de solã voce est. Neque verò conatus Ripaldæ vllatenus illam trahit ad rem: nam, ut ex doctrinã tradita q. præced. planè colligitur, quòd natura cum possibilitate donorum supernaturalium connexa sit, aut inconnexa, impertinens est ad hoc, ut ea dicatur, aut non dicatur appetere huiusmodi dona. Si enim, ut ibi probauimus, præscindendo à tali connexionem, eaque vel suppositã, vel sepositã, pariter possunt, atque optimè dicta dona concipi indebita, & improporcionata naturæ, ipsaque natura inchoatiuè dumtaxat compos. ad illa, siue ut per illa perficiatur: siue ponas, siue reicias à naturã prædictam connexionem, integra super sunt fundamenta re ipsã, quibus alij ad concedendum, alij ad negandum naturæ appetitum innatum ad prædicta dona mouentur: nempe esse illa perfectiones naturæ, & esse improporcionata, & indebita. Per istam ergo quæstionem de connexionem, vel inconnexione naturæ nihilo magis quæstio præsens, eximitur à controuersia de nomine. Et quidem, ut bene vidit ipse Ripalda, Doctores tam, qui concedunt, quam, qui negant naturæ appetitum innatum ad dona supernaturalia, immemores prorsus dictæ connexionis, vel inconnexiōis naturæ negant, aut concedunt. Igitur planè sciendum, ut natura talia dona dicatur, aut non dicatur appetere, impertinens esse, quòd ea cum possibilitate ipsorum donorum connexa, aut non connexa ponatur.

139 Iam vero secunda pars propositionis inde potissimùm probanda venit: quia appetitus elicitus, vnde ad innatum translatio nominis facta est, circa bona omnino improporcionata appetenti aut absolute, aut saltem rationabiliter non concipitur. Quis enim non rideret hominem agrestem, & rudem, qui seriò, & ex animo appeteret esse Papam? Idque ob eandem improporcionem, quam munus ad subiectum habet. Igitur naturæ, cuius essentia physica nihil inationa-

bile potest attribui, perperam in bona sibi improporcionata, qualia sunt supernaturalia, tribuitur appetitus innatus. Deinde appetitus elicitus per modum desiderij, à quo ad innatum, de quo loquimur, facta est prædicta translatio, circa bonum iudicatum quoquo modo impossibile ne physice quidem concipi potest, ut dicam in tract. de Volunt. Bona autem improporcionata subiecto, ab omni iure eius prorsus aliena, ipsi impossibilia saltem moraliter iudicantur ut plurimum. Quare ne physice quidem per desiderium elicitedum adhuc simplex plerunque saltem appeti possunt. Igitur, cum bona improporcionata naturæ, ab omni iure eius prorsus aliena, qualia sunt supernaturalia, maiori, quàm morali necessitate, nempe naturali, naturæ sint impossibilia, neutiquam appeti ab ipsã appetitu innato dicenda sunt. Ecce, quàm consentienter ad rationem plerique Theologi iuxta communem loquendi morem circa bona solùm connaturalia naturæ tribuant appetitum innatum. Quo loquendi more introducto, minis tutò loquetur, qui absolute, & sine explicatione affirmauerit, naturam ad donum aliquod supernaturale appetitum innatum habere: videbitur enim significare contra id, quod fide sanctum est, tale donum connaturale esse, proindeque debitum naturæ. Ob id dixi in propositione, *tutissimè* loqui, qui omnem appetitum innatum negant naturæ respectu supernaturalium.

Vnde colligo contra Salas, nec conditionatum ex parte obiecti tribuendum illi esse sub conditione eleuationis. Quia, si ad appetitum elicitedum redeamus, paris imprudentiæ, aut etiam impossibilitatis est, appetere, siue desiderare aliquid conditionatè sub conditione improporcionata, aut iudicatã impossibili saltem moraliter; atque appetere, siue desiderare absolute, quod est absolute improporcionatum, aut iudicatum impossibile, ut constabit etiam ex dicendis in tract. de Volunt. Cum igitur eleuatio naturæ ad dona supernaturalia ipsi sit improporcionata, & naturaliter impossibilis, paris ineptitudinis erit iuxta dicta nuper, tribuere ei circa talia dona appetitum innatum conditionatum sub conditione eleuationis; atque tribuere absolute.

141 Colligo etiam ex dictis contra Herice, & Gran. neque appetitum innatum obedientialem, aut supernaturalem tribuendum esse naturæ circa supernaturalia dona. Quia natura nullo modo dicenda est appetere per se talia dona, ut confestim. Et quidem, si semel concedis naturæ appetitum ad dona dicta; siue eum naturalem appelles, quia identificatur cum naturã; siue obedientialem, quia est appetitus potentia solùm obedientialis, nihilo reuerã differt ab Auctoribus prima sententiæ; qui sanè non negant, potentiam naturæ ad dona supernaturalia obedientialem solùm esse. Si autem, dum dictum appetitum supernaturalem appellas, vis esse aliquod prædicatum reuerã supernaturale identificatum, cum naturã, supponis rem valde difficilem, & maiori egentem examine. De quo suo loco.

142 Obijci tamen potest primo contra propositionem, Natura rationalis habet appetitum innatum ad suam beatitudinem tanquam ad proprium finem; sicut grauiã ad quiescendum in centro Vniuersi. Sed beatitudo naturæ rationalis consistit in visione Dei. Ergo ad hanc habet appetitum innatum: cum tamen ea sit ens supernaturale. Distinguo maiorem, Natura rationalis

lis habet appetitum innatum ad suam beatitudinem naturalem; concedo. Supernaturalem; nego. Deinde minorem. Sed beatitudo naturalis naturæ rationalis est visio Dei; nego. Supernaturalis; concedo. Et nego consequentiam. Etenim beatitudo naturalis naturæ rationalis in aliâ operatione inferioris notæ à visione Dei posita est; nempe in eius contemplatione perfectâ discursu ab effectibus hausta, vt politiores Philosophi opinati sunt; de quo alibi. Videatur S.Th. q. 27. de Verit. art. 2.

143 Secundo obiici potest, August. lib. 1. Confess. cap. 1. dicens. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Respondeo, August. loqui de inquietudine orrâ ex inordinatione appetitus elicitum, non ex non atsequito sine appetitus innati; tum de naturâ nostrâ prout ordinatâ ad finem supernaturalem. Vnde ex verbis eius nihil contra doctrinam nostram colligitur. Quod si de inquietudine innatâ, ac naturali naturæ nostræ loqueretur, de quiete in Deo per naturalem contemplationem adipiscendâ intelligendus erat.

144 Rogabis, an post iam adepta supernaturalia dona gaudium innatum de eorum possessione possit naturæ attribui? Respondeo, non adeo ineptè posse per analogiam ad gaudium elicitedum, quod de improprietatis etiam donis semel possessis, quo casu obtinentur, concipi solet; tamen si metaphora hæc parùm in vtu sit.

### QVAESTIO X.

*Virum visio beatifica, aliæque supernaturalia dona supra appetitum etiam elicitedum naturalis ordinis euehantur; ita, vt per illum à naturâ attingi non possint.*

145 **S**uppono vt certum secundum fidem, nullum affectum salutarem, seu conferentem ad salutem circa dona supernaturalia concipi posse solius naturæ facultate sine gratiâ per Christum. Quod est dogma definitum in Concilio Araucano 2. præsertim can. 5. & 6. & in Moguntino cap. 5. traditumque sapissimè ab Aug. & alijs Patribus differentibus contra Pelagium, & Semipelagianos; de quo in tract. de Gratiâ. Vtrum autem interueniente gratiâ per Christum aliquis affectus secundum substantiam naturalis, conferensque in salutem haberi possit à naturâ circa obiecta supernaturalia, aut etiam naturalia, in eo etiam tract. differitur. Quod in præsentem quaerimus solum est, an omni gratiâ speciali, atque etiam reuelatione Dei seclusâ, possit natura proprijs viribus affectum aliquem non conferentem in salutem circa dona supernaturalia concipere; atque adeo circa visionem beatificam.

146 Affirmant communiter Theologi. Soar. 1. 2. disp. 16. sec. ult. Salas tract. 2. disp. 12. sec. 3. Gran. contr. 1. tract. 3. disp. 5. sec. 2. Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. Zumel ibidem contr. 1. Nazar. contr. 5. Bann. contr. 2. Albeda disp. 24. sec. 2. Machin. disp. 14. sec. 4. Herice disp. 38. cap. 1. Ruiz tom. de Vol. disp. 40. sec. 2. n. 9. Ripal. disp. 14. de Ente supetu. Arriag. 1. p. disp. 6. sect. 3. & alijs. Pro

oppositâ sententiâ referuntur solum Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. §. Ad euidentiâ, & 1. 2. q. 3. & 5. art. 8. & Sor. in 4. dist. 49. q. 2. art. 2. contr. 4. purantes, seclusâ reuelatione Dei, non posse haberi notitiam donorum supernaturalium, atque adeo neque affectum circa illa. Vazq. autem 1. 2. disp. 22. cap. 4. et si asserat, desiderium naturale conceptum de visione Dei esse opus honestum, atque adeo iuxta suam Theologiam ex gratiâ per Christum, videtur loqui tantum de facto, & vt implurimum; non de possibili, vt alij loquuntur.

147 Major difficultas est, an supra dictus affectus naturalis donorum supernaturalium absolutus, & ex se efficax esse possit. Megant Zumel, Machin. Albeda, Fasol. Nazar. supra, Ægid. Lufit. tom. 3. de Beat. in appendice q. 3. art. 3. n. 26. & 34. Tan. 1. 2. disp. 1. q. 5. n. 25. Rayn. in suâ morali Disciplinâ dist. 1. n. 274. & alijs relati à Ripal. supra n. 24. Affirmant verò Salas, Herice, Gran. & Arriaga supra, Ripal. n. 17. cum alijs ab eo ibi relatis. Qui quidem ita concedunt naturæ viribus affectum absolutum intrinsecè, & quantum ex se est, efficacem circa supernaturalia dona, vt efficacem etiam extrinsecè, & quoad effectum, minimè concedendum avertant. Quia, si natura proprijs viribus ita posset desiderare supernaturalia dona, vt etiam cum effectu vi talis desiderij obtineret; viribus proprijs posset etiam opera supernaturalia perficere. Quod à doctrinâ catholicâ alienum est.

### Propositio 1.

148 **Aliquis affectus donorum supernaturalium non conferens ad salutem solâ facultate naturæ, etiam citra diuinam reuelationem, haberi potest.**

Probat primò ex Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. dicente, *Non omnes homines instinctu naturali immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possemus; sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum.* Vbi satis indicat, dari in hominibus naturale desiderium supernaturalis beatitudinis ipso naturæ instinctu conceptum. Quod etiam spectat illud, quod dicit lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Ad volendum beatitudinem natura compellit.* Consentit S. Th. 1. p. q. 12. art. 1. & lib. 3. contra gent. cap. 51. probans, possibilitatem visionis Dei ex eo, quod homines videntes effectus naturale desiderium concipiunt videnti causam. Loqui autem S. Th. de desiderio elicitedo, non verò de innato, manifestum est in textu; & ita sentiunt communiter Expositores; quidquid contradicant Sor. lib. 1. de nat. & grat. cap. 4. & in 4. dist. 49. q. 2. & Herice disp. 47. cap. 2.

149 Secundo à priori. Quia intellectus creatus solo discursu naturali potest cognoscere probabiliter possibilitatem visionis beatificæ, aliorumque entium supernaturalium, vt in 1. q. 13. ostendimus. Ergo eâ cognitione ductus naturali etiam affectu poterit talia entia appetere independentè à gratiâ speciali, & à reuelatione Dei. Nec dicat aliquis cum Vazq. citato n. 146. huiusmodi affectum, vt pote honestum, non posse haberi sine gratiâ per Christum, quantumvis naturalis sit. Primò; quia probabilior est sententia, quæ abque vllâ gratiâ per Christum, docet, aliquos actus honestos concipi posse. Secundò; quia etiam in sententiâ Vazq. et si natura, vt operetur honestè.



honestè, de facto indigeat gratiâ per Christum; at, vt possit operari præcisè eâ non indiget. Erit igitur natura viribus proprijs compos, saltem in actu primo, ad dictum affectum, stando etiam in eâ sententiâ. Tertio, quia fieri potest, vt naturalis supernaturalium affectus honestus non sit, sed vel indifferens, vel etiam prauus, vt iam ostendo. Quo cessat necessitas gratiæ iuxta omnem sententiam.

150 Tertio enim propositio probatur. Quia bona supernaturalia affectu etiam prauo expeti possunt, qui naturalis omnino, & absque vllâ Christi gratiâ conceptus sit. Sic namque Simon Magus Actorum 8. supernaturalem potestatem communicandi Spiritum sanctum ambiuit, pecuniâque comparare tentauit. Dæmones etiam aut beatitudinem supernaturalem, aut excellentiam diuinitatis, vel Christi inordinate appetuerunt, vt tractant Theologi cum Magistro in 2. dist. 6. & cum S. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. Hæretici vanâ fiducia remissionem peccatorum, & salutem æternam sperant secundum Trid. sess. 6. cap. 4. Denique pessimi sacerdotes sæpe ad prauos fines abutuntur consecratione Eucharistica, ordinatione, absolutione à peccatis, & alijs supernaturalibus functionibus. Independentè etiam ab omni reuelatione diuinâ posset quis visionem Dei, aut aliud supernaturale donum lumine solum rationis probabiliter cognitum ex prauo aliquo sine appetere, puta ex vanâ curiositate, ex ambitione, &c. Igitur natura viribus proprijs, affectuque merè naturali in bona supernaturalia tendere potest procul dubio.

Propositio 2.

151 Non solum simplici, sed etiam efficaci affectu potest natura proprijs viribus in supernaturalia ferri.

Loquor de affectu intrinsecè, & quantum ex se est, seu quasi in actu primo efficaci, non de efficaci etiam extrinsecè, seu potius efficiente in actu secundo, iuxta notationem præmissam, num. 147. Porro, vt in tract. de Vol. latius exponam, affectus efficax alius est absolutus, vt, si quis dicat, *Volo videre Deum*; alius conditionatus ex parte obiecti, qui rursus duplex est; alter per modum desiderij, vt, *Volo videre Deum, si Matri placuerit*; alter per modum velleitatis, vt, *vellem videre Deum, si esset possibile*. Ex quibus primus formaliter, secundus æquiualeter tantum est efficax. Igitur propositio de triplici hoc genere affectuum vera est. Et quidem, quod attinet ad velleitatem, nullam difficultatem habet. Nam, cum huiusmodi affectus circa obiectum iudicatum absolutè impossibile sub conditione, quod esset possibile, ferri possit; aliundeque nullam necessitatem ingerat voluntati ad quodpiam aliud absolutè volendum, seu procurandum pro obtinendo obiecto amato; non est, vnde naturæ repugnet, proprijs viribus illum concipere, vt & per se patet, & amplius postmodum patebit, postquam de desiderio absoluto, de quo est potissima difficultas, propositionem probauerimus.

152 Eam probat Ripalda ex testimonijs August. & S. I. ho. num. 148. commemoratis, inferens, loqui sanctos Doctores de desiderio naturali absoluto, & efficaci visionis Dei; quod ex tali desiderio deducunt possibilitatem visionis; quasi eius-

modi possibilitas ex solo desiderio absoluto, & efficaci possit benè deduci. Sed non assentior. Quia existimo, desiderium simplex non minus, quàm efficax, arguere possibilitatem visionis, si verum est, per efficax illam argui: quia non minus, quàm efficax, exigit versari circa obiectum possibile, prout in tract. de Vol. latius exponam. Velleitates enim conditionatæ, & complacentiæ simplices absolutæ, quæ in obiecta iudicata impossibilia tendere possunt, non sunt actus desiderij, sed amoris stricti, vt ibi etiam explicabo.

153 Probo ergo propositionem primò; quia, vt num. 149. dicebam, natura solo lumine naturali potest probabiliter iudicare, visionem Dei, aut aliud bonum supernaturale esse possibile. Igitur affectu etiam merè naturali, proprijsque viribus elicitò poterit absolutè, & efficaciter desiderare tale bonum. Quia ex vnâ parte ad appetendum absolutè, & efficaciter quoduis obiectum, fat est iudicare, illud esse possibile, quouis iudicio, vt constat. Ex aliâ verò non est, cur natura non possit affectu sibi connaturali, & proportionato ferri in obiectum, quod cognitione sibi connaturali iudicat bonum. Imo est, cur possit: quia, voluntas per cognitionem naturalem boni proximè potens constituitur ad illud amandum: eique subinde debetur conuersus Dei casu, quod se pro suo nutu sit determinatura ad amorem. Igitur, supposita cognitione de obiecto supernaturali solis naturæ viribus comparata, citra omnem gratiam naturæ indebitam, atque adeò amore omnino naturali est ipsa natura potens tale obiectum amare.

154 Dices. Ad appetendum obiectum desiderio efficaci non satis est iudicare, esse illud utcumque possibile, nisi iudicetur possibile obtentu comparatione desiderantis, quale non est comparatione naturæ secundum proprias vires spectatæ vllum supernaturale bonum. Concedo totum. Sed nihil inde; quia potest natura proprijs viribus iudicare, sibi esse obtentu possibile aliquod supernaturale bonum. Idque dupliciter. Primò, iudicans per errorem, se tale bonum posse proprijs viribus obtinere, qualiter iudicare potest, omni reuelatione Dei circumscripta. Secundò, iudicans, se tale bonum consequi posse per gratiam Dei naturæ indebitam; quod iudicare optimè potest aut etiam seclusà Dei reuelatione, aut saltem post reuelatam supernaturalium naturam, iudicio merè naturali per testimonium humanum, aut per aliud medium naturaliter comparatum. Quouis autem ex his iudicijs instructa natura naturalissimo affectu desiderare poterit absolutè, & efficaciter donum prædictum, vt constat ex dictis. Priori quidem: quia, quod sit erroneum iudicium de possibilitate, ac potestate obrinendi obiectum propositum, nil refert, quominus illud affectu intrinsecè efficaci desiderari valeat, vt patet in eo, qui nesciens, se esse ligatum, vellet efficaciter ambulare: talis enim volitio efficax intrinsecè euaderet; tamen effectum non fortiretur defectu facultatis exequentis. Pariter ergo natura, putans se compotem proprijs viribus ad assequendum aliquid supernaturale, poterit illud efficaciter velle, quidquid sit de successu. Posteriori autem iudicio instructa valet natura absolutè, & efficaciter appetere obiectum supernaturale: quia non opus est, quod omnia media necessaria ad obrinendum, quod ita appetitur, sint in potestate appetentis, dummodò is spem habeat, quod, quæ aliunde sunt prouentura, ab alio ponentur,

vt patet in eo, qui sciens præsto sibi fore ab amico auxilium, efficaciter intendit, quod sine tali auxilio consequi nequit; faciens ipse interim à tali intentione determinatus, quantum habet in sua potestate. Pariter igitur natura sciens, sibi non defutura gratiam Dei requisitam ad consequendum aliquid supernaturale, optimè poterit proprijs viribus illud appetere, & intendere affectu absoluto, & efficaci; imò etiam præstare vitæ intentionis alia, si quæ sunt naturalis ordinis, quæ ad tale quid possint conducere, promotâ illâ, seu eleuatâ per gratiam venturam.

155 Secundò à peculiaribus exemplis potest probari propositio. Quia certum est, voluntatem, conficiendi Eucharistiam, abluendi, & absoluedi à peccatis per gratiam sacramentalem Baptismo, & Pœnitentiâ annexam; necnon communicandi characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, aliosque huiusmodi effectus supernaturales impendendi posse in iniquo ministro turpem, & sacrilegam esse, atque adeo penitus naturalem. Sed est voluntas efficax dictorum effectuum, vt constat. Ergo circa supernaturalia, obiecta voluntas absoluta, & efficax omnino naturalis possibilis est. Deinde potest hereticus credens alicui vanæ ceremoniæ esse gratiam Dei alligatam, vt est reuerà sacramentis, æquè efficaciter mediâ tali ceremoniâ illam intendere, ac nos susceptione sacramentorum. Et tamen intentio illa omnino erit naturalis. Ergo: Præterea alligari Deus, vt planè potest, aliquid supernaturale donum operi merè naturali. Quis dubitet, hominem, aut Angelum conscientium talis alligationis posse efficaciter solis naturæ viribus ad tale donum obtinendum conari?

156 Hinc facio gradum ad tertiam probationem propositionis. Tenim desiderium inefficax merè naturale donorum supernaturalium, quod omnes Aduersarij admittunt, eisdem incommodis, atque efficacis, obnoxium est. Ergo vel vtrumque admittendum, vel vtrumque negandum. Incommoda, quæ prætexuntur desiderio efficaci sunt, quòd medio illo, si daretur, natura & esset proprijs viribus compos donorum supernaturalium, & præberet fidei, ac iustificationis initium; quorum vtrumque aduersatur sanæ doctrinæ. Eadem profectò incommoda possunt, desiderio inefficacitati prætexi. Quia, licet desiderium inefficax non determinat desiderantem ad procurandum obiectum desideratum, quemadmodum determinat efficacis: aut mouet quidem, seu inducit, atque ita in obiectum desideratum conferre cum effectu potest adeo, vt, eo ablato, non procuraretur, nec obtineretur obiectum, quod, eo posito, procuratur, & obtinetur. Igitur per desiderium etiam inefficax merè naturale & præber natura iustificationis initium, & compos aliquo modo fit donorum supernaturalium. Vel si ab his incommodis illud immune censetur; pariter etiam immune censendum est efficacis, vt est reuerà, pro vt ex solutione argumentorum compertum fiet.

157 Obijcitur primò. Dona supernaturalia impossibilia sunt viribus naturæ. Sed impossibilia non queunt absolute, & efficaciter appeti. Ergo. Distinguo minorem. Si iudicentur impossibilia; concedo. Si possibilia; nego. Iam autem dixi, quo pacto possunt iudicari possibilia naturæ aut viribus proprijs iudicio falso, aut viribus gratiæ iudicio vero.

158 Secundò obijcitur. Si natura proprijs viri-

bus potest quidpiam supernaturale efficaciter velle, poterit quoque ipsum credulitatis affectum, quo in Deum credimus, concipere contra can. 5. Concilij Arausic. 2. poterit eligere aliquid conducens ad salutem contra can. 7. poterit desiderare salutem, & auxilia gratiæ contra Aug. lib. de Correctione, & gratiâ cap. 1. & contra Prosp. lib. 1. de Vocatione gentium cap. 8. Quo fiet, vt non solum possit proprijs viribus initium fidei, & iustificationis præbere; sed etiam integrum fidei meritum consequi contra omnia Concilia, & Patres, qui opposita dogmata definiunt aduersus Pelagium, & eius Cineres. Meritum enim fidei in pium affectum credendi, à quo sortitur libertatem, reducitur. Hoc argumentum in desiderium etiam simplex donorum supernaturalium, quod penè omnes tribuunt naturæ, retorqueri potest, iuxta id, quod dicebamus n. 156.

159 Respondco igitur pro vtroque, Concilia, & Patres solum negare naturæ viribus actum salutarem, seu conferentem in salutem per modum meriti, impetrationis, aut dispositionis moralis, vt satis exploratum est in tract. de gratia; non item actum non salutarem, quantumuis ille ad ad actus saluare, atque adeo ad ipsam salutem, physice in consortio naturæ simul cum donis gratiæ concurrat. Vt enim Concilia, & Patres non negant naturam ipsam, qua nihil naturalis est, adiutam diuinâ gratiâ, physice influere in actus supernaturales, atque adeo etiam in salutem; ita non negant, posse aliquem actum naturalem adiutum pariter gratiâ diuinâ physice etiam in actus supernaturales, in ipsamque salutem influere; cum constet ex superius dictis, huiusmodi influxum, etiam per actum prauum nullatenus oriundum à gratiâ, præstari posse. Dico physice, vt modum cauandis meriti, atque impetrationis excludam; non quòd actus naturalis aliter, quam mouendo, seu inclinando naturam ad actum supernaturalem concurrat; (quod genus quoddam cauandis moraliter est). Hinc tamen non efficitur, pium credulitatis affectum, à quo sortitur meritum fidei, à solâ naturâ esse posse; cum sit, ille opus gratiæ diuinæ, vt Arausicanum definit. Quanquam enim natura suis viribus etiam efficaciter possit desiderare, seu velle elicere actum fidei diuinæ, iste conatus irritus erit, nisi adsint cetera per se requisita ad talem actum, è quibus est affectus alter eiusdem oriundus à gratiâ, imò & supernaturalis quoad substantiam. Iam enim notari supra affectum, quem viribus naturæ adscribimus, perinde, ac natura ipsa, nihil omnino in effectum supernaturale præstare posse, nisi adsint cetera cuncta ex parte gratiæ requisita ad talem effectum. Ex quibus patet solutio ad omnia, quæ in argumento proponebantur. Ex nostrâ enim doctrinâ neque sequitur, credulitatis affectum, aut meritum fidei posse à solâ facultate naturæ nasci; neque naturam proprijs viribus aliquid ad salutem conducens salutariter, & prout oportet, desiderare, neque fidei, aut iustificationis initium, aliquid morale, aut per se sufficiens præbere. Dico morale, aut per se sufficiens, vt aduertam, opus solius naturæ non solum non posse initiare fidem, aut iustificationem concurrente ad illam per modum impetrationis, vel meriti; sed nec concurrente aliter per se sine auxilijs, alijque gratiæ principijs: simul autem cum his concurrere ad initiandam fidem, sicut natura ipsa concurrat, nihil est, quod vetet. Nam sicut natura eleuatâ per gratiam inchoat, & perficit suam salu-

salutem, ita affectus naturales eius pariter elevati possunt ad illam inchoandam, atque perficiendam iuvare.

160 Tertiò obijcitur, Omne desiderium intrinsecè efficax supapte naturà connectitur cum obiecto suo: ob id enim imperium efficax reflexum necessitat voluntatem ad actum imperatum directum, & intentio efficax finis necessitat ad electionem mediorum. Ergo desiderium efficax de obiecto supernaturali non potest esse naturale: quia ens naturale non potest cum supernaturali connexum esse: eo quòd & esset hoc supernaturale, ut supponitur: & non esset: quia debitum naturali titulo dicitur connexionis. Respondeo, desiderium efficax creatum conditionatè tantum esse connexum cum obiecto suo; (in quo differt ab increato, quòd absolute connexum est); sub conditione videlicet, quòd adsint cætera requisita ad causandum illud re ipsà. Quantumvis enim efficaciter velit homo ambulare, aut actum fidei divinæ elicere, si potentia executionis horum actuum non habeant omnia requisita ad eorum executionem, absque effectu relinquatur conatus hominis, siue efficax desiderium: quòd tamen nequibit effectu carere, si cætera cuncta requisita ad illum causandum subsistant; cuiusmodi sunt respectu fidei comprincipia supernaturalia gratiæ. Huiusmodi autem conditionata connexio cum ente supernaturali ab ente naturali aliena non est: sicut neque à natura ipsà. Constat etenim, intellectum creatum, qui pars quædam naturæ est, si existant cætera requisita ad eliciendum actum fidei, vel visionis beatificæ, non posse non illum elicere; atque adeò sub conditione talium requisitorum cum tali actu connexum esse, quin desinat actus propterea esse supernaturalis, ut non desinat esse absolute naturæ indebitus. Ex his cætera, si quæ opponantur, facile diluentur.

161 Quòd si natura proprijs viribus desiderium efficax absolutum visionis beatificæ, aliorumque supernaturalium bonorum valet concipere, multò melius valebit concipere conditionatum ex parte obiecti. In quo, suppositis ijs, quæ tradidimus, nullum est dubium; sicut, eisdem suppositis, neque est dubitabile, quin possit natura affectu gaudij, amorisve stricti naturalis non salutaris circa eadem bona versari. Vtrum autem affectus merè naturalis bonorum supernaturalium, quos viribus naturæ tribuimus, pro obiecto solum materiali possint habere talia bona, an etiam pro motivo formali, ex dicendis alibi constabit. Vbi uniuersum discutiemus, an actus naturalis in obiectum supernaturale, & actus supernaturalis è contra in obiectum naturale tanquam in formalia tendere valeant.

Ob id in præsentem quæstionem penitus ab ista controuersia abstinuimus, ab eiusque resolutione præcidi-

QVÆSTIO XI.

*Virum cognitio supernaturalium quiditatiua, siue intuitiua habita per speciem propriam supra omnes vires, atque iura natura sit.*

QVÆSTIO hæc propter Angelos potissimum instituitur, aut etiam propter animas separatas. Quia certum est, hominibus cuncta per species dumtaxat sensibilium naturaliter cognoscentibus cognitionem supernaturalium per proprias species habitam, atque adeò quiditatiuam, aut intuitiuam connaturalem esse non posse. Procedit autem quæstio de cognitione entium supernaturalium tum ut possibile, tum ut aliquando existentium.

Circa quam prima sententia est Scoti in 4. dist. 10. q. 8. ubi docet, entia supernaturalia, postquam facta sunt, intuitiuè videri posse ab Angelo virtute naturali. Sequuntur Maior, & Tartaretus ibidem, Bassolis q. 4. contr. 5. Philippus Faber dist. 43. cap. 5. Rada 2. p. contr. 8. & alij Scotistæ. Quam sententiam amplectuntur etiam Ochamus in 4. dist. 10. q. 4. & 5. Gabriel ibidem, Angles in 2. dist. 3. q. 4. diff. 12. Probabilemque censent Palacios in 4. dist. 10. d. 3. concl. 7. Ægid. Lusit. lib. 11. de Beat. q. 8. art. 3. & noster Ægid. Coninc. tom. de Sacram. q. 76. art. 7. n. 114. & 118. Secunda verò, & communissima sententia uniuersaliter pronunciat, Angelum suà naturali virtute non posse proprio, & quiditatiuo conceptu entia intrinsecè, & quoad substantiam supernaturalia cognoscere, atque adeò neque intuitiuè videre. Ita S. Th. in 4. dist. 10. art. 4. q. 4. ubi Capreolus, & Sorus, & 1. p. q. 57. art. 5. ubi Expositores communiter, Caiet. Bann. Zumel, Nazarius, Puteanus, Mol. Valen. Vazq. disp. 214. cap. 3. Arrub. disp. 172. cap. 1. Tann. disp. 5. q. 3. dub. 7. Gran. cont. 7. tract. 6. disp. 2. Alarc. tract. 6. disp. 3. cap. 14. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 29. & tom. 1. in 3. p. disp. 3. sec. 1. & tom. 3. disp. 53. sec. 1. Ægid. Lusit. ubi supra, Alberti. 1. Principio philof. q. 3. theol. Rayn. in Theol. naturali dist. 4. n. 19. & in Discipl. moral. dist. 1. n. 270. Ripalda de Ente supern. disp. 10. sec. 2. Recupit. lib. 6. q. 5. Et apud eos alij. Ex quibus Bann. Zumel, & Nazarius seueris notis inurunt sententiam oppositam; sed immeritò.

Propositio I.

Cognitio supernaturalium prout actu existentium habita per propriam speciem, atque adeò quiditatiua, aut intuitiua facultatem naturæ etiam Angelorum excedit.

Probatum primò ex Paulo 1. Corinth. 2. dicente. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei: nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Quibus satis significatur, dona supernaturalia, quæ Dei specialiter esse dicuntur, absque spiritu gratiæ Dei non esse scibilia, id est, cum certitudine cognoscibilia. In quem sensum interpretantur hæc verba Chrysost. ad hunc locum.

Bann 2 cum,

cum, Prosper ad Demetridem p.6. & alij; ad Angelosque etiam extendunt. Clarius ad rem loquitur ipse Apostolus ad Ephes. 3. dum ait, *Mibi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi; & illuminare amnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, et inuestiat Principatibus, & Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Itaque docet Apostolus, non solum Incarnationis Sacramentum, sed etiam diuitias Christi, quæ dona sunt supernaturalia, adeo abscondita, atque inuestigabilia esse, ut notitiam naturalem etiam Angelicam subterfugiant, nec sine gratiâ speciali Dei ea reuelantis cognosci possint; prout interpretantur Chryl. Hieron. Greg. Nylen. Theod. Oecum. & alij. De quo plura nostri Iustina. & Cornel. ad hunc locum, Soar. Gran. & Ripal. supra. Accedunt plures alij Patres, quos referunt præcitati Doctores, asserentes, mysteria gratiæ intrinsecè supernaturalia absque diuinâ reuelatione cognosci non posse, certâ videlicet notitiâ, cui non possit subesse falsum; qualis est quiditatiua, siue intuitiua, & immediata, de qua in propositione loquimur; de quo etiam notitiæ genere loquitur Paulus locis citatis.

165 Secundo probatur propositio. Quia mysterium Trinitatis ne abstractiue quidem potest euidenter cognosci naturâ viribus, ut omnes Theologi etiam Aduersarij consentunt cum S. Th. 1. p. q. 32. art. 1. consententes nonnulli, id esse de fide, ut Baun. & Valen. ibi, & Soar. lib. 1. de Trin. cap. 11. Posset autem, si dona supernaturalia clarè, & quiditatiue per proprias species viribus naturæ possent cognosci. Angelus quippe ex lumine gloriæ, aut ex visione beatifica ita cognitis notitiâ proculdubio euidentem mysterij Trinitatis abstraheret. Deinde vnio hypostatica humanitatis cum Verbo quiditatiue, & per propriam speciem non potest à naturâ cognosci, ut per exceptionem à suâ vniuersali doctrinâ fatetur Scot. testantibus Fabro, Arryb. & Soar. supra. Quinimo ne abstractiue quidem potest Incarnatio Verbi adhuc ut possibilis solis naturæ viribus demonstrari, ut docent communiter Theologi, etiam Scotus ipse cum Magistro in 3. dist. 1. & cum S. Th. ibid. & 3. p. q. 1. art. 1. Et tradit aperte D. Dionys. de diuin. nom. cap. 2. Igitur neque cætera entia supernaturalia quiditatiue, & per propriam speciem possunt à naturâ cognosci. Probatur consequentia. Tum quia congrua ratio discriminis inter vnionem hypostaticam, & alia supernaturalia dona reddi non potest; tum quia contrarietatem omnium abstractiue saltem posset vnio etiam ut existens cognosci euidenter ab Angelo ex dono aliquo supernaturali cum illâ connexo, & cognito per propriam speciem. v. g. ex scientiâ infusâ, qua Christus Dominus dictam vnionem cognoscebat.

166 Non ita facile probatur propositio à priori. Thomistæ cum S. Th. 1. p. q. 57. art. 5. probant. Quia supernaturalia pendunt à solâ liberâ voluntate Dei, atque ideo ab Angelis sine Dei reuelatione cognosci non possunt; quemadmodum neque secreta cordium absque consensu eius, qui concipit illa, Sed hæc ratio communiter reputatur difficilis, ut in Vazq. Soar. & Ripal. supra. videre licet, Primò; quia multa sunt etiam naturalia à solâ voluntate Dei dependentia, ut corpora cælestia, Angelorum substantiæ, &c. Quæ tamen ab ipsis Angelis naturaliter per proprias

species cognoscuntur, Secundò; quia, licet Angelus alterius secreta cordis sine consensu eius scire non possit; opera tamen externa ab alterius arbitrio oriunda naturaliter intuetur. Ergo, quamuis Angelus nequeat scire consilia Dei; at opera externa à solo eius arbitrio pendencia, non est, cur nesciat.

167 Soar. & alij probant. Quia cognoscibilitas rei eius entitati proportionatur, ut qualis hæc, talis illa sit. Sed entitas supernaturalium excedit facultatem naturæ, etiam angelicæ. Ergo & cognoscibilitas. In hanc eandem recidit ratio, quam Albertin. & Rayn. cum alijs exhibent hoc pacto. Modus cognoscendi sequitur in potentia cognoscente modum essendi. Sed supernaturalia excedunt modum essendi omnis potentie naturalis. Ergo & modum cognoscendi eius. Ceterum neque ratio ista satisfacit. Quia, si quid probat, probat vtique, neque Angelum supremum cum suis proprietatibus ab infimo, neque infimum ab animâ separata, neque Deum ab Angelis, aut ab hominibus adhuc abstractiue cognosci posse. Quia Angelus supremus quoad entitatem longè excellit infimum, & infimus animam, & Deus Angelos, & homines; supremique Angeli proprietates, seu perfectiones infimi superant facultatem, ac debitum; sicut perfectiones infimi superant facultatem animæ, & Dei perfectiones omne ens creatum transgrediuntur.

168 Aliam adiecit Soar. rationem. Quia nimirum species propria, & cognitio oriunda ab illâ supernaturalium non potest non esse supernaturalis, atque adeo supra naturæ vires; quia non potest non esse proportionata obiecto. Verùm hæc ratio, ut firma sit, maiori explicatione eget. Trahi enim debet ad nostras postmodum exhibendas.

169 Arrubal. & Gran. probant. Quia Angeli non habent species proprias supernaturalium; atque ideo non possunt ea quiditatiue cognoscere. Carent autem speciebus; quia neque ab obiectis ipsis; neque à Deo accipiunt. Non ab obiectis: quia nullum obiectum imprimit Angelis speciem sui. Non à Deo: quia species supernaturalium non sunt eis debita, sicut sunt naturalium. Minus reliquis satisfaciunt. Quia ad hoc reducitur tota ratio, cur species supernaturalium non sint Angelis debita, quemadmodum naturalium?

170 Probat denique Ripalda. Primò; quia cognitio naturalis quiditatiua rerum supernaturalium est contra conceptum naturæ, supra quam collocantur supernaturalia. Secundò; quia est contra conceptum supernaturalitatis absolutæ. Tertiò; quia est contra conceptum supernaturalitatis relatiuæ, quos ipse alibi statuerat. Verùm hæc rationes circulum abfoluunt viciosum, quem supra q. 2. n. 43. notauimus in doctrinâ huius Auctoris. Primò enim ita sibi compingit definitiones naturæ, & entium supernaturalium, ut horum quiditatiua cognitio à facultate ipsius naturæ per ipsasmet definitiones penitus excludatur, prout vidimus q. 2. & 4. Postea verò accedens ad præsentem questionem dicit, dictam supernaturalium cognitionem alienam à naturâ esse: quia est contra conceptum alibi à se definitum naturæ, & supernaturalium. Quod planè circumagi est. Oporteret vtique, ut nos fecimus, naturæ, & supernaturalibus conceptus apud omnes receptos, ab hacque, & alijs controuersijs independentes definitionibus præscribere, ut liberè modò discuti

possit, num sit, vel non sit, proprietates tales conceptus consequens, quod nequeant supernaturalia cognosci à natura, quiditativè. Quarto probat Ripalda; quia cognitio quiditativa obiecti supernaturalis nequit non esse supernaturalis; eo quod, postulat determinatè, produci à causâ supernaturali, nempe ab obiecto ipso, vel ab specie supplete vices eius, quæ idcirco supernaturalis titulum esse debet. Sed neque hæc ratio rem evincit. Negari enim facile potest, debere esse supernaturalem speciem obiecti supernaturalis, ad quam causandam ipsum obiectum vim non habet, quales sunt species Angelorum, in sententiâ magis communi asserente, eas non ab obiectis, sed à Deo ipsis Angelis indit. Quod autem tales species dicantur pro obiectis substitui, non satis videtur, ut supernaturales asserantur: quia etiam species alienæ ordinis naturalis, quibus sæpe supernaturalia noscuntur, pro eis substitui dici possunt.

171 Igitur propositio nostra non precedentibus, sed subsequentiibus rationibus probanda venit efficaciter. Prima est. Quia cognitio obiecti supernaturalis prout existentis, de qua loquimur, suapte naturâ falsa esse non potest. Est enim iudicativa, evidentissima, immediata, & intuitiva sui obiecti, quæ proprietates cum falsitate componi non possunt, saltem naturaliter, ut constat. Ergo cum existentia obiecti, quam representat, essentialiter connexa est, vel naturaliter ut minimum. Ergo nequit ea esse naturalis, sed prorsus supernaturalis quoad suam substantiam esse debet. Patet consequentia. Quia ens naturale, atque adeo pertinens ad constitutionem naturæ, cuius facultatem, & debitum excedunt supernaturalia, cum ente supernaturali prout existente, nequit esse connexum. Alioquin ens naturale titulo talis connexionis enti naturali, subindeque ipsi naturæ debitum esset contra supernaturalitatis conceptum ab omnibus, nemine discrepante, receptum. Quæ omnia ex doctrinâ sæpe in superioribus repetitâ comperta sunt. Si ergo prædicta cognitio nequit non esse supernaturalis intrinsecè, consequens est, ut nequeat illa non superare omnem facultatem naturæ. Quod erat probandum. Hinc autem consequenter efficitur, speciem, à qua talis cognitio provenit, supernaturalem etiam esse debere. Quia nequit illa connexa non esse cum cognitione ipsâ ut cum effectu sibi connaturali. Cum effectu autem supernaturali, qualis cognitio est, nequit connaturaliter connecti, nisi ens supernaturale, iuxta dicta nuperime.

172 Secunda ratio. Certum est in Theologiâ, Angelos non posse cognoscere naturaliter aliquod obiectum futurum in quantum futurum cognitione clarâ quiditativâ, siue intuitivâ per propriam eius speciem habitâ: quia modus hic noscendî futura sublimior est, quàm ut Angelis connaturalis esse possit, solique Deo tanquam ei proprius solet attribui in sacris Literis: de quo multa in trac. de Angelis. Unde, prout ibidem statuitur, etiam Angelus à principio suæ creationis habeat species proprias futurorum ordinis naturalis, ut verior, & communior sententia fert, donec ea præsentia sint, non valent eiusmodi species eorum cognitionem causare, sed exigunt, ut causent, veluti pro conditione extrinsecâ, quod obiecta cognoscenda actu iam, & de presenti sint existentia. Tum sic. Species obiecti naturalis iuridicè exigat existentiam eius, utpote requisitam.

ad causandum effectum pro aliquo saltem tempore sibi debitum tanquam causæ eius connaturali iuxta doctrinam uniuersalem, quam tradidimus q. 2. Ergo species obiecti supernaturalis priori iure exigat quoque ut sibi debitam saltem, pro aliqua mensurâ existentiam eius. Ergo species obiecti supernaturalis non potest non esse supernaturalis: quia enti naturali nequit existentia, entis supernaturalis debita esse, iuxta doctrinam commemoratam n. præced. Ergo species entis supernaturalis, atque adeo etiam cognitio ab illâ oriundâ connaturaliter non possunt non superare vires, atque iura naturæ. Vel aliter. Cognitio quiditativa, siue intuitiva obiecti naturalis connectitur saltem naturaliter cum existentia sui obiecti, utpote quæ ab intellectu Angelico quantumvis instructo specie propriâ talis obiecti, donec existat illud, causari non potest. Ergo cognitio quiditativa, siue intuitiva obiecti supernaturalis eodem titulo est connexa saltem naturaliter cum existentia sui obiecti; atque adeo iuxta rationem traditam non naturalis, sed supernaturalis cognitio est; eiusque connaturalis causa, nimirum species, consequenter etiam est supernaturalis.

173 Cæterum, quanquam rationes istæ bene concludant, intuitionem supernaturalium esse supernaturalem hoc ipso, quod cum eorum existentia necessariò connexa est: quia quidquid necessariò supponit aliquid supernaturale, non potest supernaturale non esse. At non concludunt id, quod potissimum prærendimus in præsentè quæstione, nimirum intuitionem supernaturalium indebitam prorsus esse naturæ. Possent enim quispiam asserere, esse quidem eam supernaturalem quoad substantiam, & nihilominus, suppositâ existentia sui obiecti, naturæ esse debitam: quia supernaturalia quoad substantiam, etsi absolute recusent naturæ debitum, sed non ex suppositione aliorum supernaturalium. Gratia enim, & aliadona supernaturalia humanitati Christi erant debita, suppositâ vnione hypostaticâ. Habenti item habitum gratiæ, charitas, & cæteræ virtutes infusæ debite sunt, &c. Ad hoc tamen nihilominus dici potest primò, per vnionem hypostaticam, per habitum gratiæ, & alia huiusmodi dona intrinsecâ bene posse eleuari subiectum naturale, ut ei prout talibus donis instructo alia supernaturalia debita sint; non verò itidem per existentiam ipsi extrinsecam obiecti supernaturalis, ut ei prout coexistenti tali obiecto huius sit debita intuitio. Quia obiectum extrinsecum, ut non perficit, ita nec eleuat subiectum ad aliud quidpiam. Secundò dici potest, dato, quod subiectum naturale ex suppositione existentia obiecti supernaturalis ita maneret eleuatum, ut sibi non esset indebita intuitio talis obiecti defectu proportionis; fore tamen, ut adhuc maneret indebita defectu tituli, ut probat ratio sequens, quæ tertia est ordine. Ad debitum quippe connaturalitatis non solum proportio, sed etiam titulus requiritur iuxta doctrinam statutam q. 2.

174 Tertia ratio. Certum est etiam apud Theologos, Angelos secreta cordis alieni independenter ab alieno consensu non posse cognoscere naturaliter cognitione quiditativâ, & per species proprias habitâ. Similiter est certum, non posse eos simili cognitione cognoscere omnes creaturas possibiles etiam ordinis naturalis. Ergo priori iure debet esse certum, non posse eos pariter cognoscere entia supernaturalia existentia. Quoniam ad hæc sic cognoscenda minorem titulum, quàm

quàm ad illa, possunt habere. Ut summum enim titulo substantiarum perfectissimè intellectualium debetur illis proportionata notitia (qualis est quiditativa, & per species proprias) aliarum substantiarum creaturarum, quibus coexistunt in hac republica Vniuersi, ipsarumque accidentium connaturalium; (exceptis secretis cordium, pro quibus proualeat ius oppositum, quod unusquisque in omni benè ordinatà rep. habet, ne sua secreta prodantur). Quæquam enim valde sit congruum, & consentaneum, ut primores huius reip. Vniuersi si Dynasta, quales sunt Angeli natura; & munere, aperta, & clarè notitià conspiciant omnia, quæ eandem republicam constituunt, & quæ in eà publicè, & naturali cursu geruntur; qualia sunt substantia de facto existentia; & accidentia non secreta ipsi connaturalia; Cæterorum verò, quæ aut purè possibilis sunt, aut futura; non est, cui notitià similis tribuatur; & multò minus eorum, quæ præter cursum naturalem supernaturaliter accidunt; sit est, quam ipsi per discursum, & coniecturas ex his, quæ clarè intuentur, poterunt comparare. Longè igitur abest titulus, cur Angelis notitià quiditativa, & clara supernaturalium sit debita; atque adeò illa connaturaliter, & quiditativè cognoscere, etiam eorum existentia supposita, minime possunt; ut nostra propositio fert. Hæc ratio solum probat, intuitionem supernaturalium; eorum existentia supposita, veluti quoad modum esse supernaturalium comparatione naturæ Angelicæ, utpote indebitam solum defectu tituli, qui in alia fortasse rerum peritasti posset adesse; aliunde tamen est illa supernaturalis intrinsicè, ut ratione primæ, & secundæ probatum est. Addi tamen potest, sententiæ Patrum, & Theologorum antiquiorum satis, superque fieri, si asseratur, Angelos non posse connaturaliter clarè, & quiditativè notitiàm donorum supernaturalium acquirere, etiam eorum existentia supposita; (quod ratio facta probat); siue illa quoad substantiam, siue quoad modum solum illis supernaturalis dicatur. Quod si Angeli viribus propriis supernaturalia nequeunt cognoscere quiditativè, siue intuitivè; multò minus poterunt animæ separata, quæ imperfectioris naturæ sunt.

175 Modò restat argumenta diluere, quæ ab Aduersarijs opponi possunt. Sit primum. Solius Dei est, non posse à naturà quiditativè, & clarè cognosci, iuxta illud Pauli 1. ad Timot. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem*. Ergo non itidem supernaturalium. Nego antecedens. Ad probationem ex Paulo respondeo primò, dici Deum solum habitare lucem inaccessibleem; quia solus ipse est à creaturis incomprehensibilis. Sic S. Th. ad hunc locum, & Iansen. cap. 15. Concor. Euang. Secundò, lux inaccessibleis actiue sumi potest pro scientià, qua intellectus diuinus præ omni creato possibili vniuersa comprehendit simplici obtutu, iuxta S. Th. ibid. Tertio, vox illa *solus* aut primæ solum clausulæ loci, aut summum coniuncto ex utrâque indiuisimè est applicanda, ut sensus sit; hoc, quod est, esse immortalè, soli Deo conuenit, qui insuper lucem habitat inaccessibleem; vel hoc, quod est, esse simul inaccessibleem, & immortalè, soli Deo competit. Quocirca multi interpretantur Deum inaccessibleem oculis corporeis; alij intellectu tantum humano pro statu viæ, iuxta id, quod immediatè sequitur. *Quem nemo hominum vidit; sed nec videre potest*, Cum tamen cer-

tum sit, multa alia præter Deum esse inaccessibleia tum oculis, tum intellectu hominum viatorum. Videatur Vazq. 1. p. disp. 37. n. 20. & disp. 55. n. 6. & Arrub. disp. 59. n. 2.

176 Secundò obijcitur. Intellectus angelicus cuncta entia creata etiam supernaturalia potest supernaturaliter intueri. Ergo & naturaliter. Nam, si non posset naturaliter, nec supernaturaliter posset. Ut in oculis corporeis cernere licet; qui quod naturaliter nequeunt, neque supernaturaliter videre queunt. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia certum est, posse intellectum creaturam diuinâ virtute elenatum multa, imò & cuncta intueri, quæ proprijs viribus non potest; quia ad illa supernaturaliter intuentia potentiam habet obedientialem, seu inchoatam. Qualem non habent oculi ad videndum quiddam aliud, præterquam colorem, & lucem, ut latius exposuimus supra disp. 17. q. 7.

177 Tertio obijcitur. Naturalia, & supernaturalia duntaxat differunt per ordinem ad diuersa principia agentia. Sed diuersitas agentium non variat cognoscibilitatem rerum. Ergo quæ possunt supernaturalia, ac naturalia viribus naturæ cognosci. Maior in primis falsa est, ut constat ex doctrinâ traditâ q. 3. Sed, eâ admittâ, distingo minorem. Varietas agentium rebus accidentalis non variat earum cognoscibilitatem; concedo; quia neque variat entitatem. Varietas essentialis, quæ variat entitatem; nego. Et nego consequentiam. Etenim supernaturalia quoad substantiam, de quibus agimus, intrinsicè, & essentialiter discernuntur à naturalibus. Unde, si relatè ad sola principia efficientia, ut dedimus, sortiuntur hanc diuersitatem, ea vtiq; principia essentialiter debent esse diuersa; ab illisque supernaturalia, & naturalia nequibunt cum diuersâ essentialiter diuersâ itidem cognoscibilitatem non mutare.

178 Quarto obijcitur. Plura naturalia perfectiora sunt supernaturalibus, ut Angelus habitu fidei, &c. Ergo non est, cur nequeat viribus proprijs supernaturalia intueri intellectus, qui proprijs viribus naturalia intuetur. Sola enim excellentia, præstantiaque supernaturalium potest obitare. Si enim intuitio perfectior obiecti naturalis perfectioris potest esse proportionata, atque adeò debita naturæ, multò melius intuitio imperfectior obiecti supernaturalis minus perfecti poterit eidem naturæ proportionata, atque adeò debita esse.

179 Respondeo, intuitionem obiecti supernaturalis minus perfecti, quàm naturalis, defectu tituli saltem esse naturæ indebitam, iuxta doctrinam nuper statutam n. 174. (siue ea ex suppositione existentia sui obiecti sit, siue non scripti naturæ improportionata, de quo modo non curo). Quo fit, ut intellectus creatus nullum obiectum supernaturale possit proprijs viribus etiam ex suppositione existentia eius intueri, quantumuis possit obiectum naturale perfectius. Casu autem, quod posset, adhuc eiusmodi intuitio dicenda esset, absolute loquendo, supernaturalis ei, & indebita; quia tantum esset ei connaturalis, & debita ex suppositione existentia indebitæ obiecti supernaturalis. In quo proinde ab intuitionem simpliciter, & absolute naturali cuiusvis obiecti naturalis differret.

180 Quinto obijcitur. Angelus naturaliter videt, se esse beatum, & sanctum. Videbat etiam in Viâ, se habere fidem, spem, charitatem, & alia

alia supernaturalia dona. Vider modò quantitate Eucharistia creatam: & cum humanitatem Christi intueatur, modum etiam supernaturalem, quem habet in Eucharistia intuebitur. Vider humanitatem Christi carentem propria subsistentia, & consequenter terminatam aliena: & similia. Ergo intuitio supernaturalium à facultate naturali Angelici intellectus non est aliena. Respondet uno verbo, nihil omnino videri ab Angelo naturali intuitione aut in se ipso, aut alibi, quod sit intrinsecè supernaturale. Quia verò certitudine ex ijs, quæ naturaliter intuetur, possit per discursum supernaturalia colligere, quæstione sequente examinabitur.

181 Denique obijci potest. Supernaturalia quoad modum non superant evidentiam immediatam, & quiditativam, siue intuitivam naturæ. Ergo nec supernaturalia quoad substantiam. Antecedens planè asseritur, aut supponitur à multis etiam sententiis nostræ Doctores, ut sunt Bann. Zumel, Mol. Soar. Vazq. Gran. supra, & alij. Et videtur certum. Quia, cum Angelus res naturales existentes naturaliter cognoscere valeat; cum primùm illæ existerint siue iuxta, siue præter naturæ debitum, cognoscat utique. Quòd enim uno, aut altero modo existant, virtuti naturali intellectus angelici nihil videtur derogari. Nam, si Angelus propria, & naturali virtute possit duo corpora in eodem spatio præsentia successivè videre, cur non poterit videre præsentia simul, si miraculosè penetrarentur? aut cur species representatiæ scotum earum præsentiarum non poterunt representare illas, si simul coexistant? Imò igitur consequentiam. Quia rationes, quibus probavimus, supernaturalia quoad substantiam non cadere sub evidentiam immediatam, & quiditativam, siue intuitivam naturæ, idem probant de supernaturalibus quoad modum, ut per eandem notum fiet.

182 Respondeo primò, certum non esse, supernaturalia quoad modum, quæ talia sunt, sub evidentiam immediatam, & quiditativam, siue intuitivam naturæ cadere posse. Imò oppositum censent multi esse de mente S. Th. aliorumque Thomistarum, ut testatur Soar. supra. Certum quidem est, quæ supernaturali modo sunt, & postquam iam facta sunt, naturaliter perseverant, ut homo resuscitatus, visus miraculosè resuscitatus, vinum ex aqua miraculosè factum, & similia, ut sic naturaliter perseverantia naturaliter ab Angelis, imò & ab hominibus videri posse. Quod solum fortasse volunt aliqui ex relictis. Certum est etiam, quando ille modus, à quo supernaturalia quoad modum solent denominari, intrinsecè, & quoad substantiam est supernaturalis, & quæ illam, ac cætera supernaturalia quoad substantiam naturæ evidentiam subterfugere. At, quæ supernaturaliter existunt, hoc est, ultra totius naturæ debitum, cum aliàs sint quoad substantiam ordinis naturalis; ob idque propriissimè omnium sunt supernaturalia quoad modum iuxta doctrinam à nobis traditam quæst. 5. non est certum, posse videri ut sic ab Angelis naturaliter: quinimo oppositum est mihi probabilius. Quoniam, sicut secretorum cordium, futurorum, & possibilem quantumvis naturalium non debent Angelis intuitio; etiam si proprijs eorum speciebus in actu primo sint instructi, uti sunt respectu futurorum pro, quando sint existentia, atque etiam in sententiâ satis communi respectu secretorum cordium pro casu, quòd ad sit consensus requisitus,

ut, vt cognoscantur; ita neque videtur illis deberi intuitio digitorum supernaturalium quoad modum; quantumvis habeant eorum species pro casu, quo iuxta naturæ ordinem producantur: quia nullus videtur esse titulus, cur horum præter naturæ cursum euenientium debeat Angelis intuitio, iuxta doctrinam à nobis traditam n. 174.

Sed estò, supposità existentia entis supernaturalis quoad modum, debeat Angelis intuitio eius. Respondet secundò, hinc nihil omnino aduersum doctrinam à nobis traditam inferri. Quia, quod ex suppositione existentia alicuius supernaturalis debetur naturæ, & non aliter, non est debitum absolute, atque adeò nec naturale, sed potius supernaturale, & indebitum, eo saltem supernaturalitatis genere, quo id, cuius existentia supponitur, est supernaturale, prout supra etiam dicebamus in simili n. 179. sine.

Propositio 2.

184 Neque ut possibile potest natura supernaturalia intueri, siue immediatè, & quiditativè per species proprias clarè cognoscere.

In hanc propositionem conspirant omnes Auctores, qui in præcedentem: ea tamen non est tam certa, quam præcedens. Primò; quia, testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ pro præcedente citavimus, solum agunt de cognitione supernaturalium prout existentium. Secundò; quia ratio prima, & secunda pro præcedente facta hinc locum non habent; eo quòd connexio naturæ, seu cognitionis naturalis cum ente supernaturali ut possibili huius supernaturalitati non obstat, ut q. 8. statuimus. Nihilominus probatur propositio primò ratione tertio loco adducta pro præcedente; quæ pro præsentem potiori iure locum habet. Secundò; quia possibile secundum se difficilius cadunt sub immediatam, & quiditativam notitiam sui, quam existentia: plura enim cognoscunt Angelis existentia, quæ, si non existissent, immediatè, & quiditativè non cognovissent. Ergo, si viribus proprijs non valent immediatè, & quiditativè cognoscere supernaturalia existentia, neque possibile valebunt. Tertio; quia existentia, & possibile non differunt secundum essentiam, sed solum penes diversos status: neque iuxta sententiam communem diversis egent speciebus proprijs, ut cognoscantur, sed per eandem, possunt cognosci, ita, ut species propria, & quiditativa entis possibilis eadem ad illud intuendum existens determinare valeat, casu, quod extiterit. Ergo, si non sunt possibile species naturalis ordinis, quibus supernaturalia prout existentia cognoscantur immediatè, & quiditativè; neque erunt, quibus cognoscantur ut possibile. Quarto; quia supernaturalia, quæ ut existentia prætergrediuntur evidentiam immediatam naturæ siue defectu proportionis, siue defectu tituli, multò magis prætergredientur ut possibile: quia, ut sic in ordine ad talem evidentiam non possunt nominis habere aut de proportionem, aut de titulo, ut satis ex se notum est.

185 Porro, quæ in tota hac quæstione diximus, de cognitione supernaturalium indicativè intelliguntur, ut constat. Dubitare tamen aliquis possit, an cognitio simpliciter solum apprehensiva supernaturalium clara, & distincta, ac per species proprias habita naturæ viribus sit possibilis.

Pro

Pro tali enim apprehensione non militant eadem rationes, quæ pro iudicio; cum ea, utpote incapax falsitatis, cum suo obiecto non connectatur, sed, eo omnino deficiente, citra dispendium perfectionis possit existere, ut patet in apprehensionibus simplicibus, quas Deus de obiectis impossibilibus habet iuxta doctrinam à nostris sapè aliàs tractam, tradendamque latius in tract. de Scientia. Sed dico nihilominus, naturam angelicam (de qua solum est difficultas) viribus proprijs nequaquam posse talem apprehensionem concipere: quia nullus apparet titulus, cur ei debeat species ad illam concipiendam. Si quando enim opus est Angelis supernaturalia apprehendere, dum aliquid naturale respectu ad illa cognoscunt, sufficit per speciem alienam huiusmodi apprehensionem formare, uti formant cæteras cognitiones eorum, quorum non habent proprias species, iuxta dicenda questione sequente. Quæ ratio ut minimùm probat, supradictam apprehensionem supernaturalem esse quoad modum. Adde tamen, intrinsecè etiam, & quoad substantiam esse eam supernaturalem. Tum quia in nullà rerum peritasti est excogitabilis titulus, cur naturæ debita sit absolutè, & independentè ab omni supernaturali suppositione. Quod signum est, ab intrinseco, & per essentiam esse eam naturæ debitam absolutè. Tum quia ab eadem specie postulat nasci, à qua iudicium quidam, etiam obiecti supernaturalis nascitur, saltem quo iudicatur illud, quoad quid est, cum præcisione ab existentia; eo quod ad tale iudicium est prærequisita; imo cum illo connexa, ut alibi ostendimus. Quo fit, ut non possit non esse intrinsecè supernaturalis, cum talis species, & tale iudicium intrinsecè sint supernaturalia, ut in superioribus statuimus.

### QVÆSTIO XII.

*Qua ratione visio beatifica, & alia supernaturalia abstractivè, siue per alienas species sint cognoscibilia à naturâ.*

186 **S**uppono ut certum apud omnes, secluso etiam lumine fidei, bene posse intellectum creatum viribus proprijs probabiliter assequi possibilitatem, aut etiam existentiam visionis beatificæ, aliorumque supernaturalium. Quod ex dicendis in hac questione planè constabit. Difficultas est, an possit etiam evidenter, siue demonstrativè.

187 **A**ffirmant absolutè Scotus in 4. dist. 49. q. 8. & à fortiori, quotquot q. præced. pro primâ sententiâ retulimus. Quibus accedunt Vazq. 1. 2. disp. 20. cap. 2. Arrub. 1. p. disp. 15. cap. 1. Anton. Perez in Laureâ Salman. certam. 5. scholast. dub. 3. & alij. Negant absolutè Bann. Zumel, Fonsec. Egid. Lufit. & alij plurimi, quos referant, & sequuntur Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 2. num. 18. Herice disp. 39. cap. 2. Alarc. tract. 5. disp. 1. cap. 2. Ripal. disp. 11. de Ente supern. sec. 2. & 3. Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sec. 2. Arriag. disp. 4. sec. 1. & Ouid. 1. 2. contr. 5. punc. 2. Tertia verò sententiâ veluti media est, visionem Dei, & reliqua supernaturalia, stando quidem in solis principijs naturæ, nullatenus demonstrari posse; bene tamen, suppositis principijs fidei, operibusque miraculosis. Sic tenent Soar. lib. 2. de Angel. cap. 33. num. 24.

& lib. 8. cap. 6. num. 8. & tom. 2. in 3. p. disp. 31. sec. 3. concl. 1. Albel. disp. 24. sec. 2. conc. 2. Tan. 1. p. disp. 5. q. 3. dub. 7. num. 12. & alij relati à Ripal. sec. 1.

188 **Q**uanquam autem Doctores citati de entibus supernaturalibus quoad substantiam, & de evidentia physicâ, aut metaphysicâ loquantur. Oportet tamen univèrsalitatis causâ, etiam de entibus supernaturalibus quoad modum, & de omni genere evidentie, quod ad rem atinet, tractare. Pro quo supponendum est ex dictis in Pharo Scient. disp. 4. evidentiam cognitionis iudicativæ (quæ sola strictè loquendo evidentia dicitur) aliud non esse à claritate ipsius cognitionis, non quidem qualicumque, sed quæ tanta est, ut excludat, & non compatiatur secum oppositam formidinem. Potest autem evidentia dividi in primis, quemadmodum, & cognitio, cui competit, in immediatam, quæ ex terminis ipsis accipitur, & mediatam, quæ per discursum comparatur. Quarum prima principiorum, secunda verò conclusionum illatarum ex principijs est propria. Vtraque autem rursus dividi solet in metaphysicam, physicam, & moralem penes diversa fundamenta, quibus innititur metaphysica, physica, vel moralia. Aliter tamen, alioque sensu in physicam, & moralem rursus est dividenda; ita tamen, ut illa physica appelletur, quæ nullam omnino secum patiatur oppositam formidinem: illa autem moralis, quæ oppositam formidinem physicam secum admittat; prudentem tamen seu cordatam, & rationabilem, atque adeo moralem minime, quibusvis demum fundamentis ambæ illa nitantur. Quo sensu (quia magis ille ad rem nostram facit) evidentiam physicam, & moralem capiemus in præsentî q. De quibus vide plura dista loco citato.

### Propositio I.

**I**ndependenter ab omni revelatione Dei non potest natura proprijs viribus cognoscere cum evidentia physicâ dona supernaturalia intrinsecè, quæ ex fide novimus, non solum quoad eorum existentiam, sed neque quoad possibilitatem.

Hanc propositionem probant imprimis testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ præced. q. proposit. 1. commemoravimus. Per ea enim omnia notitia naturalis simpliciter certa, vel evidens donorum supernaturalium, de quibus agimus, excluditur, ut ibidem notatum est. Deinde probatur ratione. Quia huiusmodi dona neque per se, & ex ipsis terminis, neque per discursum ex alio sunt iudicabilia evidenter eâ evidentia, de qua loquimur, Ergo nullo modo. Consequentia est legitima: quia non est alius modus iudicandi per species alienas, nisi vel immediatè ex terminis, vel medio discursu ex alio prius iudicato, ut suo loco probatum est. Probo ergo priorem partem antecedentis. Quia per se, & ex terminis solum sunt iudicabilia evidenter vel principia univèrsalissima, ut Totum est maius sua parte; vel, quæ sub manifestam experientiam cadunt, ut me nunc scribere. Neutro autem ex his modis sunt per se cognoscibilia dona supernaturalia prædicta, ut factis ex se notum est. Quod verò neque mediatè seu per discursum possint illa evidenter, & naturaliter cognosci, quæ est altera pars antecedentis,



tis, probatur. Quia, cum omnis discursus in aliquo principio per se, & ex terminis cognoscibili fieri debeat, ut donum aliquod supernaturalis ex alio quopiam cum euentia, de qua agimus, colligatur, duo cum eadem euentia prænosci debeat; nempe & principium, unde tale donum colligendum est, & connexio necessaria eius siue immediata, siue mediata cum ipso dono. Sed nullum est principium per se, & ex terminis cum dicta euentia cognoscibile, cuius connexio necessaria cum donis supernaturalibus, de quibus agimus, similiter evidens sit. Ergo huiusmodi supernaturalia dona nec per discursum possunt cognosci cum euentia, de qua tractamus. Cætera patent. Minorem probo. Quia tale principium non potest esse naturale; eo quod nihil naturale ex terminis cum euentia naturæ viribus cognoscibile potest excogitari, quod sit connexum necessario, atque etiam evidenter cum donis prædictis. Nec potest esse naturale; quia non est evidens, aliquid naturale cum aliquo supernaturali adhuc ut possibili necessario connexum esse; imo oppositum est probabilius, ut vidimus q. 8. Igitur nullum est principium, ex quo cum euentia, de qua tractamus, deduci possit, existere, vel esse possibile aliquod ens naturale ex ijs, quæ per fidem accepimus. Quod erat probandum. Adde, cognitionem evidentem, de qua tractamus, cum qua nulla omnino formido opposita compatibilis est, fortasse esse essentialiter veram iuxta dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 4. citata, atque adeo connexam cum suo obiecto; qualis cognitio naturalis cum obiecto supernaturali saltem prout existente esse non potest, iuxta dicta q. præced.

190 Sed contra datam propositionem obijcitur primò S. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. & lib. 3. contra Gent. cap. 3. ubi ex desiderio naturali, quod inest homini videndi causam, cum intuetur effectum, probat, visionem intuitivam Dei possibilem esse. Cum enim natura nihil frustra molitur, non potest non esse possibile id, ad quod desiderandum suoque instinctu impellit. Unde August. lib. 4. contra Iulianum pariter argumentans dicit, *Non omnes homines instinctu naturali immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possimus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum.* Quod argumentum tanquam demonstrationem amplectitur Vazq. supra. Sed verò, si demonstratio esset, non esset vtiq; circa efficaciam eius tam multiplex dissidium inter Theologos.

191 Etenim nonnulli censent, S. Thom. ex appetitu innato reperto in intellectu ad visionem huius possibilitatem deducere, non verò ex appetitu elicitò. Ita Sot. lib. 1. de naturâ, & gratiâ cap. 4. & in 4. dist. 49. q. 2. & Herice disp. 37. cap. 2. à num. 10. Alij ex aduersò, & melius putant, S. Thom. non ex innato, sed ex elicitò appetitu visionis possibilitatem eius colligere. Sic Vazq. 1. p. q. 12. art. 1. num. 20. & 1. 2. disp. 22. cap. 4. & 5. Fasol. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 2. num. 10. Trigof. q. 7. art. 1. dub. 2. Alarc. tract. 1. disp. 1. cap. 3. Soar. lib. 1. de Attrib. cap. 7. Ripal. disp. 14. de Ente supern. sec. 2. num. 10. & alij, Quorum plerique de simplici, non de efficaci appetitu interpretantur S. Thom. Cumque ille de desiderio, seu appetitu visionis, non qualicumque, sed naturali loquatur, insuper dissident Doctores circa hanc naturalitatem. Vazq. enim, & Fasol. accipiunt naturalem, prout opponitur libero, arbitantes, desiderium

videndi Deum, quod in hominibus, visis creaturis excitatur, necessarium esse, saltem quoad specificationem, eoque iure naturale vocari; quasi nequeat humana voluntas visionem Dei, quam tali desiderio appetit, odio habere, seu fugere; tamen possit non appetere. In quo necessitas quoad specificationem talis desiderij consistit. Alij verò contra Vazq. sentientes, ne quoad specificationem quidem esse in nobis necessarium desiderium visionis Dei; quia possumus illam sub aliqua specie mali conceptam fugere; naturale in præfenti capiunt, prout supernaturali opponitur, putantes, ex desiderio naturalis ordinis visionis inferri eius possibilitatem à S. Thom. Cæterum, quocumque demum ex ijs modis dicta naturalitas accipiatur, adhuc sub controversia est, an ex desiderio elicitò, atque naturali visionis efficaciter inferatur possibilitas eius. Licet enim multi asserant cum Vazq. & Fasol. supra. Soar. tamen, Trigof. Alarc. & alij negant.

Ego verò circa hæc incidentia dubia arbitror primò, S. Thom. non ex innato, sed ex elicitò desiderio visionis possibilitatem eius deducere: quia loquitur de desiderio per cognitionem excitato, quale est solum elicitum, non verò innatum. Et quidem ex appetitu innato possibilitas visionis deduci non potest: tum, quia talis appetitus in nobis ad visionem non datur, ut probauimus q. 9. tum, quia, estò detur, erit vtiq; ille denominatio partim extrinsecè desumpta ab ipsâ possibilitate visionis; (supposito, quod intellectus noster cum tali possibilitate connexus intrinsecè non est iuxta doctrinam statutam q. 8.) Fundamenta autem, ex quibus coalescit denominatio, nequeunt per discursum deduci ex ipsâ denominatione consistente in eorum cumulo, ut notum est. Secundò arbitror, S. Thom. indistinctè loqui de desiderio visionis elicitò aut simplici, aut efficaci. Vtrumque enim istud desiderium solet in nobis naturaliter excitari, quoties visio Dei menti occurrit. Vocat autem S. Thom. istud desiderium naturale, non, quod sit semper necessarium, adhuc quoad specificationem; potest enim, tale non esse, ut ratio supra facta probat; nec solum quia naturalis ordinis est; sed, quia, dum illud voluntas concipit, instat causâ naturalis, seu non liberè operatur, tam promptè, & penè indeliberatè solet illud concipere, quoties occurrit eius obiectum. Quo fit, ut ab instinctu potius naturæ, quàm ab arbitrio voluntatis videatur procedere. Unde arbitror tertio, ex huiusmodi desiderio, licet non cum certitudine, & euentia, cum probabilitate tamen deduci possibilitatem visionis; neque amplius, quàm istam probabilitatem, prætendisse S. Tho. suo argumento. Queniadmodum enim conatus merè naturales causarum, qualis est, quem habent grauiâ assequendi centrum, & vniuersim, quem habent cuncta perfectionem sibi debitam obtinendi, possibilitatem arguunt consequutionis eius finis, ad quem à natura sunt destinati; alioquin frustraneè ipsi naturæ inditi essent. Ita pariter desiderium visionis, de quo tractamus, ob similitudinem, quam habet ad dictos conatus, argumento est verisimili, quod est possibile obiectum, in quod illud fertur; sed non euenti: quia tale genus desiderij etiam potest, & solet concipi circa obiecta non possibilis.

Pergo ad argumenta reliqua, quæ contra nostram propositionem opponi solent. Arguit secundò Scotus. Euidens est, contineri Deum, Cccc intra

intra obiectum adæquatum intellectus creati. Sed etiam est evidens, posse intellectum creatum cognoscere obiectum suum cognitione perfectè satisfactiua appetitus eius, qualis est intuitiua sola. Ergo evidens est, intellectum creatum posse Deum intuitiue cognoscere. Et quidem, cum certum sit, potentias alias intellectu inferiores obiecta sua attingere posse intuitiue, quis dubitet id etiam intellectum posse? Respondeo, ex eo, quod intellectus creatus possit cognoscere Deum abstractiue, qua solùm ratione continet illum euidenter intra spheram sui obiecti adæquati, non inferri cum euentiua, posse quoque eum intuitiue videre; sicut nec posse comprehendere. Ex eo enim, quod potentia cognoscitiua cognoscat obiectum aliquod aliquo modo, non conuincitur, habere eam virtutem vel inchoatam ad cognoscendum illud quouis modo alio perfectiori, vt in potentijs sensitiuis cernere licet: quibus impossibile est iudicatiue cognoscere obiecta, quæ simpliciter apprehendunt; atque etiam in intellectu, cui repugnat comprehendere Deum, quem abstractiue noscit.

194 Tertiò opponit Arrub. Lumine naturæ notum est, posse Deum à creaturâ amari amore immediato, & propter se. Ergo & intuitiue videri. Respondeo, solùm esse lumine naturali notum, posse Deum à creaturâ amari amore oriundo ex cognitione abstractiua sui, quocumque modo talis amor vocari possit immediatus. Hinc tamen non inferitur cum euentiua, posse Deum à creaturâ eo genere immediationis cognosci, quod secum fert visio intuitiua.

195 Quarto obijcitur. Angelus comprehendens naturam penetrat potentiam obedientialem, seu inchoatam, quam illa habet ad visionem beatam, ad aliaque supernaturalia dona. Ergo nequit non horum possibilitatem cognoscere, cum quibus talis potentia connexa est. Respondeo, etsi Angelus dictam potentiam quoad intrinsicum penetrat, non sequi inde, cum euentiua debere illum clare, & distinctè dictam possibilitatem cognoscere. Tum, quia non est evidens, (imo oppositum longè est verius, vt supra q.8. statuius), potentiam obedientialem intrinsicè connexam esse cum ente supernaturali vt possibili, & ista connexionem sublata, non est, cur potentia obedientialis quantumuis euidenter cognita ad cognoscendum euidenter ens supernaturalis determinet. Tum, quia, estò connexa ponatur, bene poterit comprehendere subiectum, cui competit, quin clare, & distinctè cognoscantur ea supernaturalia, cum quibus connexa ponitur: vt summum enim debent illa confuso quodam, communique conceptu apprehendi, iuxta doctrinam supra traditam disp. 17. q.6.

196 Quintò obijcitur. Deus quantumuis excellentior omni alio ente supernaturali cognoscitur euidenter, etiam vt existens, ex creaturis naturalibus. Ergo & alia entia supernaturalia pariter poterunt cognosci. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia supernaturalitas Dei non tollit, quominus entia naturalia sint connexa cum illo; atque ita ad illum naturaliter, atque euidenter cognoscendum inducant, vt constat ex doctrinâ traditâ q.6. Supernaturalitas verò aliorum entium, de quibus agimus, omnem connexionem naturalium rerum, & consequenter omnem euidentiam naturalem mediâ tali connexionem partam, recusat, vt satis ex superius dictis liquidum est.

Sextò obijcitur. Cum reuera visio beatifica, aliaque supernaturalia dona sint possibilissima, nullo argumento potest euidenter conuincere repugnantia eorum; quinimo cuncta excogitabilia ad illam probandam euidenter possunt dissolui ab Angelo. Ergo evidens est, talia dona non repugnare. Concesso toto antecedente; nego hanc consequentiam. Quia aliud est, non demonstrari repugnantiam donorum supernaturalium, dissoluique posse euidenter argumenta, quæ talem repugnantiam præterunt: aliud, demonstrari possibilitatem ipsorum donorum. Fieri enim optime potest quod neutrum extremum sit demonstrabile, & quod euidenter appareat, neutrum demonstrabile esse. Quo casu, nec erit argumentum, quod conuincat repugnantiam dictorum donorum, nec, quod non possit euidenter dissolui: & ramen adhuc eorum possibilitas non erit evidens. Vide id ipsum in his duobus extremis contradictorijs. *Astra sunt paria. Astra non sunt paria.* Quorum ita neutrum est evidens, vt evidens sit, non esse evidens.

Septimò obijcitur. Omnis negatio rei naturalis potest ab Angelo naturaliter proprio, & intuitiue conceptu videri, aut saltem aliquo alio modo euidentissimè cognosci. Ergo potest Angelus euidenter cognoscere existentiam donorum supernaturalium. Probo consequentiam. Quia aliqua sunt negationes rerum naturalium, quæ, supposito naturali subiecto, quod etiam Angelus intuetur, cum donis supernaturalibus manifestè connexæ sunt, atque ita euidenter cognita ad cognitionem euidentem talium donorum possunt inducere. e. g. negatio subsistentiæ creatæ in humanitate Christi Domini cum vnione hypostatica connexa est: quia nequit humanitas existere sine aliqua subsistentiâ, & consequenter sine subsistentiâ increata, supposito, quod non habet creatam. Similiter, negatio educationis in quantitate Eucharistica cum actione creatiua, atque adeo supernaturali ipsius quantitatis connexa est: quia nequit quantitas existere sine aliqua actione, atque adeo sine creatiua, supposito, quod non existit pereductiuam. Negatio etiam omnis præsentia circumscriptiua in qualibet quantitate cum præsentia definitiua supernaturali conuenit: quia nequit quantitas existere sine præsentia definitiua casu, quod non habeat circumscriptiuam: cum nequeat non alicubi per præsentiam aliquam esse.

Omissis alijs, quæ ad soluendum hoc argumentum affert Ripalda disp. 11. citatâ sec. 3, & apud ipsum videri possunt, ego ad illud respondeo breuiter, negationes rerum naturalium non semper cadere sub euidentiam physicam Angeli: quia licet semper possit Angelus cum euentiua physica iudicare, se non habere iudicium de existentia alicuius rei naturalis; sepe tamen dubitare potest, aut saltem formidare, num defectus talis iudicij ex defectu concursus Dei aliàs deberi potius, quàm ex defectu existentia talis rei naturalis ducat originem; præsertim, quando adest aliquod iudicium huiusmodi existentia, vt euenit in casibus argumenti. Humanitas siquidem Christi Domini iudicium est existentia suæ naturalis subsistentia miraculosè impedita ob connexionem naturalem, quam habet cum illa. Et quantitas Eucharistica iudicium est suæ educationis: sicut quæuis quantitas suæ præsentia circumscriptiua miraculosè impedita ob connexionem etiam naturalem, quam cum illa habet. Itaque videns

Angelus humanitatem Christi, & non videns naturalem substantiam ipsi naturaliter debitam, estó possit cum euidentiâ physicâ iudicare, ibi aliquid miraculosum, & à naturâ alienum interuenire; subdubitare tamen poterit, num tale miraculum in defectu substantiæ debitæ tali humanitati consistat, an potius in defectu concursus Dei debiti suo intellectui ad illam intuendum, si adsit. Et idem in alijs casibus euenire, dicendum est. Imo verò in ijs, & similibus non posse Angelum cognoscere naturaliter cum euidentiâ physicâ carentiam rei naturalis negatæ alteri rei naturali cum tali euidentiâ à se cognitæ, inde positivè probatur: quia cognosceret naturaliter cum euidentiâ physicâ aliquid supernaturale quoad modum, quale est coniunctum ex tali negatione, & tali re iuxta dicta q. 5. Quod tamen impossibile est, vt videbimus propof. 4. Adde, euidentiâ de carentiâ miraculosâ rei naturalis neutiquam inferre euidentiâ de re supernaturali loco illius subrogatâ: quia in omni casu aut certum, aut saltem probabile erit semper, vtramque rem miraculosè posse deesse.

Propositio 2.

200 Neque, suppositâ reuelatione diuinâ, aut etiam miraculis, possunt dona, quæ ex fide nouimus, intrinsecè, seu quoad substantiam supernaturalia cum euidentiâ physicâ cognosci solis naturæ viribus.

Sermo est de reuelatione diuinâ obscure, siue absque euidentiâ physicâ credentibus innocescente, prout facta est mysteriorum fidei iuxta ordinariam Dei prouidentiam, quo præberetur locus merito fidei; atque etiam de miraculis, prout in eorundem mysteriorum confirmationem facta sunt iuxta ordinariam etiam Dei prouidentiam. Si enim Deus aliquid supernaturale affectu reuelat cum euidentiâ physicâ, vt fieri potest, specialem difficultatem habet, an ille, tali reuelatione suppositâ, iudicium aliquod naturale physicè euidens, aut eiusdem, aut alterius entis supernaturalis assequi possit. De qua propof. 3.

201 Igitur propositio sic intellecta iade probatur. Quia reuelatio Dei non euidens physicè, & miracula, prout communiter proponuntur, necunde possunt facere, vt cum euidentiâ physicâ cognoscantur obiecta, quæ cum illâ non poterant cognosci ante talem reuelationem, & talia miracula: siquidem principia, seu fundamenta quouis obiectiua physicè in se non euidentiâ, qualia sunt talis reuelatio, & talia miracula, nullatenus cum euidentiâ physicâ possunt quidpiam notificare, vt est notissimum Scientificis. Porro reuelationem prædictam non esse in se euidentiâ physicè tanquam cunctis notum supponimus ex materiâ de fide. Miracula autem etiam prædicta, etsi entitatiuè, & materialiter physicè euidentiâ fuerint aliquibus, in quorum conspectu facta sunt; tamen nequè ijs quidem, neque alijs cum eadem euidentiâ fuisse exploratum, an illa à solo Deo, & in testimonium mysteriorum supernaturalium facta essent, prout opus erat, vt similem euidentiâ in mysteria ipsa refundere, vt aquè certum etiam est supponendum ex materiâ eadem de fide. Quæ omnia ex solutione argumentorum, quæ contra fieri possunt, magis constabunt.

Sit primum. Dæmon euidenter noscebat 202 Christi miracula: quia videbat ea omnium naturalium agentium vires transcendere. Noscebat etiam euidenter, illa patrari in testimonium diuinitatis Christi, quando audiebat eum dicentem, *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata: adolescens tibi dico, surge.* Matth. 9. & *Vt credant, quia tu me misisti.* Ioan. 11. & similia. Ergo, cum alijs euidenter sciret, diuinum testimonium esse infallibile, non poterat non euidenter etiam inferre Christi diuinitatem, atque adeò supernaturalem vnionem huius cum humanâ naturâ. Respondeo, Dæmonem coniecturis solum subodorasse diuinitatem Christi; non verò cum euidentiâ, de qua tractamus, cognouisse: (quod docet expressè S. Th. 3. p. q. 44. art. 1. ad 2. cum Ambros. Chrysol. & Beda à se relatis): non quidem, quòd diuinitus à tali euidentiâ impeditus fuerit contra exigentiam fundamentorum, vnde illam posset exhaurire, vt multi opinantur; sed, quòd reuera fundamenta vim eam gignendi non habebant, vt pluribus comprobatur Soar. tom. 2. in 3. p. disp. 31. sec. 3. Etenim non erat Dæmoni adeò exploratum, & manifestum, Deum miraculis Christi ipsius diuinitatem intrinsecè humanitati vnitam testari, vt non posset multis modis ambigere de tali testificatione. Quanquam enim sciebat, illa miracula totius naturæ vires transcendere; dubitare tamen poterat, an illa ab aliquâ supernaturali virtute creatâ, & sibi ignotâ fierent. Tum, an humanitas Christi, quam instrumentum videbat esse talium miraculorum, potestate sibi à Deo factâ ad illa patranda abuteretur in testimonium, falsæ diuinitatis. Qua ratione nunc mali ministri Euangelij potestate supernaturali ordinandi, ab soluendi, & consecrandi abuti solent ad prauos fines. Denique dubitare poterat, an dicta miracula in Christo testarentur filiationem Dei naturalem oriundam ab vnione intrinsecâ illius humanitatis cum Verbo, vel potius eximiam aliquam filiationem adoptiuam ab aliquâ speciali Dei assistentiâ extrinsecâ, ab aliquove speciali eius affectu statam. Non igitur ex miraculis potuit Dæmon quidpiam supernaturale quoad substantiam cum euidentiâ, de qua agimus, in Christo Domino cognoscere.

203 Secundo obijcitur. Angelus principio suæ creationis experiebatur, se credere, & amare Deum. Ergo euidenter potuit colligere, eos actus esse supernaturales, dum supra ipsos reflectens proprio conceptu non intuebatur, intuiturus aliâ, si supernaturales non essent. Respondeo, etsi actus supernaturales per se sui experientiam faciant, vt naturaliter per reflexionem, possint cognosci, de quo propof. 3. dubitare nihilominus potuisse Angelum, num defectus reflexæ intuitionis talium actuum ab eorum supernaturalitate manaret; vel potius ab speciali aliquâ Dei prouidentia sibi occultantis, seu obscurantis actus ipsos, quantumuis naturales; aut ab experientiâ fallaci notificante actus, qui verè non erant; vti sæpe in nobis solet accidere. Dices. Saltem iudicio reflexo naturali in experientiâ suorum actuum supernaturalium fundato potuisse cognoscere Angelum cum euidentiâ physicâ ipsos actus supernaturales; etsi non esset ei ita euidens, an essent supernaturales, vel secus. Quod contra statutam propositionem esse videtur. Respondeo, estó id fuerit possibile, de quo dictâ propof. 3. contra nostram propositionem non esse: quia

quia iudicium naturale physicè evidens de ente supernaturali quoad prædicatum ipsi, & enti naturali commune præcisè, quale illud esset, per nostram propositionem non negatur possibile, sed tantum simile iudicium de ente supernaturali prout tali. Certum enim est, sub multa iudicia naturalia physicè euidencia cadere entia supernaturalia quoad prædicata ipsi, & naturalibus communia, qualia sunt iudicia hæc. *Omne ens existens est existens. Omnis actus fidei est actus fidei. Omnis amor est amor.* & cætera huiusmodi. Etenim per prædictum reflexum iudicium dumtaxat iudicaret Angelus, se habere actus fidei, & amoris Dei. Quod est prædicatum ex se commune actibus fidei, & amoris Dei naturalibus, & supernaturalibus.

204 Tertiò obijcitur. Evidentissimum est Dæmoni, se gratiam sanctificantem, aliaque supernaturalia dona quæ talia quondam habuisse, & perdidisse. Sed modò scientiam supernaturalem non habet. Ergo evidentissimè meminuit eorum donorum per cognitionem naturalem. Respondeo, casu, quòd Dæmon haberet euidenciam physicam, de qua agimus, donorum supernaturalium, à quibus cecidit, eam utique supernaturalem esse asserendam, concessamque à Deo in maiorem ipsius poenam, vti conceditur damnatis hominibus character supernaturalis Baptismi, & Ordinum causâ maioris ignorantia, testante S. Thom. 3. p. q. 63. art. 5. ad 3. cum communi: & vti secundum plures Theologos fides etiam supernaturalis aliquarum veritatum conceditur, vt videre est apud Soar. tom. de Fide disp. 6. sec. 9. Censeo tamen absolutè, Dæmonem prædictam euidenciam physicam non habere: quia solum potest habere iudicium memoratiuum de donis supernaturalibus à se prius habitis, & amissis. Hoc autem magis euidens esse non potest, quàm fuit antea iudicium fidei, quod habuit de ipsorum donorum præsentia, quodque non fuit euidens physicè. Quia enim certitudine iudicatur obiectum de præsentia, eadem vt summum, & non maiori iudicatur illud de præterito per iudicium memoratiuum, siue à memoria oriundum, vt est notissimum.

205 Quartò obijcitur. Conclusio euidens deducta ex vnâ præmissâ naturali, & altera supernaturali potest esse naturalis, etiam si obiectum eius sit supernaturale. Ergo obiectum supernaturale per cognitionem naturalem potest euidenter cognosci. Consequentia est bona. Antecedens autem probatur à paritate conclusionis theologica deducta ex vnâ præmissâ de fide, & ex alterâ naturali, quæ quidem naturalis esse potest, etsi pro obiecto habeat ens supernaturale. Nego antecedens. Quia conclusio euidens ex principio supernaturali deducta cum illo prout euidenter cognito necessariò connexa est. Illud autem nisi per supernaturalem præmissam euidenter cognosci nequit, vt ex dictis hætenus constat. Quo fit, vt dicta conclusio cum supernaturali præmissâ determinatè connexa sit, atque adeò supernaturalis. Nequit namque actus naturalis cum aliquo supernaturali connecti necessariò, vt sæpe statuimus. Aliud est de conclusione theologica ex principio supernaturali credito per fidem deducta. Quia hæc non est necesse, vt sit connexa determinatè cum fide supernaturali, sed cum fide solum obscurâ talis principij potest esse connexa, quæ tum supernaturalis, tum naturalis esse potest.

206 Quintò obijcitur. Si Deus Angelo supremo aliquid supernaturale reuelet immediatè, vt po-

test, is quidem euidenter noscet, sibi loquentem esse Deum: quia noscet euidenter, non esse inferiorem alium Angelum, aut hominem, à quibus ipse nequit illuminari. Ergo cognosceret euidenter tum supernaturalem reuelationem, tum supernaturale eius obiectum: quia euidens est Angelo. Deum aliquid supernaturale loqui non posse, nisi loquutione titulo infallibilitatis connexa cum suo obiecto, atque adeò supernaturali. Omitto plura, quæ in solutionem huius argumenti confert Ripalda sec. 8. & respondeo, bene posse Deum Angelo supremo aliquid reuelare, quin sciat ipse cum euidencia, de qua loquimur, quis est, qui reuelat; atque adeò, an reuelatio sit infallibilis: quo euidencia eius obiecti, & eius supernaturalitatis locum non habet. Nam licet ordinariè supremus Angelus à solo Deo immediatè solet illuminari; ipse tamen iure poterit vocare in dubium, an hic, & nunc talis reuelatio ab aliqua creaturâ inferiori ex speciali commissione fiat. Tum etiam poterit ambigere, an sit superior aliqua substantia producta à Deo, & ab ipso naturaliter non cognoscibilis, à qua talis reuelatio procedat. Quòd si Deus ita euidenter reuelet Angelo aliquid supernaturale, vt etiam cum euidencia physicâ sciat, esse Deum ipsum, qui reuelat, casus ille non ad doctrinam propositionis præsentis pertinet, sed ad doctrinam sequentis, quam iam pronuncio.

### Propositio 3.

Casu, quòd Deus alicui reuelet cum euidencia physicâ aliquid ens supernaturale, adhuc, tali reuelatione suppositâ, non poterit ille iudicium naturale assequi physicè euidens aut eiusdem, aut alterius entis supernaturalis.

Quoniam iudicium physicè euidens de ente supernaturali per talem reuelationem genitum, quouis modò non potest non esse indebitum vniuersæ naturæ, atque adeò supernaturale; eo quòd reuelatio entis supernaturalis ita à Deo facta, vt iudicium physicè euidens de tali ente progignat, necunde potest esse naturæ debita, necundeque subinde potest esse naturæ debitum ipsum iudicium eiusmodi reuelationem necessariò supponens, prout ex dictis q. II. colligere est. Supposito autem, quòd iudicium physicè euidens ex dictâ reuelatione immediatè oriundum sit supernaturale, nequibit non esse similiter supernaturale quodlibet aliud physicè etiam euidens nascens ex illo, vtpote, quòd suapte naturâ, & essentia supponit necessariò illud prout euidens, & talis obiecti, atque adeò, prout supernaturale est. Nequit enim supernaturale non esse, quidquid essentialiter supponit aliquid supernaturale prout tale; cum eoque subinde prout tali metaphysicè connexum est, vt ex dictis in superioribus constat.

Dices. Iudicium physicè euidens per dictam reuelationem genitum immediatè adeò euidenter sui experientiam intellectu præberet, vt connaturalissimè posset hic reflexè indicare cum euidencia physicâ, se tale iudicium habere. Vnde etiam connaturaliter pergeret ad iudicandum illius obiectum cum euidencia simili, & quouis aliud, cum quo illud euidenter esset connexum. Huiusmodi ergo iudicia ex primo sequuntur, & phy-

physicè euidentiâ, & naturalia, & obiectorum supernaturalium erunt contra propositionem. Concesso toto antecedente; nego consequentiam. Quia huiusmodi iudicia ex primo sequuta non naturalia, sed supernaturalia erunt, quantumvis connaturaliter sint ex illo sequuta. Sequi quippe aliquid connaturaliter, non facit illud naturale, ut patet in visione beatificâ sequuta connaturaliter ex lumine gloriæ.

209 Inferes. Ergo nec poterit quisquam iudicare reflexè cum euidentiâ physicâ iudicio naturali, se habere actum amoris Dei supernaturalem, quod euidentiâ in se experitur, contra id, quod admittebamus n. 203. Nego illationem, si sermo sit de iudicio reflexo de amore Dei præcisè, ut amor Dei est, quale solum ab experientiâ ipsius amoris progigni potest: hoc enim benè potest naturale esse iuxta dicta in eo numero: scilicet iudicium physicè euidens de amore Dei supernaturali prout supernaturali: hoc enim nec potest naturale esse, nec ab experientiâ, quam de se præbet ipse amor Dei progigni, utpote quæ solum notificat amorem Dei ut sic, siue ille supernaturalis sit, siue naturalis: uteruis enim amor Dei esse potest. Vnde deprehendes discrimen huius casus à præcedente. Iudicium enim de obiecto supernaturali prout tali physicè euidens, hoc ipso, quod experimentaliter se notificet ut iudicium physicè euidens de tali obiecto, se ut naturale notificat: quia iudicium physicè euidens de tali obiecto non potest esse naturale. Quo fit, ut iudicium reflexum per talem experientiam genitum supernaturale quoque esse debeat.

Propositio 4.

210 Supernaturalia etiam quoad modum, quæ talia sunt, per cognitionem merè naturalem, physicèque euidenter cognosci non possunt.

Quia nec immediatè ex terminis, nec per discursum ex alio quopiam ita cognoscibilia sunt, ut arguebamus in simili proposito. 1. Non enim sunt ita iudicabilia immediatè ex terminis titulo principiorum vniuersalium, ut constat: nec titulo cadentium sub manifestam experientiam: quia, ut talia sunt, non cadunt sub illam, ut apparebit ex dicendis. Ex alio autem quopiam per discursum ita iudicari non possunt: quia nihil naturale est cum illis manifestè connexum, prout oportebat, ut ex eo prius iudicato ita illa medio discursu iudicarentur. Naturalia enim neque cum supernaturalibus quoad modum prout talibus possunt esse connexa, ut ex dictis in superioribus satis est notum: alioquin hæc illis titulo talis connexionis debita essent; atque adeò non supernaturalia, ut supponitur.

211 Obijci tamen potest contra propositionem. Multa ex miraculis, quæ præter naturæ ordinem fiunt, aut fieri possunt, sub experientiam cadunt, & consequenter cum physicâ euidentiâ cognosci possunt. Ergo supernaturalia quoad modum, qualia sunt miracula, cum euidentiâ physicâ cognoscibilia sunt. Respondeo, effectus quidem miraculosos sub experientiam posse cadere: an vero illi reuerà sint miraculosi, atque adeò vniuersæ naturæ indebiti, alienum ab experientiâ esse, ab euidentiâque, de qua agimus: semper enim poterit quis physicè saltem formidare, num tales

effectus alicui causæ occultæ debiti sint, atque adeò non miraculosi, nec supernaturales. In propositione autem solum tractamus de notitiâ supernaturalium quoad modum, qua talia sunt. Adde, neque de ipsis miraculosis effectibus cadentibus sub experientiam haberi posse euidentiâ physicam, de qua loquimur: quia eo ipso, quod præter communem naturæ ordinem eos experimur, physicè saltem formidare, vel dubitare possumus, num talis experientia vera, vel potius delusoria sit propter fallaciam aliquam sensus, seu potentie experientis. Si quando autem ob occurrentes circumstantias euidenter videamur nobis iudicare de veritate alicuius miraculi, siue entis supernaturalis quoad modum; ea quidem euidentiâ maior, quam moralis non erit: moralem autem esse posse, nil vetat, iuxta doctrinam tradendam proposit. 5. & 6.

212 Qua ratione autem non sunt euidenter cognoscibilia naturæ viribus entia supernaturalia quoad modum euidentiâ physicâ, de qua tractamus, independentè à diuinâ reuelatione; eadem non sunt cognoscibilia, supposita reuelatione diuinâ, prout ordinario modo fit: quia talis reuelatio Dei nihil conferre denuò potest ad euidentiâ dictam, ut constat ex doctrinâ traditâ proposit. 2. Idemque ferme, suâ propositione seruata, venit dicendum in casu reuelationis euidentiâ physicè huiusmodi supernaturalium consentaneè ad doctrinam traditam proposit. 3. In qua ad propositum applicandâ, non est, cur moremur.

Propositio 5.

213 Supposita reuelatione Dei, & miraculis, alijsque fidei argumentis, cum euidentiâ morali sunt naturaliter cognoscibilia tam supernaturalia quoad substantiam, quam supernaturalia quoad modum.

Ratio est in promptu. Quia, ut omnes Theologi consentunt, mysteria supernaturalia tam quoad substantiam, quam quoad modum, quæ fide constant, euidenter sunt credibilia euidentiâ morali. Ergo simili euidentiâ sunt euidenter vera, idque stando rationi naturali præcisè: quia, cum sit euidens, fidem diuinam falsis assentire non posse, consequenter est euidenter verum, quidquid euidenter est credibile fide diuinâ.

214 Responder huic argumento Ripalda supra sec. 8. mysteria supernaturalia bifariam dici posse euidenter credibilia. Primò; quia euidens est obligatio credendi illa. Secundò; quia euidens est existentia reuelationis diuinæ, ob quam sunt credenda. Ex quibus, inquit, posterior euidentiâ credibilitatis, quam mysteria supernaturalia non habent, inducit euidentiâ obiecti; non verò itidem prior, quam habent.

215 Sed contra primò; quia euidentiâ credibilitatis, quam tribunt Theologi communiter mysterijs reuelatis, non solum est illa prior; sed etiam posterior. Secundò; quia, nisi posteriori modo essent euidenter credibilia mysteria reuelata, neque essent priori. Quod ut declarem, suppono sermonem in præsentem non esse de obligatione positiuâ credendi: cum certum sit, multa esse reuelata, quæ positiuè credere non tenemur; quia neque ex naturâ rei, neque ex præcepto positiuo est obligatio credendi illa: sed solum de obligatione negatiuâ non discredendi, qua omnino tenemur.

nemur nulli mysterio à Deo revelato dissentire. Tum sic. Si existentia revelationis alicuius articuli certa moraliter non esset, ac proinde nec moraliter evidens, (nam à solâ morali euidentiâ nascitur certitudo moralis, de qua nunc agimus), iudicio probabili de non existentia eius daretur locus: quia sola certitudo, seu euidentiâ moralis excludit probabilitatem partis oppositæ. Ast vbi probabiliter iudicari potest, aliquid non esse revelatum à Deo, non est obligatio credendi illud, siue non discredendi, vt constat: cum certum sit, multa esse in Theologia probabiliter reuelata, quibus tutò dissentimus; quia etiam est probabile, illa reuelata non esse. Igitur, nisi existentia revelationis mysteriorum fidei moraliter evidens esset, neque esset obligatio moralis illa credendi, siue illis non dissentiendi; proindeque, nisi essent ipsa euidenter credibilia secundum posteriorem modum commemoratum à Ripaldâ, neque essent secundum priorem. Quod contra ipsum erat probandum. Quo firma perstat ratio facta à nobis pro proposito. Quæ quidem amplius confirmabitur ex proposito, sequente.

## Propositio 6.

216 Etiam independentè à reuelatione diuinâ possunt cum euidentiâ morali sub naturalem notitiam cadere aliqua saltem supernaturalia, non solùm, quæ talia sunt quoad modum, sed etiam, quæ quoad substantiam.

Quia fundamenta naturalia ad eis assentiendum circa naturalitatis dispendium possunt cum illis esse connexa connexionè morali, eaque adeò conspicuâ, vt euidentiâ moralem eorum signat. Connexio quippe moralis naturæ cum ente supernaturali nihil supernaturalitati obstat, sicut connexio physica, aut metaphysica: quia non simpliciter, sed secundum quid est connexio, neque debitum vllum arguit in termino connexionis comparatione rei connexæ, saltem, quod propriè dici possit debitum, supernaturalitatisque sit aduersum, vt discurranti per connexiones morales licebit cernere; videreque est in donis supernaturalibus, quæ Deus necessitatus moraliter confert iuxta doctrinam à nobis dandam in tract. de Volunt. Cum quibus certè, suppositis circumstantiis, quæ Deum moraliter impellunt ad illa donanda, connexa est moraliter natura; quin detrahatur propterea aliquid de eorum supernaturalitate, deque gratiâ liberalitate donationis ipsorum.

## QVAESTIO XIII.

*Qua ratione visio beatifica, & alia supernaturalia dona ab intellectu creata iudicio supernaturali cognoscibilia sint.*

217 **S**uppono vt certum, talia dona cognoscibilia esse de facto; cognosci à nobis iudicio supernaturali obscuro, hoc est, non euidente physice, (iuxta diuisionem euidentiæ physice, & moralis statutam q. præced.); qualia sunt iudicia supernaturalia fidei, Theologiæ, prudentiæque infuse, &

alia huiusmodi, quæ de illis passim habemus. Quæstio ergo solùm procedit de iudicio supernaturali euidente physice tum abstractiuo, id est, per species alienas habito; tum intuitiuo, id est, habito per species proprias. Circa quam.

Bann. 2. q. 5. art. 1. ad 3. & Alvarez de 218 Auxilijs disp. 51. n. 16. & disp. 118. n. 10. & disp. 119. contra communem opinantur, dona supernaturalia, quæ ex fide nouimus in Viâ, extra Patriam, & citra Dei visionem neque intuitiue, neque abstractiue cum euidentiâ cognoscibilia vilo modo esse, præterquam in testimonio Dei euidenter noto. Quibus consentit Ragula tom. 1. in 3. p. disp. 92. quatenus asserit, ea supernaturalia, quæ peculiarem respectum habent ad Deum, vt gratiam sanctificantem, visionem beatam, & vnionem hypostaticam absque Deo intuitiue viso quiditatiue cognosci non posse: posse tamen cætera, vt vbiacionem Eucharisticam, dotes corporis, animæque Beati, & alia huiusmodi. Consentit item ex parte Vazq. 1. p. disp. 135. cap. 4. quatenus censet, visionem intuitiuam Dei intuitiue, & proprio conceptu à nullo intellectu videri posse, non viso pariter intuitiue, & proprio conceptu ipso Deo. Idemque censet de specie impressâ causatiuâ visionis Dei.

Communis tamen Theologorum sententiâ 219 indistinctè pronunciat, supernaturalia non solùm abstractiuo, sed etiam intuitiuo iudicio euidenter cognoscibilia esse citra intuitiuam visionem Dei. Ita antiquiores Scolastici in 3. dist. 14. tribuentes Christo Domino scientiam infusam supernaturalium intuitiuam diuersam à scientiâ beatâ. Scot. cum suis ibi q. 3. S. Th. etiam cum suis 3. p. q. 13. art. 1. vbi Nazar. q. 5. Valen. pnc. 2. Soar. disp. 27. sec. 3. & alij communiter; quos refert, & sequitur Ripal. disp. 12. de Ente supern. sec. 2.

Vtrûm autem iudicium supernaturale physice euidentè supernaturalium donorum possit esse comprehensiuum, vel secus, sub lite etiam est. Quanquam enim sit certum, dona supernaturalia sub comprehensionem naturalem non posse cadere, vt pote; quæ sub euidentiâ physice, quam comprehensio debet habere, cadere nequeunt, vt quæstionibus præcedentibus statum est. In dubium tamen venit vocandum, an illa sub comprehensionem supernaturalem cadere possint. Soar. enim tom. 1. in 3. p. disp. 27. sect. 3. & Albertin. tom. 1. coroll. q. 4. theolog. n. 30. putant, à solo Deo comprehendi posse vnionem hypostaticam, visionem beatificam, gratiam habitualem, & alia, quæ peculiarem habitudinem dicunt ad Deum: & consequenter illa saltem incomprehensibilia esse à creaturâ. Oppositum tamen in vniuersum de omnibus entibus supernaturalibus tenet Ripal. disp. 13. sec. 2. ea nimirum ab intellectu creato comprehensibilia esse.

## Propositio 1.

222 Quoduis donorum supernaturalium, etiam visio beatifica sub euidentiâ physice abstractiuam, & supernaturalem intellectus creati non videntis Deum intuitiue cadere potest.

Ab hac propositione ita vniuersè prolata nemo dissentit; quatenus nemo est, qui neget, posse intellectum creatum non videntem intuitiue Deum cognoscere cum euidentiâ physice, & quod.

quoduis supernatural. donum in testimonio Dei sibi noto cum euentiâ simili, casu, quod Deus (vt citra omne dubium potest) reuelationem illi testificantem, pariterque euentem faciat eiusmodi doni.

222 Verum, quod alijs insuper modis possit cum dictâ euentiâ quoduis supernatural. donum abstractiue innotescere intellectui non videnti intuitiue Deum, inde suadet. Quia potest Deus tali intellectui medijs speciebus alienis infundere iudicium clarissimum per se citra testimonium diuinum, & citra discursum creatum notificans supernatural. mysterium, vt de facto haud dubiè infundit saepe viris contemplatiuis. Potest etiam Deus tali intellectui per speciem propriam præbere notitiam intuitiuam alterius obiecti iuxta dicenda propof. 2. vnde ille facto discursu ad iudicandum abstractiue cum euentiâ physicâ obiectum supernatural. ducatur. Et vniuersè intellectus non videns Deum potest ex vno obiecto supernaturali euidenter cognito sine intuitiue, siue quoduis modo abstractiue ad aliud supernatural. cum quo illud connexionem sit, cum eadem euentiâ, & abstractiue cognoscendum transire; æquè, ac passim ab vno naturali pariter cognito ad aliud pariter cognoscendum transit de facto. De quo non est, cur dubitetur.

Propositio 2.

223 Quoduis donum supernatural. etiam viso beatifica sub euentiâ physicâ, intuitiuam intellectus creati non videntis Deum intuitiue cadere potest.

Hæc est contra Auctores relatos num. 218. Probatur tamen. Quia quoduis donum supernatural. etiam viso beatifica ex vnâ parte intuitiue est cognoscibile ab intellectu creato; imo de facto cognoscitur à Christo Domino, ab alijsque Beatis per scientiam infusam, vel etiam beatam, vt nemo diffidet: nec mirum, cum vel ipse Deus ita ab intellectu creato sit cognoscibilis iuxta dictâ disp. 17. q. 1. Ex aliâ verò parte ad hoc, vt intellectus creatus eiusmodi donum intueatur, necesse non est, quod intueatur etiam Deum: quia talis necessitas ex nullo capite nasci potest. Ergo.

224 Dices, nasci quidem eam ex relatione intrinsecâ, qua quoduis ens supernatural. respicit Deum, quandoquidem nulla relatio sine suo termino cognito cognosci potest. Sed contra est. Quia, licet sit verum, nullam relationem expressè cognosci posse, quin cognoscatur terminus eius, vt nos etiam ex omnium sententiâ in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. statuimus. Cæterum necesse non est, quod relatio, & terminus eius cognoscatur eodem modo. Fieri enim potest, vt relatio per speciem propriam, & intuitiue, terminus autem per alienam, & abstractiue cognoscatur, vt cernere est in Angelis, qui intuitiue videre possunt res naturales existentes cum relationibus intrinsecis, quas illæ habent ad Deum, non viso intuitiue ipso Deo: qualiter viderunt boni, dum essent in Viâ, & mali vident etiam nunc, vt certa Theologorum sententia fert. Angeli item ex ijs, quæ vident intuitiue, multa, quæ intuitiue non vident, colligunt, cognoscuntque subinde abstractiue ob relationem connexionis, quam illa ad hæc habent, vt certa etiam Theologia fert: atque

ita relationem intuitiue, & terminum eius non intuitiue, sed abstractiue tantum attingunt. Et quidem relationem posse cognosci iudicatiue, quin terminus eius iudicatiue, sed tantum simpliciter apprehensiue cognoscatur, indubitatum est. Angelus enim, imo & Deus iudicatiue cognoscens nostram cognitionem falsam, obiectum, ad quod illa refertur, non iudicat: quia falleretur. Et nos passim iudicamus relationes, earum terminis non iudicatis, sed tantum apprehensis simpliciter, vt quisque considerans deprehendit. Quidni igitur relatio poterit cognosci intuitiue, non intuitiue, sed abstractiue dumtaxat cognito termino eius? Vnde concluditur, etsi omne ens supernatural. intrinsecè respiciat Deum, quoduis eorum nihilominus intuitiue videri posse ab intellectu creato, quin intuitiue pariter ab eodem videatur ipse Deus.

Dices rursus cum Bann. Dona supernatural. 225 lia semina quadam sunt Beatitudinis: & cum Aluarez. Veluti conclusiones sunt oriundæ à Deo vt à principio. Semina autem sine fructu, & conclusiones sine principio quiditatiue cognito quiditatiue cognosci nequeunt. Sed contra est. Quia semen titulo talis vt summum dicit relationem intrinsecam ad fructum tanquam ad effectum: omnis autem relatio intuitiue videri potest, non viso intuitiue suo termino, vt dictum est. Vnde, estò dona supernaturalia semina Beatitudinis sint, non visâ Beatitudine, videri possunt. Præterquam quod Beatitudo ipsa, quæ aliorum supernaturalium donorum fructus asseritur, in actibus Beati consistit; proindeque, Deo non viso intuitiue videri potest, iuxta doctrinam nostram. Iam verò, etsi Deus sit necessariò principium effectuum physicum donorum supernaturalium; principium tamen obiectiuum, siue notificatiuum eorum (vt obiectiuum conclusionis est antecedens obiectiuum) necessariò non est: quia possunt illa in se immediatè per speciem propriam cognosci, aut ex alio quopiam antecedente, præterquam ex Deo viso, euidenter inferri.

Deinde dicit Ragusa. Gratia sanctificans, 226 aliaque supernaturalia dona participationes quadam sunt Dei, prout est in se ab omni creaturâ diuersus. Hoc autem in eis intuitiue, quiditatiueque, & proprio conceptu cognosci nequit, non cognito Deo ipso, prout est in se, atque adeò non viso intuitiue. Quomodo enim videri potest intuitiue, à dictis donis participari Deum, sicuti est in se, non cognito Deo ipso, sicuti est in se, atque adeò non viso pariter intuitiue? In eundem modum discurrit Vazq. speciatim pro visione beatificâ. Quæ, inquit, cum sit formalis, & expressa representatio Dei, sicuti est in se, non potest proprio, & intuitiuo conceptu concipi, quin concipiatur Deus ipse, sicuti est in se, atque adeò proprio etiam, & intuitiuo conceptu. Videtur enim repugnare, quod intellectus intuitiue, & clarè videns, visionem beatificam esse formalem, expressamque representationem Dei, sicuti est in se, atque adeò Deum, sicuti est in se, per illam representari, non tangat suâ cognitione Deum ipsum, sicuti est in se. Tangere enim illum debet, qua ratione visionem terminat, & terminat, sicut est in se, non solum re ipsâ, sed apud ipsam intellectum intuentem, visionem esse expressam representationem eius, sicuti est in se. Concluditur ergo, intellectum videntem intuitiue visionem Dei non posse non cognoscere Deum, sicuti est in se. Quod ipsum est, etiam Deum intuitiue videre.

Ve.

227

Verum contra discurrendi modum horum Doctorum est. Quod omnis relatio terminata ad Deum, qualis est omnis creatura ad suum Creatorem, & omnis actionis diuinæ ad suum Effectorem non ad Deum aliter, quam est in se, sed ad Deum, sicuti est in se, terminatur: quia terminatur non ad aliquid loco Dei, quod in se non est Deus, sed ad Deum ipsum, in quo idem est penitus esse Deum, & esse, sicuti est in se, ut est notissimum. Unde, si discursus eorum esset legitimus, eo pariter probaretur, Angelos nullam creaturam posse cognoscere intuitiuo, & proprio conceptu, non cognito similiter Deo intuitiuo, & proprio conceptu. Quod est absurdum contra certam Theologorum sententiam num. 224. commemoratam. Ex quo patet, dictum discursum fallacem esse. Fallacia autem eius fiat in aequinocia usurpatione illius particule *sicuti est in se*. Dum enim ex eo, quod visio beatifica, aut quæuis alia relatio ad Deum, sicuti est in se, terminatur, inferatur cognoscentem intuitiuè talem visionem, aut relationem debere cognoscere Deum, sicuti est in se. Solerter distinguendum est. Sicuti est in se ex parte rei cognite, concedendum. Sicuti est in se ex parte modi eam cognoscendi, negandum. Est dicere, cognoscentis intuitiuè talem visionem, aut relationem debet cognoscere id ipsum, quod Deus se ipsa est in se, utpote ad quod ipsum terminatur visio, aut relatio; non tamen, ita debet cognoscere, ut Deus sit obiectiuè in cognitione id ipsum, quod se ipsa est in se. Unde etiam negandum est, debere cognoscere Deum pariter intuitiuè. Quippe cognoscere Deum, sicuti est in se ex parte rei tantum, non est cognoscere Deum intuitiuè nisi insuper ex parte modi cognoscendi, sicuti est in se, cognoscatur, id est, ita se habeat, seu talis sit obiectiuè in sui cognitione, in mente cognoscentis illam, sicuti se habet, seu est se ipsa in se.

228

Utque planius perspicias prædicti discursus fallacia, considera illum eadem vi quoad speciem probantem, non posse nos abstractiuè cognoscere visionem beatificam, ut de facto cognoscimus pro statu præsentem, quin intuitiuè videamus Deum. Quod est plusquam absurdum. Etenim nos quoque cognoscimus modò, quemadmodum & verbis asserimus, visionem beatificam esse formalem, expressamque representationem Dei, sicuti est in se, atque ad eum Deum, sicuti est in se, per illam representari. Quod videtur fieri non posse, quin Deus, sicuti est in se, per nostram cognitionem tangatur; tangi enim debet, qua ratione visionem terminat, & terminat, sicuti est in se, non solum se ipsa, sed apud nos cognoscentes, visionem esse expressam representationem eius, sicuti est in se. Concluditur ergo, nos quoque abstractiuè cognoscentes visionem Dei, non posse non cognoscere Deum, sicuti est in se: quod ipsum est cognoscere Deum, seu videre intuitiuè. Ut igitur fallaciter modò concluditur, cognoscentes abstractiuè visionem Dei, non posse non Deum ipsum intuitiuè videre. Ita planè eodem Aduersariorum discursu fallaciter paulò ante conclusum est, videntes intuitiuè visionem Dei, non posse non Deum ipsum intuitiuè quoque videre, fallacià videlicet, quam detegimus n. præced.

229

Quod si cognitio intuitiuè visionis Dei ad cognoscendum intuitiuè Deum ipsum non necessitat, ut volebat Vazq. multò minus necessitat cognitio intuitiuè aliorum donorum supernaturalium, ut volebat Ragus. quantumvis hæc esse

dicantur participationes quædam diuinæ naturæ. Hoc namque in illis ut summum est aliqua specialis relatio ad Deum tanquam ad terminum à se adæquatè distinctum. Omnis autem relatio eiusmodi intuitiuè cognosci potest, quin cognoscatur intuitiuè ipse Deus, ut constat ex dictis. Per quæ argumenta nostræ propositioni aduersarij satis, superque dilata sunt.

## Propositio. 3.

Quoduis donum supernaturale sub comprehensionem creatam ordinis supernaturalis cadere potest.

Hanc propositionem videntur innuere Patres illi, qui locum illum Pauli ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem*, de incomprehensibilitate Dei exponunt: quasi esse incomprehensibilem solius Dei sit proprium. Ratione autem inde probatur primo. Quia ad conceptum comprehensionis duo solum sunt requisita. Primum, quod per eam non solum res comprehendenda, sed insuper quidquid ad illam pertinet attingatur, prout supra explicatum à nobis est, & probatum disp. 17. q. 7. propositi. Secundum, quod sit cognitio adæquans cognoscibilitatem rei comprehendendæ, adeò, ut, quam est perfecta res ipsa in esse cognoscibilis, tam sit perfecta comprehensio in esse cognitionis, prout ibidem etiam à nobis propositi. late explicatum, atque probatum est. Sed hæc duo in aliqua cognitione supernaturali cuiusvis doni supernaturalis reperiri, nihil est, quod prohibeat, ut vnusquisque percurrrens doctrinam questionis citatæ, quam hic repetere non oportet, facile haud dubie deprehendet. Igitur quoduis donum supernaturale per aliquam sui cognitionem etiam supernaturalem comprehensibile est.

Secundò probatur. Quia quodlibet ens naturale per aliquam cognitionem creatam aut naturalem, aut supernaturalem comprehensibile est citra dubium, ut planè videtur esse in confesso apud omnes Theologos. Ergo idem de quodlibet ente supernaturali dicendum est. Probo consequentiam. Quia possibilis est citra dubium cognitio creata cuiusvis entis supernaturalis tantum excedens in ratione cognitionis cognitionem comprehensiuam cuiusvis entis naturalis, quantum tale ens naturale excedit in ratione entis tale ens naturale. Quis de hoc dubitet? Quæ subinde cognitio entis supernaturalis planè erit comprehensio eius: siquidem eandem proportionem habebit cum suo obiecto, quam comprehensio entis naturalis cum suo habet, ut manifestum est.

Tertiò probatur. Quia, ut comprehendatur quæuis creatura quantumuis supernaturalis ab alià creaturâ, necesse non est, ut ab eadem comprehendatur Deus titulo termini relationis intrinsecæ creaturæ comprehendendæ; tametsi eo titulo cum euentiâ cognosci debeat, ut constat ex doctrinâ traditâ loco citato: alioquin ne vilius quidem creatura naturalis esset comprehensibilis ab alià creaturâ: quia eodem titulo à comprehendente creaturam naturalem deberet comprehendendi Deus, utpote terminans relationem intrinsecam eius. Qui tamen à nulla creaturâ comprehensibilis est. Probo consequentiam. Quoniam tantum posset tali comprehensibilitati creaturæ supernaturalis obflare, quod ea titulo specialis re-



spæctus, quem dicit ad Deum, Deo ipso non comprehenso, comprehendi non posset; qui tamen à creaturâ est incomprehensibilis. Eâ namque ratione Soar. & Albertin. supra citati videntur asserere, unionem hypostaticam, visionem beatificam, & alia huiusmodi supernaturalia specialem habitudinem ad Deum dicentia à solo Deo comprehendi posse: quia sine Deo comprehenso comprehendi non possunt; & Deus à se solo potest comprehendi. Vnde patet, hoc fundamentum non subsistere contra nostram propositionem. Aliud autem contra illam momenti non est, suppositâ doctrinâ de naturâ comprehensionis q. citatâ à nobis traditâ.

QVAESTIO XIV.

*An sit possibilis substantia supernaturalis, cui visio beatifica, aut alia supernaturalia dona connaturalia sint.*

333 Sententia negativa est communis, quam tenent Vazq. 1. p. disp. 45. cap. 1. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 9. & tom. 1. in 3. p. disp. 31. sec. 6. & lib. 8. de Grat. cap. 3. Arrub. 1. p. disp. 22. Fafol. q. 12. art. 4. dubit. 1. Turrian. 2. 2. disp. 77. dub. 2. & Opuic. 3. disp. 1. dub. 11. Gran. 1. 2. contr. 8. de Grat. tract. 4. disp. 8. sec. 3. 5. 2. Salas tract. 2. disp. 4. sec. 2. & tract. 11. disp. 6. sec. 10. Valent. Albertin. Alvarez, Nazar. Albeda, Ripa. Et alij relati à Ripaldâ disp. 23. de Ente Supern. sec. 1. Quibus adde Auerl. 1. p. q. 12. sec. 6. Francisc. Amic. disp. 9. sec. 6. & 7. Martinon disp. 7. sec. 7. & Recupit. lib. 6. q. 3. & 4. Pro affirmatiuâ verò sententiâ videntur stare, licet dissimulent, Mol. 1. p. q. 12. art. 5. disp. 2. & rursus art. 6. & in Concord. q. 14. art. 13. disp. 83. obieci, 4. Heric. disp. 48. n. 63. Coninc. tom. de Sacram. q. 76. art. 7. n. 118. Albertin. Principio 1. philop. q. 3. Clarius Beccan. 1. p. cap. 9. de visi. q. 5. n. 4. Cui apertè consentiunt Alarc. tract. 1. disp. 2. cap. 8. n. 9. Petrus Hurt. in manuic. de visi. Ripald. citatâ, latissimè per totam defendens sententiam hanc affirmatiuam. Quam insuper tanquam valde probabilem defendit Arriag. 1. p. disp. 5. et si sequatur tandem oppositam; alijque tenent Recentiores, & ex antiquioribus Maior in 4. dist. 49. q. 4. & Dur. ibid. q. 2.

Propositio 1.

334 Si rationi standum sit, probabile est, non repugnare substantiam supernaturalem, cui visio beatifica, aut alia supernaturalia dona connaturalia sint.

Primum enim nullum sit argumentum, quo efficaciter, nedum apertè, conuincatur repugnancia talis substantiæ; vt postea ex eorum omnium solutione patebit: Deinde possibilitas eius rationibus certè non improbabilibus positivè probari potest. Ergo.

335 Sit prima ratio. Intellectui creato instructo lumine gloriæ connaturalis est, & debita visio beatifica. Ergo possibilis est substantia creata, cui eadem visio sit connaturalis, & debita. Antecedens apud omnes est certum. Probo conse-

quentiam. Quia perfectio competens complexo creato ex intellectu, & lumine coalescenti non est cur simplici, & substantiali entitati creatæ non possit competere.

236 Secunda ratio. Quòd alicui substantiæ creatæ connaturalis sit, & debita visio Dei, non arguit in tali substantiâ infinitudinem repugnantem creaturæ: quandoquidem accidenti creato, & finito, quale est lumen gloriæ, ipsa visio debita, & connaturalis est: tantumdemque euenit in alijs supernaturalibus actibus, qui habitibus infusis, à quibus fiunt, connaturales sunt, & debiti. Ergo possibilis est prædicta substantia, cui visio beata, aliave supernaturalia dona debita sint. Probo consequentiam ex Aduersariorum doctrinâ; quorum plerique ab infinitudine reperiundâ in substantiâ creatâ, cui dona supernaturalia essent debita, deducunt eius repugnantiam.

237 Tertia ratio. Prædicatum supernaturalitatis, & prædicatum substantiæ non adeò pugnant inter se, vt nequeant in eodem ente identificari: quandoquidem de facto in vnione hypostatica, quæ substantia quædam est supernaturalis, identificata inueniuntur. Ergo non repugnat, talia prædicata per identitatem coniungi in aliquâ substantiâ completâ, & absolutâ. Quòd enim sit completa, vel incompleta, absoluta, vel modalis, nil videtur ad rem præsentem interesse.

238 Quarta ratio. Vt aliquod accidens alicui substantiæ connaturale sit, & debitum, duo omnino sunt requisita, non amplius iuxta doctrinam latè expositam supra q. 2. nimirum titulus, & proportio. Titulus deesse non potest, vbi accidens effectus ponitur substantiæ; qualis est omnis creata visio respectu substantiæ videntis: quia sufficiens titulus est ad debitum naturale necessitudo intercedens inter effectum, & causam, si aliâ proportio non desit, vt loco citato explicatum est. Quòd autem inter visionem beatificam, & aliquam substantiam ex possibilibus proportio non desideretur sufficiens ad naturale debitum, probatur. Quoniam ideo solum non est proportionata visio substantiis de facto existentibus: quia minor est earum dignitas, & perfectio, quàm, quæ ad talem proportionem requiritur. Sed est possibilis substantia tantum excedens in perfectione, & dignitate existentes de facto, quantum ad proportionem prædictam necessarium est. Ergo possibilis est substantia tantæ perfectionis, quanta requiritur, vt ei sit visio proportionata, & debita. Maior est certa. Consequentia legitima. Probo minorem. Quia possibilis est substantia tantumdem excedens in perfectione substantias de facto existentes, quantum excedit visio beatifica accidentia ipsis substantiis existentibus connaturalia. Quis dubitet? Aut cur maior inæqualitas intra genus accidentium, quàm intra genus substantiarum erit possibile? Pono ergo substantiam possibilem tantumdem superans in perfectione meam substantiam; quantum cognitio mihi connaturalis à supernaturali visione mihi possibili superatur. Tunc sic. Sicut se habet cognitio naturalis ad visionem, ita se habet mea substantia ad substantiam possibilem. Ergo permutando iuxta proposit. 16. lib. 5. Euclidis, sicut se habet cognitio naturalis ad meam substantiam, ita se habet visio ad substantiam possibilem. Sed cognitio naturalis comparatione meæ substantiæ proportionata est, & debita. Ergo visio comparatione substantiæ possibilis proportionata etiam, & debita, atque adeò connaturalis est. Et quidem,

D D D D dem,

dem, si possibile est accidens tantæ perfectionis, ut donum supernaturale sit illi proportionatum, & debitum; qualiter est visio beatifica luminis gloriæ, & cuilibet habitui infuso actus illi respondens; cur non erit possibilis substantia tantæ perfectionis, ut donum supernaturale sit illi proportionatum, & debitum? quandoquidem substantia ex suo genere perfectior, quam accidens est.

339

Quinta ratio. Ex solo prædicato supernaturalis, quod secundum doctrinam Patrum, & Conciliorum habet visio beatifica, dici potest ei repugnare, quod sit connaturalis, & debita substantiæ creatæ: à tali enim prædicato, non aliunde, arguunt huiusmodi repugnantiam Auctores contrariæ sententiæ. Sed ex prædicato prædicto talis repugnantia non nascitur. Ergo ex nullo. Probo minorem. Quia multa sunt accidentia supernaturalia in sensu Conciliorum, & Patrum, habentiaque subinde prædicatum supernaturalis prædictum, quæ tamen connaturalia sunt, & debita substantiæ creatæ possibili. Ergo ex prædicato supernaturalis nequit repugnare visioni, pariter substantiæ creatæ debitam esse. Consequentia est bona. Probo antecedens. Quia ex vna parte natura, supra quam encheitur ens supernaturale ex mente Conciliorum, & Patrum, collectio est substantiarum de facto existentium, possibiliumque æqualis, & inferioris essentia vna cum accidentibus talibus substantiis connaturalibus, ut supra q. 2. statutum est. Ex alia verò parte nequit negari, esse possibilem substantiam perfectione excellentem dictas omnes substantias, quibus constituitur natura, habentemque multa accidentia sibi connaturalia, & debita, quæ eisdem substantiis, atque adeo toti naturæ indebita sint; proindeque supernaturalia in sensu Conciliorum, & Patrum. Igitur multa accidentia supernaturalia in sensu Conciliorum, & Patrum, sunt possibilis, quæ alicui substantiæ possibili connaturalia sint, & debita. Quod erat probandum. Non ergo ex prædicato supernaturalis repugnat visioni beatificæ alicui substantiæ possibili debitam esse. Et consequenter ex nullo capite id ei repugnat.

240

Sexta ratio. Multa accidentia dantur de facto alicuius substantiis improporionata, & indebita, quæ alijs substantiis superioris ordinis proportionata, & debita sunt, ut est notissimum. Ergo non est, cur repugnet accidens improporionatum, & indebitum omni substantiæ pertinenti ad constitutionem naturæ; quod tamen alicui substantiæ possibili superioris perfectionis proportionatum sit, & debitum. Quod quidem, & erit supernaturale; quia supra totam naturam; & erit nihilominus connaturale, & debitum alicui substantiæ possibili. Non ergo repugnat, ut dona supernaturalia alicui substantiæ possibili connaturalia sint. Porro naturam, supra quam effertur supernaturalia, non omnes substantias posibles comprehendere; sed aliquas, atque adeo plures remanere posibles totam naturam transcendentem, superius q. 2. probatum est consentaneè ad sensum, & mentem Conciliorum, & Patrum.

241

Septima ratio. Non repugnat substantiæ, cui supernaturalia quoad modum omnino naturalia sint. Quis enim dicat, esse impossibilem creaturam tantæ excellentiæ, & perfectionis, ut possit suâ naturali virtute duo corpora penetrare, vel sanitatem amissam subito restituere, vel octo gradus caloris, octo frigiditatis expulsi, in

vnico instanti introducere? Ergo nec repugnat substantiæ, cui supernaturalia quoad substantiam omnino connaturalia sint. Nulla enim congrua ratio discriminis assignari potest. Mitto alia: quia hæc pro assumpto propositionis satis, superque sunt.

## Propositio 2.

Auctoritas negantium possibilem substantiam supernaturalem, cui dona supernaturalia debita sint, nequaquam reddit improbabilem possibilitatem talis substantiæ.

Quoniam soli moderniores Theologi huiusmodi possibilitatem negarunt, non item antiquiores, qui controversiæ huius non meminerunt; sicut neque Patres Ecclesiæ, qui nihil docent tali possibilitati planè, & manifestè contrarium. Ex recentioribus verò non pauci viri graves, quorum mentionem fecimus num. 233. in eam aperte propendunt, imò palam, & impudè defendunt, quod ad probabilitatem eius satis, superque est.

Sed obiicitur. Temerè asseritur, & sine probabilitate, quod communi Patrum suffragio, & Theologorum prorsus repugnat. Sed possibilitas substantiæ supernaturalis prorsus repugnat communi Patrum, atque Theologorum suffragio. Ergo temerè illa, & sine probabilitate asseritur. Probo minorem, quæ sola eget probatione. Quia substantia supernaturalis necessariè est suapte naturâ beata, & impeccabilis. Substantia autem naturâ suâ beata, & impeccabilis omnino impossibilis est ex communi Patrum, atque Theologorum sententiâ frequenter asserentium, solum Deum esse naturâ suâ beatum, sanctum, & impeccabilem; creaturam verò eo ipso, quod est ex nihilo, naturâ suâ esse peccato, & miseræ obnoxiam, à solâque gratiâ Dei posse habere, esse sanctam, beatam, & impeccabilem. Plura huiusmodi testimonia Patrum recitant Salas 1. tract. 2. disp. 3. à num. 10. & Ripal, disp. 23. cir. lect. 4. & 7. Respondeo tamen cum eodem Ripal. sec. 2. saluum imprimis esse, substantiam supernaturalem debere necessariè esse beatam, & impeccabilem à naturâ suâ. Quia substantia perfectione æquivalens complexo ex meâ substantiâ, & habitu fidei, cui solus actus fidei supernaturalis debitus esset, ut modò tali complexo debitus est, substantia supernaturalis esset, ut patet; nec tamen propterea beata, aut impeccabilis esset naturâ suâ. Sed est sit verum, omnem substantiam supernaturalem eo ipso debere esse beatam, & impeccabilem naturâ suâ. Adhuc argumentum non vrget. Quia Patres, & Theologi asserentes, solum Deum esse beatum, & impeccabilem per naturam, creaturas verò peccato, & alijs miseris obnoxias, aut solum loquuntur de creaturis existentibus, aut, si etiam de possibilibus, de creaturis prout distinctis à donis gratiæ, quibus beata, & impeccabiles eorundem Patrum sententiâ effici possunt. Substantia autem possibilis, de qua loquimur, naturâ suâ beata, vel impeccabilis à talibus donis distincta non esset; quia potius quodammodo ab illis esset indistincta; quatenus perfectione æquivaleret complexo ex substantiâ, quæ modò datur, & ipsis donis. Adde, Patres, & Theologos satis appositè exponi posse, ita, ut solum ve-

line asserere, Deum naturâ suâ esse beatum, & impeccabilem; quia à se ipso habet esse talem: creaturam verò, utpote ex nihilo productam, ideo non per naturam, sed per gratiam solum beatam, & impeccabilem esse posse; quia non à se id potest habere, sed ab alio gratuito illam tum existentiam, tum etiam beatitudine, atque impeccabilitate donante, quacunquē demùm ratione his omnibus donata sit. De quo tamen in sequentibus plura dicenda sunt.

Propositio 3.

244 Substantia supernaturalis, cui donata supernaturalia debita sint, probabiliter defendi potest ab impetu argumentorum, quibus impetitur.

Veritas huius propositionis soluendo argumenta, quæ obijciuntur, ostendetur in actu exercito. Sit primum. Repugnat substantia suapte naturâ beata. Ergo & supernaturalis. Consequentia bona supponitur ab Aduersarijs; vixque subinde ab eis probatur. Antecedens probant primò eis Scripturæ testimonijs, quibus Deus inuisibilis à creaturâ prædicatur; spectatâ scilicet solum virtute naturali creaturæ. Secundò probant auctoritate Patrum dicentium, nequaquam posse creaturam suâ naturâ esse beatam. Tertiò probant Thomistæ. Quia obiectum, & potentia naturaliter intuitiua eius quoad immaterialitatem debent inter sese proportionari. Sed non est possibile, quod potentia aliqua creata ad Dei immaterialitatem perueniat. Ergo non est possibilis potentia aliqua creata, quæ naturaliter possit videre Deum. Quartò probant Scotistæ. Quia, indecens Deo, atque adeò omnino impossibile est, quod creatura connaturaliter habeat ipsum sibi præsentem tanquam principium particulare, & obiectiuum mouens, & actuans suum intellectum, prout opus erat, ut Deus ipse connaturaliter videretur à tali creaturâ. Quintò alij probant. Quia, si esset possibilis creatura connaturaliter, atque adeò necessariò videns Deum, eius vtique oblectia nequiret Deus remanere præmio condigno. Quod est absurdum. Nam, quod quis necessariò possidet, non potest ei conferri in præmium. Sextò. Non est possibilis substantia supernaturalis connaturaliter videns Deum medio lumine à se distincto: quia munus luminis est, eleuare substantiam, quam adiuuat, ad actum ipsi supernaturalem, qualiter substantia supernaturalis ad visionem sibi connaturalem eleuari nequit. Sed neque videns medio lumine à se indistincto: quia talis substantia perfectiori modo esset beata, quam Christus Dominus, utpote beatitudine oriunda à perfectiori principio. Quod est absurdum. Ergo nullo modo est possibilis.

245 Respondeo primò ad argumentum, admittendo antecedens; & negando consequentiam. Quia, ut num. præced. dicebam, estò repugnet substantia suapte naturâ beata, non inde infertur, esse impossibile vniuersè substantiam supernaturalem. Substantia quippe, cui actus fidei diuinæ, vel scientiæ infusæ connaturalis esset, supernaturalis vtique, sed non beata suâ naturâ esset.

246 Secundò respondeo, negando antecedens argumenti. Ad cuius primam probationem dico, testimonia Scripturæ, quibus Deus asseritur inuisibilis à creaturâ, si loquantur non solum de visione

corporeâ, sed etiam de intellectuâ viribus naturæ impossibili, de creaturâ quidem loqui, quæ de facto existit; non item de purè possibili, iuxta communem interpretum expositionem. Quæ etiam ratione censendi sunt loqui Patres communiter, nisi loquantur aliquando in alio sensu ex recensitis n. 243. quorum nullus contra nos est. Ex quo patet ad secundam dicti antecedentis probationem. Ad tertiam nego, potentiam æqualis immaterialitatis, aut perfectionis debere esse cum obiecto naturaliter ab eâ videndo. Constat enim, Deum infinitè excedentem simplicitate, & perfectione, complexum ex intellectu beati, & lumine gloriæ connaturaliter nihilominus à tali complexo videri. Et quidem, si visio ipsa æquare obiectum visum non debet in perfectione, cur debeat connaturale visionis principium? Ad quartam nego etiam, esse indecens Deo concurrere obiectiuè ad visionem sui connaturalem principio videnti, qua ratione necesse est, ut concurrat ad illam. De facto enim concurrat pariter ad visionem connaturalem intellectui prout instructo lumine gloriæ. Ad quintam dico primò, substantiam naturâ beatam merito suo nihilominus obtinere posse vt condignum præmium visionem aliam, Dei præstantiorem eâ, quam habet, aut alia etiam supernaturalia dona: quia status beatitudinis, vt pono, non obstat ex naturâ rei meritis; licet de facto obstat ex lege Dei. Sed estò obstat. Dico secundò, posse visionem esse substantiæ debitam, non à principio suæ existentiæ, sed post certum tempus, ante quod poterit mereri multa præmia sibi aliis indebita, & tamen naturaliter, tali tempore accedente, beata erit. Quin imò & visionem ipsam mereri poterit: quia non repugnat, quod detur in præmium meriti id, quod alio titulo est debitum, & à præmiante negari poterat de potentiâ absolutâ. Adde, non videri absurdum, quod creatura aliqua rationalis à naturâ, & semper esset incapax meriti, & præmij, qua ratione à gratiâ de facto euadunt incapaces Beati, beatitudine adeptâ, per integram æternitatem. Ad sextam dico primò, posse substantiam medio lumine à se distincto connaturaliter videre Deum: quia non est impossibile lumen substantiæ supernaturali connaturale, atque adeò non eleuationum eius, siue illud sit diuersæ naturæ à lumine, quod datur de facto, siue non sit diuersæ. Secundò dico, possibilem etiam esse substantiam, quæ sine lumine à se distincto connaturaliter videat Deum, cuius profecto visio beatifica, etsi perfectior asseratur visione beatificâ Christi Domini, non erit absurdum: quia certum non est, visionem beatificam Christi esse perfectissimam omnium possibilem. Sed potest tamen asseri nihilominus imperfectior: quia estò à principio physicè perfectiori, ex modo tamen tendendi potest euadere imperfectior. Adde, argumento proposito cum omnibus suis probationibus fere non impugnari, nisi substantiam naturaliter effectiuam suæ beatitudinis. Est tamen haud dubiè, præter hanc, alia possibilis, quæ, licet suam beatitudinem nequeat efficere, eam tamen à solo Deo connaturaliter valeat recipere, & hac ratione sit beata naturâ suâ. Posse enim à Deo solo infundi visionem, sicut & alios huius generis actus vitales, ex dictis à nobis in Pharo Scient. disp. 2. q. 1. constiat.

247 Secundum argumentum, quod nostræ propositioni obijcitur, est. Repugnat substantia suapte naturâ impeccabilis. Ergo & supernaturalis. Consequentia videtur bona. Quia substantia

DDDD 2 super-

supernaturalis non potest non esse sancta, aut etiam beata naturā suā, & consequenter incompatibilis cum peccato. Tum omnes actus ipsi possibiles supernaturales quoque esse debent, quales peccatum esse non potest. Antecedens autem probatur. Et primum ab auctoritate tum sacræ Scripturæ soli Deo impeccabilitatem tribuentis, iuxta illud Matth. 19. & Luc. 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Tum Sanctorum Patrum vnanimitèr afferentium, creaturam rationalem eo ipso, quod ex nihilo facta est, defectibilem, peccatisque expositam esse. Tum denique ferè omnium Theologorum id ipsum vnanimi consensu affirmantium; quorum longum syllabum habet P. Ripal, supra sec. 7. n. 39. Deinde idem antecedens probatur à ratione. Primo; quia voluntas creata non potest esse regula honestarum actionum; qualis esset utique, si peccare non potens nequiret ab honesto desistere. Secundo; quia nulla est possibilis creatura rationalis, cui turpe efficacius, viuidiusque, quàm honestum, representari non valeat; & consequenter, quæ in turpe sic representatum ferri non possit. Tertio; quia obiectum voluntatis create non solum bonum honestum, sed etiam delectabile est. Ergo nulla est possibilis voluntas creata, quæ in bonum delectabile, spreto honesto, ferri non possit, atque adeo peccare. Quarto; quia, si esset possibile genus creaturarum, quæ naturā ad non peccandum determinatæ essent, aliquas certè Deus creasset, vti ex omni alio genere entium produxit aliqua. Quod tamen non fecit, vt constat. Quinto; non potest vlla creatura rationalis non esse obnoxia mutationibus physicis. Ergo neque moralibus; quales sunt ab honesto in turpe, aut è contra. Sexto; nulla est creatura rationalis possibilis non obnoxia errori intellectus: quia nulla est possibilis, quæ cuncta cognoscibilia comprehendere valeat. Ergo neque est possibilis, quæ non subiaceat errori voluntatis; quale est peccatum, oriundum semper ab errore intellectus. Septimo; obiectum omnis voluntatis create est bonum non solum verum, sed etiam apparens. Ergo omnis voluntas creata sequuta bonum apparens potest deserere verum, atque adeo peccare. Octauo; nulla creatura potest creato aliquo bono satiari. Ergo qualibet quoduis etiam honestum potest deserere, atque ita peccare.

248

Respondeo ad argumentum primo, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dico primo, substantiam supernaturalem bene posse non esse beatam, De quo iam supra. Quare non est necesse, quod titulo beatitudinis sit impeccabilis. Secundo, bene posse etiam eam non esse sanctam, vt si solum sit perfectione æquiualens complexo ex habitu fidei, aut scientiā infusā, & substantiā nunc existente. Quo circa nec titulo sanctitatis debet esse impeccabilis. Sed estò nequeat non esse sancta naturā suā, adhuc potest esse peccabilis, tum peccato veniali, quod sanctitati non opponitur; tum etiam mortali excludente sanctitatem ipsi connaturalem, vti calor excludit frigus connaturale aquæ. Ad secundam probationem dico, primo quidem non repugnare, quod actus supernaturalis sit malus moraliter, atque ita substantiam supernaturalem bene posse esse peccabilem per actus supernaturales: sed estò nequeat peccare per illos. Dico secundo, saltem per puram omissionem posse esse peccabilem. Adde, fortasse substantiam supernaturalem

bene posse aliquos actus ordinis naturalis habere, per quos citra controuersiam poterit peccabilis esse.

Secundo ad argumentum respondeo, negando antecedens; nimirum repugnare substantiam, suapte naturā impeccabilem. Ad eius autem probationem ab auctoritate desumptam Scripturæ, Patrum, & Theologorum dico, etsi ea maxime urgeat, probabilem tamen explicationem, euasioneque habere posse expositionibus, quas exhibuimus n. 243. Nimirum, vt solus Deus præ creaturis impeccabilis asseratur naturā suā; aut factā comparatione cum solis creaturis existentibus, & possibilibus de potentiā ordinariā; aut cum creaturis vt discretis ab omni ordine sanctitatis, & gratiæ; aut quia Deus à se ipso habet esse impeccabilem, creaturam verò id à se habere nequit, sed solum beneficio Dei eam ex nihilo creantis. De quo vide plura in Ripaldā supra sec. 11. Ad probationem autem primam eiuſdem antecedentis à ratione desumptam dico, substantiam impeccabilem naturā suā non eo ipso fore primam regulam honestè operandi, sed tantum necessariò conformem primæ regulæ; qualis solus est Deus, vtpote, qui solus sibi ipsi, & à se est regula totius honestatis. Ad secundam dico, possibilem esse creaturam impotem consentire in obiectum turpe, quidquid sit de viuacitate propositionis eius; vti de facto Christus Dominus, & quilibet Beatus impos est; quacunque demum viuacitate concipiat illud. Non enim est, cur repugnet substantia per naturam habens determinationem ad honestum, quam Christus, & quilibet Beatus habet per gratiam. De qua profectò substantiā perinde, ac de Christo, & Beato philosophandum est, quod attinet ad componendum cum eius impeccabilitate potentiam honestè operandi, etiam opus præceptum. Nisi, quod dicitur substantiæ naturaliter esset debita, aut etiam; si placet, identificata necessitas non peccandi, determinatioque ad honestum, quam Christi, atque Beati humanitas à superueniente gratiā, prorsusque indebita sortitur. Ad tertiam probationem dico, nihil obesse, quominus aliqua voluntas possibilis naturā nequeat amare bonum delectabile, quod honestum etiam non sit: quando quidem id habet de facto voluntas cuiusvis Beati; tamen non naturā, sed gratiā. Ad quartam dico, quod Deus de facto non creauerit substantiam naturā impeccabilem, argumento non esse, eam repugnare; quia Deus non produxit de facto omnes species rerum possibiles. Tamen omnes aliqua ratione fortasse reduci possint ad gradus, seu genera rerum, quas de facto produxit. Quo potio substantia possibilis impeccabilis sub genere, & gradu entis supernaturalis potest constitui. Ad quintam dico, ex mutationibus physicis, quibus creatura rationalis subiecta est, nequiquam inferri mutationem moralem ab honesto in turpe, vel è contra; vti non inferitur in Christo Domino. Ad sextam dico, non implicare creaturam, quæ errare non possit; tamen cuncta comprehendere nequeat, aut etiam aliter cognoscere; quia aliud est errare, aliud non cognoscere, vt constat. Sed estò, sit omnis creatura obnoxia errori, inde non fit, debere esse obnoxiam peccato: quia ex errore bonā fide concepto bene potest operatio euadere honesta. Ex quo etiam patet ad septimam, peccatum non fore in eo, quod creatura possibilis, de qua tractamus, præferret bonum apparens verò, putans bonā fide esse verum,

249

rum, casu etiam, quod talis creatura posset de-  
cipi circa bonum. Quod tamen non est necesse,  
vt diximus. Ad octauam denique dico, etsi crea-  
tura praedicta quodlibet bonum creatum posset  
deserere, (quod etiam non est necessarium), inde  
non sequi, posse illam peccare: quia deserere bo-  
num honestum non semper est malum, sed tan-  
tum, quando obligatio adest illud non deserendi.  
Praesertim, quia potest quodlibet bonum de-  
feri ob amplectendum aliud maius. Et quidem  
hoc argumentum, sicut & pleraque ex praedictis  
in Christo Domino, & Beatis potentibus honeste  
operari citra omnem libertatem peccandi, instan-  
tiam patiuntur apertam. Ad rem namque parum  
interest, habere id per gratiam adiunctam, an  
per naturam.

250 Ex quibus apparet, non sine probabilitate  
posse defendi possibilem substantiam rationalem  
impeccabilem per naturam, & ad honestum de-  
terminatam, qualis de facto humanitas Christi,  
& quous alia beata per gratiam est. Neque inde  
sequitur, possibilem quoque esse substantiam rati-  
onalem naturam suam determinatam ad amandum  
turpe, aut ad non amandum honestum: quia  
determinatio ad primum constare non potest, nisi  
sit turpitudine ipsa motuum amandi, quod repu-  
gnat. Determinatio vero ad secundum contra  
conceptum rationalitatis esse videtur: quia ne-  
quit esse rationalis natura, cui amor rationalis,  
qualis solum est amor honesti, impossibilis est.  
De quo plura Ripal, sec. 10.

251 Tertium argumentum contra nostram pro-  
positionem est, Repugnat substantia propria, &  
principali virtute continens gratiam iustifican-  
tem. Ergo repugnat substantia supernaturalis.  
Consequentia videtur bona. Quia substantiae su-  
pernaturali deberetur tanquam proprietates gratia  
iustificans, in eodemque ordine esset cum illa;  
imo esset iustitia, & sanctitas substantialis. Ergo  
propria, & principali virtute contineret gratiam  
ipsam iustificantem. Antecedens autem probatur.  
Primò auctoritate Scripturae, & Patrum  
asserentium, solum Deum esse bonum. Quo in-  
dicatur, Deum solum continere propria virtute  
bonitatem, seu sanctitatem. Secundò probatur;  
quia gratia iustificans creatione producitur; qua-  
liter à creaturam produci nequit tanquam à causa  
principali. Tertiò; quia gratia iustificans partici-  
patio est diuinæ naturæ: atque ita solum naturam  
diuinam causam sui principalem habere potest.  
Quartò; quia nulla creatura potest iustificare  
aliam. Posset autem, si propria virtute iustitiam  
contineret: quia posset illam alij creaturæ com-  
municare, atque ita ipsam iustificare.

252 Respondeo ad argumentum. Primò, ne-  
gando consequentiam, quidquid sit modò de  
antecedente. Quia non est necesse, vt substantia  
supernaturalis suam naturam sanctam sit, vt ex supe-  
rius dictis constat. Sed estò debeat esse sancta,  
poterit vtique talis esse per sanctitatem substan-  
tialem à se indistinctam, non per accidentalem  
distinctam, & sibi debitam, contentamque pro-  
pterea in sua effectiua, atque principali virtute.  
Sed estò rursus esset dicta substantia sancta per  
sanctitatem accidentalem debitam sibi, & con-  
naturalem; adhuc non sequitur, talem sanctita-  
tem in eius effectiua, atque principali virtute  
contentam iri: quia bene potest esse substantia  
debitum accidens non à substantia ipsa, sed ab  
alio principio oriundum. Itaque ex supernatu-  
ralitate substantia non bene arguitur in illa virtus

principalis effectrix gratia iustificantis. Sed de-  
mus, argui bene. Quid inde?

253 Respondeo enim ad argumentum secundò  
negando antecedens. Quia non est, cur repug-  
net substantia propria, & principali virtute  
continens gratiam iustificantem: neque proba-  
tiones oppositæ talem repugnantiam persuadent.  
Ad primam namque dico, testimonia, quibus  
Deus solus bonus asseritur, dumtaxat intendere,  
Deum solum habere à se bonitatem aliunde non  
participatam, vt habent creaturæ, aut etiam om-  
nium cogitabilem maximam. Ex hoc tamen  
non efficitur, repugnare creaturæ, quod sit causa  
connaturalis, ac principalis sanctitatis; quasi id  
soli Deo sit reseruatam, Ad secundam nego,  
gratiam iustificantem debere produci creatione.  
Quod si deberet, adhuc secundum probabilem  
sententiam posset à creaturam produci, etiam vt  
causa principali. Ad tertiam nego etiam, sequi,  
gratiam iustificantem à solo Deo produci posse,  
vt ab agente principali ex eo, quod est partici-  
patio diuinæ naturæ. Cum enim talis sit solum  
per imitationem quamdam, & analogiam, non  
est, cur eo titulo in virtute causæ creatæ contineri  
non possit. Ad quartam denique dico, non posse  
quidem vnā creaturam iustificare aliam per  
modum satisfactionis, & meriti; qua ratione  
Christus iustificat. Non video tamen, cur nequeat  
in eā producere formam iustificantem; atque  
eo sensu quodammodo iustificare posse. Sed  
estò neque possit hoc; adhuc non sequitur,  
non posse producere in se gratiam iustificantem.  
Quia possibilis est causa non potens producere  
in subiecto extraneo id, quod in se producit.  
Vide cuncta hæc latius proposita à Ripal, sec. 13.  
& 14.

254 Quartum argumentum. Supernaturale  
idem est, quod supra naturam. Ergo repugnat  
substantia, quæ supernaturalis sit. Probatur con-  
sequentia. Quia omnis substantia ex suo conce-  
ptu natura est. Repugnat autem, naturam esse  
supra naturam. Confirmatur. Quia natura, su-  
pra quam ponitur ens supernaturale, omnem  
substantiam existentem, & possibilem compren-  
dit, non vnā, aut alteram: alioquin pleraque  
accidentia naturalia supernaturalia dici deberent:  
quia pleraque supra vnā, aut alteram substan-  
tiam, siue naturam sunt. Sed nulla est possibilis  
substantia, quæ sit supra omnem substantiam.  
Ergo nulla est possibilis substantia, quæ superna-  
turalis sit. Hoc argumentum de vocibus solum  
contendit, non de re ipsa.

255 Respondeo, etsi omnis substantia sit natu-  
ra, sed non eā acceptione, quæ hic naturam  
vsurpamus, pro collectione scilicet substantiarum  
existentium, & possibilem æqualis, aut inferioris  
essentiæ, iuxta doctrinam stabilitam q. 2. Vn-  
de, esse substantiam supernaturalem, & esse  
supra huiusmodi collectionem, seu extra illam, in  
idem recidit. Ex quo non fit, esse naturam su-  
pra naturam, sumptam in eodem sensu naturam.  
Quod solum repugnat. Hinc ad confirmationem  
patet, naturam, supra quam ponitur ens super-  
naturale, non omnem substantiam possibilem  
comprehendere. Quo locus superest, vt sit pos-  
sibilis substantia transcendens vniuersam natu-  
ram. Et quidem, quidquid sit de vsurpationi-  
bus naturæ, in quibus solum de voce potest esse  
contentio. Quod modò de re asserimus est, esse  
possibilem substantiam, cui aliqua dona ex his,  
quæ supernaturalia nouimus, debita sint. Voca-  
eam

eam supernaturalem, aut fecus. Quod parum ad  
tem ipsam refert.

256

Quintum argumentum aliqua absurda  
opponit, quæ ex substantiâ supernaturali sequi,  
præterdit, Primum est, gratiam iustificantem  
non esse gratiam. Quia esset tali substantiæ debi-  
ta. Debitum autem contra rationem gratiæ est.  
Secundum, esse creaturam rationalem, erga quam  
Deus non posset liberalitatem exercere, utpote  
cui debita essent dona, quæ liberalitatis materia  
futura erant. Tertium, habitus infusus esse prin-  
cipia vitalia contra sententiam omnium, utpote  
dictæ substantiæ connaturaliter, & ab intrinseco  
conuenientes. Quartum, esse possibilem substan-  
tiam valentem natiuâ virtute patrare miracula,  
Tum substantiam naturâ suâ hypostaticè vnitam  
Verbo, &c.

257

Respondeo ex substantiâ supernaturali,  
quam nos adstruimus, nullum absurdum sequi.  
Ad primum autem, quod opponitur, dico, gra-  
tiam iustificantem bisariam posse appellari gra-  
tiam. Primum; quia gratum facit subiectum. Se-  
cundum; quia gratis, & citra omne debitum illi  
confertur. Et in primo quidem sensu semper  
maneret gratia respectu substantiæ supernaturalis;  
etsi in secundo gratia non esset. In quo nullum  
est inconueniens. Adde tamen, & in secundo  
esse posse, si substantiæ supernaturali non sit debi-  
ta, ut est possibile, iuxta superius dicta. Ad se-  
cundum dico, nullam esse substantiam supernatura-  
lem, cui Deus non posset plura alia dona, præter  
ipsi debita, largiri: in quibus proinde largiendis  
suam liberalitatem posset exercere. Ad tertium,  
dico, habitus infusus substantiæ supernaturali non  
fore potentias vitales: quia ab extrinseco infun-  
derentur, tamen debiti. Sed estò nascerentur à  
potentiâ ipsâ: & potentiæ vitales eius venirent  
appellandi. Quid inde? Doctores namque ha-  
bitus solidi, qui de factò substantiis naturalibus  
infunduntur, segregant à potentiis vitalibus. Ad  
quartum denique dico, si miraculum solum sonet,  
quod vitra naturæ debitum, atque adeò superna-  
turaliter fit, non repugnare substantiam, quæ suâ  
natiuâ virtute patraret miracula: sicut nec, cui  
alij supernaturales effectus essent connaturales,  
prout constat ex dictis. Si verò, miraculum acci-  
pias pro effectu superante virtutem omnis causæ  
creatæ, repugnat in terminis, dari creaturam na-  
tiuâ suâ virtute patrantem miracula. Quid ergo  
mirum, si talis creatura repugnet? Fateor etiam,  
repugnare substantiam, cui vnio hypostatica, &  
consequenter personalitas Verbi esset connatura-  
lis. Nam substantiæ connaturalis proprietas qua-  
dam substantiæ est. Repugnat autem, substan-  
tiam creatam, & finitam habere proprietatem in-  
creatam, & infinitam: qualis est substantia Ver-  
bi. Hinc tamen non efficitur, repugnare etiam,  
substantiam, cui alia dona supernaturalia inferiori-  
bus notæ sint debita.

258

Sextum argumentum. Substantia superna-  
turalis esset Filius Dei naturalis. Sed hoc repu-  
gnat puræ creaturæ. Ergo substantia supernatu-  
ralis, quæ sit pura creatura, non est possibilis.  
Minor est certa. Consequentia bona. Maior  
probatur. Quia tali substantiæ naturalis esset for-  
ma constituens filium, nempe gratia sanctificans;  
atque adeò etiam ius naturale ad gloriæ hæredi-  
tatem haberet; quod ius à naturali solum filia-  
tione promanar. Confirmatur. Quia talis sub-  
stantia non sortiretur à dictâ formâ sanctificante,  
& sibi debita filiationem adoptiuam. Quoniam

non ex debito; sed ex indulgentiâ tantummodò adop-  
tio præstatur. ut ait Concilium Francofordiense  
in sacrosyllabo col. 5. Ergo sortiretur filiationem  
naturalem. Nulla enim alia inter has duas  
media datur.

Respondeo, necessarium non esse, quòd sub-  
stantiæ supernaturali sit debita gratia sanctificans,  
ut sæpe notauimus. Quo tota argumentatio ruit.  
Sed estò sit debita, atque connaturalis illi, adhuc  
non erit talis substantia Filius Dei naturalis: quo  
sensu Filius Dei naturalis dicitur esse Christus  
Dominus. Quia non erit procedens à Deo à  
principio coniuncto in similitudinem naturæ.  
Sed neque erit filius Dei adoptiuus eo genere,  
adoptionis merè gratiæ, & liberalis, quæ de  
factò datur, de qua solum loquitur Concilium  
Francofordiense. Tamen sit altero genere adop-  
tionis possibili; quia erit filius per affectum,  
dumtaxat, debitum tamen aliquo modo suæ na-  
turæ. Cui consequenter connaturalis erit ius ad  
hæreditatem gloriæ, non, quod à filiatione natu-  
rali opposita adoptiæ nascatur; sed, quod à filia-  
tione adoptiâ, seu affectiua naturaliter conue-  
niente proveniat. In quo nihil absurdi cernitur.  
Patetque, quid habeat momenti argumentum, &  
confirmatio eius. De quo plura Ripalda supra  
sec. 18.

#### Propositio 4.

Probabile absolutè est, non repugnare  
substantiam supernaturalem, cui visio bea-  
tifica, aut alia supernaturalia dona connat-  
uralia sint.

Hæc propositio ex tribus antecedentibus  
sequitur manifestè; nec nouâ indiget probatione.  
Ex eâ autem conspicuè apparet, quàm immetitò  
quidam, etsi pauci, Theologi sententiam asseren-  
tem possibilem substantiam dictam suggillaue-  
rint, seueritque notis inuaserint.

Adhuc tamen contra possibilitatem substan-  
tiæ supernaturalis obijci potest ex Arrigâ disp.  
supra citatâ sec. 7. sub. 2. Nulla est repugnantia  
in eo, quòd Deus habeat aliqua accidentia omni  
substantiæ possibili creatæ supernaturalia. Quod  
videtur tradere Augusti. lib. 9. de Genes. ad Liter.  
cap. 17. & 18. Ex terminis enim videtur notum,  
id ad diuinam perfectionem spectare, ut plura  
possit beneficia creaturis præstare, quàm ipsæ  
creaturæ exigere queant. Item ut possit Deus  
efficere plura ut Auctor supernaturalis, quàm ut  
Auctor naturæ. Semel autem posito, quòd sint  
possibilia accidentia nulli substantiæ possibili  
connaturalia, talia vtrique dicenda sunt esse visio  
beatifica, gratia iustificans, & alia, quæ ex fide  
supernaturalia nouimus, tum ob eximiam eorum  
prestantiam, tum ob auctoritatem Patrum, &  
Theologorum id supponentium, aut affirmantium.  
Vnde tandem concluditur, possibilem non esse  
substantiam, cui eiusmodi supernaturalia acciden-  
tia connaturalia sint.

Respondeo primò, repugnare accidentia,  
quæ omni substantiæ possibili sint supernaturalia.  
Quia, cum accidens, utpote entis ens, non tam  
propter se sit, quàm propter substantiam, con-  
sentaneum est rerum naturis, ut quodnis accidens  
possibile alicui substantiæ possibili proportiona-  
tum, atque connaturale sit. Oportet enim, ut  
qua proportione substantiæ intra suum genus se-  
exce-

excedant in perfectione, eadem & accidentia se excedant intra suum. Atque ita nullum sit accidens in serie proportionali accidentium, quod non se habeat ad alia accidentia, sicut se habet aliqua substantia ad alias substantias in serie proportionali substantiarum: idque siue ista series à latere ascendente sint infinita, siue finita: de quo nos egimus supra disp. 13. q. 9. Cùmque accidens tunc citra dubium ita sit proportionatum substantiæ, vt ei esse possit connaturale, & debitum (si aliunde adfit titulus) consentaneè ad dicta supra q. 2. hypoth. 4. quando ita se habet quoad quantitatem perfectionis ad alia accidentia, sicut substantia ad alias substantias: conficitur, nullum esse accidens in serie accidentium, cui non respondeat in serie substantiarum substantia, cui sit illud quoad perfectionem proportionatum, atque adeò (titulo insuper interueniente) connaturale, & debitum. Hinc autem non sequitur, manere Deum impotem ad præstanda suis creaturis plura beneficia, quam eis sint debita; aut ad faciendum plura vt Auctor supernaturalis, quam vt Auctor naturæ. Quandoquidem semper ipsi integrum erit, conferre cuius substantiæ possibili supremam inferiori (si ab eo creetur) accidentia supremam proportionata, ipsique proinde inferiori improporcionata per excessum, atque adeò supernaturalia. Supremam autem substantiæ (si datur iuxta dicta à nobis q. illa 9. citata disp. 13.) multa accidentia conferre poterit indebita ipsi defectu tituli, et si alias essent illi proportionata; & multo plura ipsi improporcionata per defectum, vt pote proportionata substantijs alijs ipsa inferioribus. Id quod insuper cum quavis substantiâ non supremâ, & alias inferiores habente præstare poterit. Ex quo patet, Deum semper, & in omni euentu competentem esse ad faciendum multo plura, quam facere potest vt Auctor naturæ, varijs modis vitra naturæ debitum operando. Id quod significare voluit August. loco citato, tamen ille non adeò vniuersaliter, & de possibili, sed de naturâ tantum existente videatur ibi loqui.

263 Secundo ad argumentum factum respondeo, dato, quod essent possibilis accidentia nulli substantiæ possibili connaturalia, talia non esse censenda ea omnia, quæ ex fide nouimus supernaturalia de facto: quandoquidem de illis eisdem, aut de eorum aliquibus probant connaturalia esse alicui substantiæ possibili, quæcunque producta sunt à nobis in præsentis quæstione: ad præstantiamque, quam in illis prædicant Patres, & omnes agnoscimus, fat est, quod ipsa improporcionata sicut per excessum, atque adeò indebita omnibus substantijs existentibus, atque etiam omnibus possibilibus æqualis cum illis, aut inferioris perfectionis.

264 Iam verò, si sit possibilis substantia, cui accidentia supernaturalia, quæ ex fide nouimus, connaturalia sint, ea vtique perinde respectu eorum, aut principalis, aut instrumentalis causa asserenda erit, ac cæteræ quæque substantiæ respectu suorum accidentium connaturalium aut principales, aut instrumentales causæ asseruntur, vt satis ex se est notum. Quænam autem causæ, & respectu quorum effectum principales, & quænam instrumentales dicendæ sint, dubitationem importat potius de nomine, quam de re; cuius decisio non est huius loci. Quo circa specialem quæstionem in eâ fundatam, quam hic adiungunt aliqui Recentiores, vt Amic. Recupit. supra, & alij, de possibilitate substantiæ, cui saltem vt connaturali

instrumento visio beatifica, aut etiam alia supernaturalia accidentia, quæ ex fide nouimus, connaturalia sint, libenter prætermitto, vt pote, quæ suppositis dictis in hac, quam discussimus, partem, aut nihil confert ad rem.



DISPUTATIO XIX.

De principijs visionis intuitiue Dei.

**P** Principia visionis intuitiue Dei dicimus in præsentis, quæcunque ad illam causandam quoquo modo concurrant, siue actiue, siue passiue, siue vt causæ, siue vt condiciones cau-

QVAESTIO I.

*Qua ratione intellectus creatus ad visionem intuitiuam Dei causandam concurrat.*

**C**ertum est apud omnes, visionem intuitiuam Dei, de qua agimus, in intellectu creato recipi, atque adeò hunc ad illam passiue concurrere aliquo modo. Est tamen controuersum primo, an etiam concurrat actiue, siue effectiue. Negant imprimis, qui ad nullam intellectionem etiam naturalem, censent, intellectum creatum concurrere effectiue. Quos citauimus, & reieciimus in Pharo Scient. disp. 1. q. 1. Deinde speciatim agentes de visione beatifica negant Scot. in 3. dist. 14. q. 1. art. 2. & in 4. dist. 49. q. 11. Ocham. in 1. dist. 1. q. 2. & in 4. q. 12. art. 3. ad 2. Conseruiuntque Duran. in 3. dist. 14. q. 1. n. 9. & in 4. dist. 46. q. 2. & Ricard. in 3. dist. 13. art. 2. q. 3. & in 4. dist. 49. art. 3. q. 5. Inclinarque Palud. in 4. dist. 44. q. 7. n. 59. & clariùs dist. 49. q. 1. n. 13. & alij consentes, visionem beatificam à solo Deo fieri, infundique intellectui Beatorum. Communis tamen reliquorum Theologorum sententia est, intellectum etiam Beatorum ad illam effectiue concurrere. Ita Molin. 1. p. q. 12. disp. 1. Soar. tract. 1. lib. 2. cap. 10. Vazq. disp. 43. Becan. tract. 1. cap. 9. q. 4. Trigos. q. 7. art. 1. dub. 4. & 5. Arrub. disp. 19. cap. 1. & 5. Fasol. q. 12. art. 5. dubit. 6. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 2. sec. 4. & disp. 5. sec. 3. & 5. Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sec. 10. Recupit. lib. 6. q. 6. Auerl. q. 12. sec. 13. Arriag. disp. 7. sect. 2. & disp. 8. sec. 1. cum multis alijs ab eis relatis.

Inter quos rursus est controuersia, eaque potius de nomine, quam de re, an intellectus creatus vt causa principalis, an verò vt causa instrumentalis concurrat ad visionem Dei. Concurrere vt causam principalem, tenent Bann. 1. p. q. 12. dub. 3. Zumel. q. 1. concl. 4. Becan. cap. 9. q. 4. & omnium latissime Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 5. à n. 75. cum Mol. Val. Vazq. Bellarm. Staplet. & alijs multis à se relatis. Concurrere verò vt causam instrumentalem, tenent Soar. 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 10. n. 14. & latius 3. p. tom. 1. disp. 3. 1. sec. 6. Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dubit. 7. Amic. supra, & Recupit. q. 7. cum alijs.

Tertiò est controuersia, eaque etiam de modo

do loquendi dumtaxat, an intellectus creatus ad visionem beatificam per potentiam naturalem, seu innatam, an potius per potentiam obedientialem concurrere dicendus sit. In quo etiam sunt diuini Auctores relati.

## Propositio 1.

5 Intellectus creatus ad visionem Dei intuitiuam non solum passiuè, sed etiam effectiuè concurrat.

Primò; quia ita concurrat ad omnes suas alias naturales intellectiones, vt in Pharo disp. 1. q. 1. ostensum est. Neque est, cur de visione beatificà aliter, quod ad rem attinet, quàm de illis, philosophemur; et hęc præ illis sit supernaturalis. Siquidem actus etiam fidei diuinæ, quos in præsentis statu habemus, sunt supernaturales; & tamen hi citra omne dubium per voluntatis imperium nascuntur ab intellectu effectiuè; cum sine liberi, & meritorij: certum enim est, meritum citra efficientiam merentis dari non posse. Secundò; quia certum est secundum fidem ex Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. actus supernaturales voluntatis effectiuè à voluntate ipsà procedere. Qualiter debere necessariò procedere eo ipso, quòd sunt liberi, & meritorij insuper manifestum est; cum sit pariter manifestum, libertatem sine efficiencià principij liberi stare non posse. Ergo tantumdem est dicendum, de actibus supernaturalibus intellectus, è quibus est visio beatificà. Tertiò; quia visio beatificà est actus vitalis, vt constat. Omnis autem actus vitalis connaturaliter saltem debet per effectiorem oriri à principio viuente. Dico connaturaliter saltem: quia mea sententià visio beatificà non importat in suo conceptu essentiali actionem physicam oriundam ab intellectu videntis, vt pote, quæ non physica, sed intentionali tantum vitæ vitalis actus est; atque ita à solo Deo produci potest, infundique intellectui Beati de potentia absoluta, vt ex doctrinâ vniuersali de intellectione humanâ in genere traditâ in Pharo disp. 2. q. 1. proposit. 1. constat. Docentque, præter citatos ibi, Valent. 1. p. disp. 1. q. 12. pun. 3. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 2. sec. 4. Egid. Lufit. lib. 10. de Beat. q. 1. art. 4. §. 2. Recupit. 1. p. lib. 6. q. 9. Et apud eos alij cum Scot. Ocham, Duran. & Ricard. relatis n. 2.

6 Obijci tamen potest contra propositionem, Primò. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Psal. 83. Sed Deus se solo producit gratiam. Ergo & gloriam consistentem in visione beatificà. Secundò. Præmium est adæquatè à præmiante, sicut meritum à merente. Sed visio beatificà est præmium à Deo vt præmiante collatum. Ergo, Tertiò. A solo Deo est lumen gloriæ. Ergo potiore iure visio perfectior lumine. Quarto. Si visio fieret ab intellectu Beati, Beatus beatificaret se ipsum; sicque cessare à suâ beatitudine posset, Quod vtrumque est absurdum.

7 Respondeo ad primum, gratiam, & gloriam dari à Deo; sed diuerso modo: quia gloria actus vitalis est, secus gratia scilicet habitualis. Et ideo gratiam Deus se solo, gloriam verò simul cum intellectu Beati producit. Ad secundum, necesse non esse, quòd præmium à solo præmiante oriatur physicè; potest enim & præmiatus ad illud concurrere; præsertim concursu sibi non libero, vt euenit in præsentis. Ad tertium, lumen, vt pote quod non est actus vitalis, à solo

Deo venire efficiendum; secus visionem, quæ actus vitalis est, vt dictum. Quidquid sit de maiori huius perfectione. Ad quartum, Beatum non dici beatificare se ipsum, etiam suam beatitudinem efficiat physicè: quia non efficit liberè. Quo etiam iure ab illâ cessare non potest. Alia quædam vniuersaliora q. illâ 1. Phari citatâ nuper opposita, & diluta sunt.

## Propositio 2.

8 Aptius videntur loqui, qui intellectum creatum concurrere vt instrumentum dicunt ad visionem beatificam.

Quia concurrat eleuatus, & determinatus, atque adeò veluti motus à Deo ad effectum supernaturalem altioris ordinis, suamque proinde superantem naturalem virtutem, exigentiam, & debitum. In quo arte factorum instrumentis potius, quàm causis principalibus assimilatur. Vnde analogia petenda est ad discernendum, & discernendum, quænam effectuum naturalium causæ instrumentales, & quænam causæ principales dicendæ sint. In quo, cum nullum de re, sed solum de modo loquendi dissidium sit, non est, cur amplius immoremur.

## Propositio 3.

9 Intellectus creatus non virtute naturali, sed summum innatâ, seu congenitâ, obedientialique est dicendus concurrere ad visionem beatificam.

Quia nomine virtutis naturalis ea solum venit intelligenda iuxta communem loquendi morem, quam habent causæ respectu suorum effectuum connaturalium. Constat autem ex dictis in superioribus, visionem beatificam non esse connaturalem effectum intellectus creati; cum sit illi supernaturalis. Cæterum, quia virtus, mediâ qua intellectus creatus concurrat ad visionem beatificam, cum ipso est identificata realiter, non abs iure à quibusdam dicitur virtus innata, siue congenita. Quoniam verò huiusmodi virtus nihil in visionem præstare potest, nisi eleuata à Deo, adintraque auxilio aliquo supernaturali, & ei prorsus indebito, vt ex dicendis appareret; ipsaque visio comparatione eius supernaturalis est, & indebita, vt constat ex iam dictis; ideoque virtus obedientialis, atque etiam virtus inchoata appellari solet. Quibus vocabulis eius specialis natura prout condistincta à virtute, quam habent causæ ad suos connaturales effectus, significari intenditur. In quo etiam maius dissidium, quam de modo loquendi, esse non potest, vt iam notauimus.

## QVÆSTIO II.

*Verum intellectus creatus ad videndum Deum intuitiuè aliquo lumine gloria indigeat.*

## Propositio vnica.

Certum secundum fidem est, intellectum creatum



Et cum creatum aliquo lumine gloriæ indige-  
re ad videndum Deum intuitiue.

Quoniam in Concilio Viennensi relato in  
Clementinâ *Ad nostrum* de hæreticis tanquam  
error contra fidem damnata est assertio Beguar-  
dorum dicentium, *Quod qualibet intellectualis na-  
tura in se ipsâ naturaliter est beata: quodque anima  
non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum  
videndum, & eo beate fruendum.* Unde contradi-  
ctoria eius de fide est, vt talisque accipitur ab  
Scholasticis cum Magist. in 4. dist. 49. & S. Thom.  
1. p. q. 12. art. 5. Probarique insuper potest ex sa-  
cris Literis. Nam illud Psal. 35. *In lumine tuo  
videbimus lumen.* communiter ad litteram ita in-  
telligitur, vt sensus sit. Per lumen à te nobis in-  
fufum videbimus o Deus te ipsum, qui lumen  
es, lucemque habitas inaccessibilem. Videantur  
ad hunc locum Genebrardus, Lyra, Titelmanus,  
& alij Expositores. Illa etiam claritas Dei, quæ  
cælestem ciuitatem illuminare dicitur Apocalip.  
21. lumen gloriæ, de quo agimus, esse censetur.  
In quo adstruendo etiam conueniunt Patres, Na-  
zian. orat. 10. Ambros. epist. 85. Beda serm. 18. de  
Sanctis, & alij.

11 Ratione etiam theologicâ ostenditur ne-  
cessitas eius, & existentia. Nam, cum visio Dei  
intuitiua supra virtutem naturalem intellectus  
creati sit, vt disp. 17. q. 8. statuimus, utpote do-  
num intrinsecè supernaturale, proindeque trans-  
cendens vires vniuersæ naturæ, iuxta doctrinam  
stabilitam disp. 18. q. 7. nequaquam intellectus  
creatus potest videre Deum, nisi dono aliquo su-  
perioris ordinis diuinitatis illi collato ad eum vi-  
dendum eleuetur, & adiuuetur. Quod donum  
lumen gloriæ vocatur. Adde actus fidei,  
& charitatis iuuantur intellectus, & voluntas su-  
pernaturalibus donis, vt certum in Theologiâ  
est. Ergo potiori iure ad præstantiorem actum  
visionis Dei. Sed an eiusmodi lumen ex mente  
etiam Concilij Viennensis sit qualitas per modum  
habitus permanens, & à Deo infusa supra naturæ  
debitum, vel potius genus aliud auxilij, seu doni  
supernaturalis aut permanentis, aut transeuntis,  
non adeo est inter Theologos exploratum.

12 Nonnulli enim, quos tacito nomine refert  
Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 14. per lumen gloriæ à  
Concilio Viennensi statutum intelligunt lumen Dei  
increatum. Sed ab omnibus rejiciuntur. Pri-  
mò; quia frivulus esset sensus Concilij, nihilque  
referens momenti contra Beguardorum errorem;  
nempe. *Anima indiget Deo ad videndum Deum.*  
Secundò; quia Concilium planè loquitur de lumi-  
ne gloriæ, de quo Theologi communiter. Lu-  
men autem gloriæ, de quo agunt Theologi, mani-  
festè est quid creatum, infusumque à Deo creatu-  
ræ. Tertiò; quia in Concilio sermo est de lumi-  
ne gloriæ eleuante animam ad Deum videndum;  
quale non potest non esse aliquid creatum, & ipsi  
animæ superadditum: cum Deus per se ipsum  
formaliter non sit eius eleuatio, vt est notum.  
Quartò denique quia in illo Psal. 35. *In lumine  
tuo videbimus lumen.* manifestè distinguuntur  
duo lumina; alterum scilicet creatum, & alterum  
increatum.

13 Alij apud Anreolum quodl. 9. art. 1. quibus  
ipse consentire videtur, & fauet Vazq. disp. 41.  
num. 16. & disp. 42. num. 5. censuerunt, per lumen  
gloriæ stabilitum à Concilio ipsam visionem  
beatificam intelligi posse, utpote quæ illustratio,  
& illuminatio quædam intellectus creati est. Sed

malè. Quia Theologi, quibus Concilium annuit,  
nomine luminis gloriæ nequaquam visionem ipse-  
sam intelligunt. Nec dici potest anima indigere  
visione eleuante ad videndum Deum, vt loquitur  
Concilium de lumine. Effet enim ineptissima, &  
extra rem loquutio Concilij, vt apparet.

14 Alij citati etiam à Soar. suppresso nomi-  
ne arbitrantur, per prædictum lumen auxilium  
aliquod actuale, siue concursum per modum  
actus secundi intelligi posse: quibus consentire  
videtur Scot. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 43. q. 1.  
qui, cum existimet, visionem à solo Deo produ-  
ci, habente se merè passiue intellectu creato, nul-  
lum profus lumen admittit præuiam ad produ-  
ctionem visionis. Quare apud ipsam lumen  
quod Concilium requirit aut productio visionis,  
aut visio ipsa debet esse. Sed neque illi bene  
opinantur. Quia communis usurpatio, propria-  
que luminis acceptio, quam abique dubio Con-  
cilium sequitur, ab hac, quam illi assignant, alic-  
na est, vt iam cum communi declaro, & probo.

15 Etenim communis Theologorum sententia  
est, lumen gloriæ repertum in Beatis, de quo  
Concilium Viennense loquitur, habitum quem-  
dam infusum esse supernaturalem, & permanen-  
tem, quo intellectus Beatorum eleuatur, iuuatur-  
que ad videndum Deum. Quod suadetur. Pri-  
mò; quia hoc sensu accipiunt scholastici lumen  
gloriæ communiter; etque sensus magis prop-  
rius: nam, sicut hoc lumen corporeum qualitas  
quædam est præuia ad visionem corpoream; ita lu-  
men beatificum, ad quod à corporeo nomen  
translatum est, qualitas quædam debet esse præ-  
uia ad beatificam visionem, si cum aliqua prop-  
rietate loquendum sit. Concilium autem ab-  
que dubio censendum est loqui de lumine iuxta  
acceptiorem magis propriam, & ab scholasticis  
receptam, Secundò; quia Concilium de lumine  
eleuante animam ad Deum videndum agit. Ni-  
hilo autem magis propriè, quàm habitu iufuso  
dicitur eleuari. Tertiò; quia Concilium duo distin-  
ctè definit, videlicet, visionem Dei non esse nobis  
naturalem, & requiri lumen gloriæ ad Deum vi-  
dendum. In primo & existentia visionis, & au-  
xilij, concursusque Dei ad eam indebiti subaudi-  
tur. Ergo per secundum aliquid aliud asseritur,  
quod nequit esse, nisi habitus præuius ad illam,  
atque permanens. Quartò; quia communi Theo-  
logorum consensu, quorum multi putant esse de  
fide, per habitus infusos, & permanentes eleuan-  
tur potentiæ nostræ ad actus supernaturales fidei,  
spei, & charitatis, aliarumque virtutum. Ergo  
potiori iure ad præstantissimum actum visionis  
beatificæ censendus est intellectus noster pariter  
eleuari tum re ipsâ, tum ex mente Concilij.  
Quinto; quia, licet de potentiâ absolutâ possit  
intellectus noster adiuuus auxilio extrinsecò ab-  
que habitu sibi infuso videre Deum; de quo po-  
steâ: tamen connaturalius est, quod per intrinse-  
cum habitum ad id muneris eleuetur. Ergo de  
facto talis habitus censendus est dari in Beatis: il-  
lumque subinde Concilium nomine luminis in-  
telligere.

16 Propter hæc concors iam Theologorum as-  
sertio est intellectum Beatorum de facto per ha-  
bitum permanentem supernaturalem, & infusum  
eleuari ad videndum Deum; talemque habitum  
nomine luminis gloriæ venire appellandum.  
Quam quidem assertionem multi Theologi, quos  
refert Ægid. Lufit. lib. 9. de Beat. q. 4. art. 2. pro-  
pter definitionem Concilij Viennensis censent esse

de fide. Et quamuis Bann. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. Mol. ibid. disp. 1. Valen. punc. 3. Vazq. disp. 42. cap. 2. Arrub. disp. 20. Soar. lib. 2. de Atrib. cap. 14. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 1. n. 26. & disp. 5. n. 50. Fasol. 1. p. q. 11. art. 5. dub. 1. Heric. disp. 45. cap. 5. Lorin. in Psal. 35. vers. 10. & alij plures arbitrentur, eam ad fidei dogmata non pertinere; eo quod non adeo expressè, & directè continentur in decreto Concilij; plerique tamen damnant oppositam tanquam censurà dignam. Molina enim, & Arrubal temerarium, & periculosum censent, negare Beatis lumen gloriæ per modum habitus infusum. Valentia valde temerarium, & quod contra fidem re ipsa putari possit. Salas non posse excusari ab omni nota, Nazarius, & Ripa non sustineri sine errore, ille contr. 1. concl. 3. hic 1. p. q. 12. art. 5. dub. 2. Egid. denique supra cum alijs planè defendit, esse erroneum.

17 Ex quibus apparet, seueriori adhuc notà dignum esse Durandum in 4. dist. 49. q. 2. opinantem in nostro intellectu vim sufficientem, naturamque efficacitatem esse ad videndum Deum intuitiue, sublato semel per gratiam Dei impedimento, quod pro presenti statu habemus ad illum videndum, absque alio supernaturali dono. Videtur enim doctrina hæc supra dictæ definitioni Concilij planè aduersari. Quocirca illam planè erroneam censet Valentia, & Vazq. erroris notà non carere.

### QUESTIO III.

*Qualiter ad causandam visionem beatificam concurrat lumen gloriæ.*

18 **S**uppono primò tanquam certum, lumen gloriæ non ad solum ornatum, decoremque intellectus Beatorum dari, vt improbabiler dixerunt Mayron, & Bassolis apud Egid. Lustr. lib. 9. de Beat. q. 5. art. 1. Constat enim ex Concilio Viennensi, vt vidimus q. 2. dari illud ad eleuandum ipsum Beatorum intellectum, vt videat Deum; atque adeo vt causet aliquo modo visionem Dei. Caterum, quia intellectus Beatorum bifariam concurrat ad causandam visionem, passiuè videlicet, & actiuè, vt quæst. 1. statutum est,

19 **S**uppono secundò etiam vt certum apud omnes, lumen gloriæ intellectui Beatorum dari, vt illum eleuet, atque adeo adiuet ad causandam effectiuè visionem. Hoc enim ipso, quod Deum videre intuitiue, supernaturale est, & indebitum intellectui creato, supernaturale quoque, & indebitum ipsi est, efficere in se suam visionem; atque adeo, vt eam valeat efficere, eleuatione eget; iuuamineque supernaturali sibi, & indebito: quale lumen est. Vnde, manifestè consequitur, lumen gloriæ simul cum intellectu Beati aliquà ratione concurrere ad efficiendam visionem, intra genus causæ efficientis. Quod etiam apud omnes est in confesso.

20 **S**ed dubitari potest primò, vtrum lumen gloriæ vt causa, an solum vt conditio causandi concurrat ad efficiendam visionem cum intellectu. Secundò dubitari potest, si est causa effectiua visionis, an principalis, an verò instrumentalis

fit. Tertio, an detur, necessariumque sit pro eleuando intellectu non solum ad efficiendam, sed etiam ad recipiendam visionem, ita, vt non solum in genere causæ efficientis, vt fatentur omnes, sed etiam in genere causæ materialis, passiuè, seu receptiuè concurrat ad visionem; idque aut dispositiuè solum, aut etiam receptiuè saltem partialiter.

Suppono tertio etiam vt certum, intellectui creato prout instructo, atque eleuato lumine gloriæ connaturalè esse, & debitam visionem beatificam: quia est connaturalis, & debita ipsi lumen; atque adeo etiam intellectui prout lumine instructo. Vniuersaliter enim accidens indebitum, atque adeo supernaturale naturæ secundum se, consideratæ præcisè, connaturale euadit, & debitum complexo ex naturà, & ex alio quopiam supernaturali, cui illud prout tali naturæ coniuncto connaturale, & debitum est; atque adeo & ipsi naturæ prout per tale quid ad tale accidens eleuatur; tametsi quoad modum loquendi vnus, aut alter scrupulosè, sed plis iusto, videatur procedere. De quo plura Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dubit. 11. & Recupit. lib. 6. q. 17. à n. 7.

His postis, circa primum dubium propositum n. 20. sunt, qui putauerint, lumen gloriæ concurrere cum intellectu ad efficiendam visionem non vt causam, siue principium factiuum eius, sed tantum vt conditionem causandi. Pro qua sententia refert Recupit. ibid. n. 1. Scot. in 4. dist. 14. q. 2. art. 2. Ocham. dist. 13. art. 5. ad 6. Maior. in 3. dist. 14. q. 4. Durand. in 4. dist. 49. q. 2. n. 21. & Aureol. quodl. 9. propos. 1. Contra tamen sententia tribuens lumen concursum effectiuum visionis communis est. Quam tenent Mol. 1. p. q. 12. art. 5. disp. 1. Zumel. q. 2. Soar. lib. 2. cap. 15. Becan. cap. 9. q. 3. Trigol. q. 7. art. 3. dub. 4. Fasol. dubit. 5. Amic. disp. 9. sec. 9. Recupit. supra, Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 3. & apud eos reliqui.

Circa secundum autem dubium propositum n. 20. prima sententia est, lumen gloriæ concurrere ad efficiendam visionem vt causam principalem. Ita Vazq. 1. p. disp. 47. n. 38. Arrub. disp. 19. cap. 7. Machin. disp. 16. sec. 6. Zumel. disp. 2. post 3. concl. Theod. Smifing. de Deo vno tract. 2. disp. 6. q. 4. n. 92. & alij relati suppresso nomine à Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dubit. 8. Secunda verò sententia est, concurrere vt causam instrumentalem. Sic Fasol. ibi, & Recupit. lib. 6. q. 17. à n. 5. Quibus quodammodo consentiunt Soar. disp. 30. Met. n. 45. & Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sect. 11.

Circa tertium denique dubium in eodem num. 20. propositum est prima sententia, lumen gloriæ nullatenus esse necessarium in genere causæ materialis ad hoc, vt intellectus creatus valeat recipere visionem; proindeque neque ad id munus conferri, vt eleuet intellectum, ipsumque inuenit ad eiusmodi receptionem siue vt dispositionem, seu conditionem dispositiuam, siue vt partiale subiectum ipsius visionis. Sic sentiunt Mol. 1. p. q. 12. art. 5. disp. 1. Vazq. disp. 43. Soar. lib. 2. cap. 15. Heric. disp. 45. cap. 3. Tann. disp. 2. q. 6. dub. 4. Fasol. dubit. 4. Arriag. disp. 7. sec. 4. subf. 1. & apud eos alij plures. Pro opposita tamen sententiâ asserente, lumen gloriæ requisitam dispositionem esse, vt intellectus recipiat visionem beatificam; eoque subinde etiam titulo dari, vt ad talem receptionem eleuet illum, stant com.

communiter Thomistæ cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 5. Item Cabrera 3. p. q. 8. art. 2. disp. 8. Ladefma de diuinâ perfectione q. 8. art. 9. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 3. Ægid. Lusit. lib. 9. de Beat. q. 5. art. 9. Valent. 1. p. disp. 1. q. 12. punct. 3. Recupit. lib. 6. q. 16. & alij ab his relati. Addunt nonnulli, quos tacito nomine refert Salas n. 61. lumen gloriæ non solum ad visionem recipiendam intellectum disponere, sed esse insuper simul cum illo subiectum receptiuum eius: consensitque Cabrera supra concl. 3.

25 Præterea dubitatur hic, vtrum lumen gloriæ sit necessaria dispositio ex parte intellectus ad hoc, vt cum illo intelligibiliter vnatur essentia Dei aut per se immediatè, aut mediâ specie intelligibili. Thomistæ, qui speciem impressam essentia Dei negant possibilem, ipsamque essentiam per modum speciei vniri intellectui Beatorum ad causandam visionem, autumant, tanquam necessariam dispositionem ad talem vnionem requirunt lumen gloriæ. Ita cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 5. & lib. 3. contra Gent. cap. 53. & 54. & q. 8. de Verit. art. 3. docent Capreol. Caiet. Ferraz. Bann. Zmel. Ripa. Sot. Nauarræ. Cabrera, Albertin. & alij, quos refert, & sequitur Ægid. Lusit. lib. 9. art. 3. Quibus accedit Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 3. à n. 55. cum alijs. Pro oppositâ tamen sententiâ videtur stare Vazq. 1. p. disp. 43. cap. 3. cum doceat, si essentia diuina suppleret vicem speciei impressæ, superfluum fore lumen gloriæ. Mol. verò 1. p. q. 12. art. 5. disp. 1. Valen. disp. 1. q. 12. punct. 3. Soar. lib. 2. cap. 15. n. 21. Fasol. q. 12. art. 5. dubit. 3. & Heric. disp. 45. cap. 2. veluti mediâ viâ incedentes cum quadam moderatione, & explicatione tuentur sententiam S. Th. vti nos infra, Addit Ægid. casu, quod essentia diuina non per se, sed per speciem impressam vnatur intelligibiliter intellectui Beatorum, vt ipse de facto putat accidere, etiam requiri lumen gloriæ tanquam dispositionem ad receptionem talis speciei. Id quod absque dubio sentiant eundem præcitati Doctores, factâ hypothesi, quod dicta species ponatur in intellectu Beatorum.

Propositio 1.

36 Lumen gloriæ non vt mera conditio, sed vt principium, siue causa concurret simul cum intellectu Beati ad efficiendam Dei visionem.

Probatur primò. Quia lumen gloriæ non aliter eleuat intellectum creatum ad efficiendam visionem Dei, quam supplendo defectum virtutis actiue eius, atque adeò præbendo illi actiuitatem, qua carebat comparatione visionis Dei, idq; non aliter, quam præbendo illi se ipsum. Ipsum ergo actiuitas est ad talem visionem, actiueque subinde ad illam cum ipso intellectu concurret.

37 Secundò. Quia causa effectiua naturâ suâ improportionata ad effectum non aliter ad illum efficiendum videtur eleuari posse, quam per adiutorium sibi indebitum, efficiens simul cum ipsa effectum. Conditiones enim ad efficiendum completam supponunt virtutem factiuam, atque adeò proportionatam iam ad effectum in suo genere. Vnde, non per conditionem, sed solum per concausam sibi adiunctam videtur posse reddi proportionata causa effectiua ad effectum, ad quem ex se improportionata erat. Lumen ergo,

quo intellectus creatus causa effectiua proportionata redditur ad Dei visionem, ad quam ex se improportionata erat, non vt conditio, sed vt concausa cum intellectu ipso concurret ad illam.

28 Tertiò. Quia, vt suo loco latius ostendo, omnis conditio requisita ad causandum ex parte causæ effectiue ad vnâ approximationem, siue applicationem aut physicam, aut intentionalem, reducit, qua illa ad illud, circa quod quoquo modo est operatiua, aliqua ratione approximatur, seu applicatur. Vnde, quando videmus, aliquid ex parte causæ effectiue requisitum esse ad causandum, quod nullo modo est applicatio eius ad id, circa quod operatur, id quidem à nobis, non vt conditio, sed vt concausa requiri, concurrereque, censendum est. Sed lumen gloriæ requisitum est ex parte intellectus ad efficiendam visionem Dei iuxta suppositionem secundam; neque vllum in eo vestigium apparet approximationis ipsius intellectus ad aliud quiddam, circa quod est operaturus, vt satis ex se est notum. Igitur lumen gloriæ non vt conditio, sed vt concausa ad Dei visionem concurrere censendum est.

29 Quartò. Quia omnes habitus infusi, vt fidei, spei, charitatis, & ceteri effectiue, & non vt mere conditiones concurrunt ad eos actus, pro quibus dantur, vt concors Theologorum, sententia est. Sed lumen gloriæ habitus est infusus à Deo pro actu visionis ipsius Dei iuxta dicta q. 2. Igitur lumen gloriæ effectiue, & non vt mera conditio concurret ad ipsam visionem.

30 Obijciunt tamen contra propositionem primò. Præmium est à solo præmiante. Ergo visio Dei non est à lumine. Secundò. Nulla creatura potest beatificare effectiue. Ergo nec lumen efficere visionem: quia effectiue beatificaret. Tertiò. Lumen corporeum concurret ad visionem corpoream vt mera conditio. Ergo & lumen beatificum ad visionem beatificam. Quartò. Lumen se habet in Patriâ, sicut gratia in Viâ. Sed gratia non est operatiua. Ergo nec lumen. Quintò. Lumen neque concurret ad vitalitatem visionis; quia hæc respondet intellectui: neque ad supernaturalitatem; quia hæc respondet obiecto viso. Ergo ad nihil. Sextò. Lumen neque est causa partialis visionis simul cum intellectu efficiens illam; tum quia causæ partiales debent esse eiusdem generis; tum quia lumen seorsim ab intellectu posset partem visionis facere; quod repugnat: neque est causa totalis; cum intellectus visionem faciat. Ergo nulla. Septimò. Intellectus se solo recipit visionem. Ergo & se solo efficit, habente se lumine vt conditione tam ex parte efficientis, quam passiuæ. Octauò. Lumen neque vt causa principalis efficit visionem; quia visionis actus puri solum potest esse principalis causa actus purus: neque vt instrumentalis; quia ad id muneris solus intellectus est satis; cum eo siquidem solo potest Deus facere visionem. Ergo vt nulla.

31 Ad primum respondeo, esse præmium quâ tale formaliter sit à solo præmiante, nihil obesse, quominus illud physicè sit ab aliâ causâ, mediâ qua præmians illud confert. Ad secundum nego, non posse creaturam beatificare effectiue, si id sonet, vt potest, efficere beatitudinem. Ad tertium, quidquid sit de concursu luminis corporei ad visionem corpoream, nego paritatem: quia lumen corporeum se habet ex parte obiecti

visibilis iuuando illud vt mittat ad oculos speciem impressam, per quam visio corporea fit; at lumen beatificum se habet ex parte intellectus iuuando immediatè adiuuandam eius ad faciendam visionem beatificam. Ad quartum dico, lumen se habere in Patria, sicut habitus fidei in Via, qui effectiuus est; non sicut gratia, cui visio beata etiam non factiua responderet. Ad quintum dico, tam lumen, quam intellectum, quam obiectum visum (per se scilicet, aut per sui speciem) ad integram visionem concurrere re ipsa effectiue. Tamen nostro modo concipiendi intellectui vitalitas, obiecto representatio, & lumen supernaturalitas ipsius visionis seorsim possunt attribui. De quo alijs plura. Ad sextum dico, intellectum, & lumen causas partiales visionis dici posse, quatenus ambo indiuisum illam efficiunt; vt planè possunt, quin sint eiusdem generis inferioris genere cause effectiue, cuius eisdem sunt; & quin lumen possit seorsim aliquid visionis efficere. Ad septimum fateor, intellectum se solo recipere visionem; nego tamen, se solo efficere, propter discrimen exhibendum proposit. 3. Ad octauum quid sit dicendum, constabit ex proposit. 2.

## Propositio 2.

32 Aptius loquuntur, qui lumen gloriæ concurrere vt instrumentum Dei dicunt ad visionem beatificam.

Quia visio beatifica vtpote actus vitalis, intellectualisque præsantissimus, ad quem vt ad præcipuum finem cætera supernaturalia donata ordinata sunt, longè maiorem perfectionem, longèque maiorem æstimabilitatem habet haud dubiè, quam lumen gloriæ. Sed omnis causa imperfectior effectu instrumentalis, non principalis reputari solet communiter comparatione illius; eo quòd magis instrumentalis, quam causis principalibus artefactorum assimilatur; à quibus est petenda analogia pro discernendis in naturalibus causis instrumentalibus à principalibus, vt dicebamus q. 1. proposit. 2. Ergo lumen gloriæ comparatione visionis beatificæ instrumentum Dei potius, quam causa principalis, reputandum est, & dicendum, In quo amplius non est morandum; cum semper controuersia hæc sit de nomine.

33 Itaque Deus medijs duobus instrumentis, altero connaturali, quale est lumen gloriæ, altero obedientiali, qualis est intellectus, efficit visionem beatificam vt causa principalis eius. Ex quibus lumen dicitur instrumentum; quia, licet sit causa visionis connaturalis, eoque iure proportionata, exceditur tamen ab illa quoad perfectionem. Intellectus verò dicitur instrumentum; quia, licet excedat visionem quoad perfectionem, vtpote indistinctus realiter à substantiâ intelligentis iuxta meam, & communio-rem opinionem, est tamen causa eius obedientialis, ac proinde improporionata.

## Propositio 3.

34 Lumen gloriæ dispositio requisita est, vt intellectus Beati connaturaliter recipiat visionem beatificam; eoque subinde etiam

titulo datur, vt ad talem receptionem eleuet illum.

Quod vt luculentius appareat, prænoto, intellectum creatum neququam posse connaturaliter recipere in se visionem beatificam, nisi instructum præuio aliquo supernaturali accidente, ratione cuius ei debeatur visionis beatificæ receptio. Ratio est in promptu. Quia potentia passiuæ intellectus creati per se sumptæ, qualiter quid naturale est, non potest esse debita, atque adeo neque connaturalis visio beatifica; alioquin naturæ debita esset contra conceptum supernaturalitatis, quam habet, expositum, & statutum supra disp. 18. q. 7. Ergo, vt sit connaturalis tali potentia, aliquid supernaturale debet in ipsa prius poni, in quo fundetur talis connaturalitas. Ex quo planè sequitur, in omni serie accidentium supernaturalium subordinatorum aliquod eorum necessariò debere conferri naturæ supernaturaliter vndeque abque omni connaturalitate, & debito. Quodlibet enim connaturaliter conferri non potest, nisi procedendo in infinitum; quod tamen repugnat; quia nullum potest esse connaturale naturæ, nisi supponendo in natura aliud supernaturale, ratione cuius ipsi naturæ dicitur deberi, connaturaliterque conuenire, iuxta dictam suppositione tertia. Et quoniam Deus supernaturalia accidentia, quantum fieri potest connaturaliter præstare solet, vt discurrunt per illa cuique conspicuum fiet; & ipse ordinarius modus prouidentia Dei manifestat; quoties de facto videmus duo supernaturalia accidentia cum subordinatione conferri, vt conferuntur lumen, & visio, ea vtique subordinata censenda sunt in ordine, ad omnem potentiam naturæ, cui conuenire conspiciuntur, ita, vt secundum connaturale sit tali potentia ob ius in ipsum, quod illa mutatur à primo, & primum eius conditionis sit, siue talis essentia, quæ tale ius tali potentia præstare valeat.

Hinc lumen gloriæ de facto non solum in genere cause efficientis conducere censendum est ad hoc, vt visio connaturaliter fiat ab intellectu Beati, sed etiam in genere cause materialis ad hoc, vt visio connaturaliter ab ipso intellectu recipiatur. Hoc tamen discrimine, quòd in genere cause efficientis concurrat vt causa efficiens simul cum intellectu visionem, vt proposit. 1. statutum est. In genere verò cause materialis non concurrat vt causa recipiens simul cum intellectu visionem, sed vt mera dispositio, siue vt conditio dispositiua adaptans ipsum intellectum, vt per se solum connaturaliter recipiat illam. Quæ admodum dispositiones naturales adaptant materiam primam, vt per se solum formas naturales recipiat. Quod certè discrimen in ipsa diuersitate generum causandi fundatur. Intellectus enim ex defectu virtutis intrinsecæ improporionata causa est ad faciendam visionem, (sicut & alia quæuis potentia obedientialiter tantum factiua alicuius effectus); atque ita, nisi per virtutem factiuam visionis adiunctam sibi ad eam faciendam, eleuari non potest. Ad eam verò recipiendam per se solum est intrinsecè capax, sicut & ad recipiendum effectum formalem, subeundamve denominationem videntis per illam; (ipse quippe solus est, qui videt, non item aliud quidpiam); ex defectuque proinde solius dispositionis eam connaturaliter exigentis ineptus ad eam recipiendam potest euadere. Sicut materia prima aquæ ex de.

defectu tantum dispositionis connaturaliter requisita ad recipiendam formam ignis ad hanc recipiendam inepta est. Euadet igitur intellectus aptus per lumen ad visionem connaturaliter recipiendam, non tanquam per concausam passiuam, seu receptiuam eius; sed tanquam per dispositionem, cui illa connaturaliter debita est. Ad huiusmodique subinde connaturalem visionis receptionem dispositio requisita illud erit, ut nostra propositio fert.

36 Id quod ex dictis vno verbo probatur primo. Quia ex vna parte huiusmodi connaturalitas non est neganda receptioni visionis, spectato more ordinario prouidentia diuina, iuxta dicta; supposito, quod lumen intuitu eius, & ut quid ipsi subordinatum conferatur à Deo: neque est, cur solum conferatur ad reddendam intellectui connaturalem effectiorem visionis, & non item ad reddendam ei connaturalem receptionem; quandoquidem utraque ipsi est supernaturalis. Ex alia vero parte neque est, unde talis connaturalitas, præterquam à lumine, nascatur; neque est, cur à lumine tanquam à dispositione, cui visio sit debita, nascatur. Ergo.

37 Secundo probari potest ex Concilio Vniuersali. Vbi dicitur, per lumen gloriae eleuari intellectum Beati ad videndum Deum. Sed videre Deum non minus fertur secum receptionem, quam effectiorem visionis per intellectum exercendam, saltem connaturaliter, ut constat. Ergo non solum ad efficiendam, sed etiam ad recipiendam visionem dicendus est intellectus Beati per lumen eleuari ad efficiendam quidem ut per concausam; ad recipiendam, vero ut per dispositionem, ut dictum est. Dico in minore saltem connaturaliter. Quia mea sententia supra q. 1. n. 5. commemorata, ut absque effectiua, ita & absque passiuo concursu intellectus potest à solo Deo de potentia absoluta ipsi visio per creationem communicari; videbitque nihilominus intellectus, & intentionaliter uiuet. Quia visio in suo conceptu neque actionem, neque passionem proprie dicitur cum educiua actione identificatam importat, sed in actu quodam intentionali ab specie expressa indistincto, & se ipso ad instar modi affixi intellectui consistit, iuxta doctrinam generalem tractatam in Pharo Scientia disp. 2. q. 1. propositio 1.

38 Vnde colligo, lumen gloriae ad visionem insuper visionis cum intellectu ab ipsa visione indistinctam esse connaturalem dispositionem; imò ad hanc potissimè, & formalissimè eleuare intellectum iuxta Concilium: cum eleuet ad videndum Deum: idemque sit, intellectum videre Deum, ac sibi vnitam, affixamque habere visionem Dei. Ad hanc autem, compertum est, non posse lumen aliter, quam ut dispositionem eleuare. Siquidem solus intellectus videt; solusque subinde affixam sibi habet visionem, non item lumen. Itaque, si Deus intellectui lumine instructo se solo per creationem visionem infunderet, communicatio visionis formalis ab ipsa visione indistincta connaturalis esset; quia debita; secus communicatio effectiua indistincta à creatione. Quippe intellectui instructo lumine non solum debetur primario communicatio visionis formalis, sed secundario communicatio effectiua; non quidem creatiua, & à solo Deo oriunda, sed educiua, & oriunda ab intellectu, & à lumine; quæ scilicet, & actio sit intellectus simul, & luminis, & passio solius intellectus comparatione visionis.

39 Cæterum contra statutam propositionem.

obiicitur ex Scoto primo. Actus prior est natura, quam habitus, cum hic per illum generetur. Ergo nequit habitus esse dispositio prærequisita ad actum. Secundo. Intellectus per se est susceptiuus luminis absque alia præiua dispositione. Ergo erit & visionis. Tertio. Si lumen esset dispositio ad visionem, visio reciperetur in lumine. At hoc dici nequit. Ergo nec illud. Respondeo ad primum, actum esse priorem habitu acquisito; secus infuso, quale lumen est. Quo subinde ut dispositione potest actus visionis esse posterior. Ad secundum, intellectum per se esse susceptiuum luminis absque alia præiua dispositione, supernaturaliter; secus connaturaliter: qualiter censendus est visionem suscipere iuxta dicta. Ad tertium, nullatenus sequi, visionem recipi in lumine, ex eo, quod lumen sit dispositio ad visionem, ut patet in dispositionibus materiae ad formas naturales nullatenus in illis receptas.

Aduerto ad extremum, eatenus dici à nobis, lumen gloriae esse dispositionem requisitam ad connaturalem receptionem, atque communicationem visionis, quatenus de facto nihil aliud est supernaturale, cui talis receptio, communicatioque sit debita. Si enim aliud quid supernaturale diuersum à lumine, cui esset debita, daretur, ut est citra dubium possibile, cessaret utique ad id muneris necessitas luminis. Quare, absolute loquendo, ad connaturalem receptionem, communicationemque visionis non hoc lumen, quod datur de facto determinatè, sed vel hoc, vel aliud quidpiam æquiualens requisitum esse, dicendum est.

Propositio 4.

Lumen gloriae dispositio etiam est requisita ex parte intellectus Beati ad hoc, ut connaturaliter cum illo intelligibiliter vnatur essentia diuina.

Tunc obiectum quoduis dicitur esse intelligibiliter intellectui vnitum, quando intellectus & obiectum ita se habent, ut ab utroque tanquam ab adequato principio proxime potens sit procreari intellectio, quæ tanquam fetus quidam ab obiecto, & potentia intellectiua velut à quibusdam matre, & foemina aliquatenus inter se copulatis progigni censetur, & nasci iuxta illud Augusti. lib. 9. de Trinit. cap. 12. Siquidem tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito. Bifariam autem potest obiectum vniri potentia intellectiua. Primo per speciem impressam sui, quæ quasi semen quoddam obiecti censetur. Secundo per se ipsum, dum ita illud est intime præsens intellectui, ut nihil iam desideretur, quominus ab utroque intellectio gignatur. Quibus proinde duobus modis considerari etiam potest essentia diuina vnita intellectui creato iuxta diuersas opiniones in ordine ad producendum simul cum illo visionem beatificam. Igitur propositio data ad vtrumque casum extendi censenda est, si vterque casus sit possibilis. Quare maioris distinctionis gratia.

Afero primo consentaneè ad doctrinam traditam circa propositio 3. casu, quod species impressa diuinae essentia sit possibilis, de quo infra q. 6. ut illa connaturaliter recipiatur in intellectu creato, lumen gloriae esse requisitam ex parte eius,

- eius, aut certe supernaturale aliquid lumini æquivalens, cui dicta species debeat. Quoniam cum ea, ut supponimus, sit supernaturalis, intellectui naturali nudè sumpto, connaturalis esse non potest, bene tamen intellectui instructio supernaturali accidente, cui debita sit, & connaturalis talis species.
- 43 Unde secundo assero, si vera est sententia, quæ docet, dari de facto speciem impressam, eamque distinctam realiter à lumine gloriæ, quæ visio beatifica efficiatur, de facto concurrere lumen gloriæ, quod datur, ad talis speciei receptionem, ut quædam dispositio eius. Quia, quemadmodum species impressa naturalis cuiusvis alterius obiecti virtutem completam intellectus solet supponere, eique ratione talis virtutis connaturaliter solet imprimi. Ita credibile est, speciem etiam supernaturalem essentiam divinam connaturaliter infundi intellectui Beatorum, completam prius eius virtute activam, dispositivamque passivam per lumen gloriæ, in quo fundetur talis connaturalitas. Hinc lumen veluti ex parte potentie se habet, species vero veluti ex parte obiecti, quæ ratione infra explicabimus q. 6. Unde nihil mirum, si lumen speciem præcedat, ad eiusque receptionem disponat, ut ea connaturalis sit in sententiâ suppositâ.
- 44 Tertio assero casu, quod Deus per se immediate loco speciei concurrat ad visionem beatificam, quodammodo etiam in hoc, ut Deus in ordine ad talem concursum intelligibiliter vniatur intellectui Beatorum. Quoniam Deus nullo alio modo potest per se coniungi intelligibiliter intellectui Beatorum præ alijs antecedenter ad visionem beatificam, & ad decretum eam producendi simul cum ipso, atque etiam in ipso intellectu, quam posito aliquo, ex quo, & ex intellectu, & ex Deo resultat coniunctum, cui tanquam ad æquale principium productio visionis, atque adeo dictum decretum connaturalia, & debita sunt. Hoc autem aliud esse nequit, nisi lumen, aut quid ei æquivalens, ut pluribus explicabitur infra q. 8. Hoc ergo sensu lumen, aut aliud quid lumini æquivalens dispositio vocari poterit: ex parte intellectus necessaria ad hoc, ut Deus ipsi vniatur intelligibiliter per se immediate absque specie impressa in ordine ad producendam visionem. Quo sensu intelligendus est S. Thomæ lumen gloriæ tanquam dispositionem præviam requirit ex parte intellectus ad hoc, ut essentia divina cum illo intelligi aliter vniatur. Per quæ satis, superque expresse, probataque propositio manet.
- 45 Nec aliud, præter dicta, munus exercet lumen gloriæ circa visionem Dei, ut omnes Auctores unanimiter sentire videntur. Nonnulli enim, qui dixerunt, exercere insuper illud munus causæ formalis, non aliud velle censendi sunt, quam illud ut quandam formam accidentalem intellectui tanquam subiecto, seu tanquam materiæ inhærentem simul cum hoc ad visionem efficiendam aut etiam recipiendam concurrere. Vtrum verò lumen in visione efficienda munus speciei impressæ gerat infra q. 9. examinandum est, Quoties autem S. Thomæ lumen gloriæ vocat medium sub quo visionis Dei, ut 1. p. q. 12. art. 5. ad 2. & q. 18. de Verit. art. 1. ad 1. & quodl. 7. art. 1. aliisque in locis, eo loquendi modo nullum novum munus attribuit lumini, præter superius explicata; sed tantum vult per analogiam quam-

dam, sicut color ab oculis corporis non videtur nisi sub lumine corporeo; ita Deum nisi sub lumine spirituali ab oculis mentis non videtur. De quo plura videri possunt apud Ægidium supra.

#### QUESTIO IV.

*Virum lumen gloriæ, & alij habitus infusi sint tota ratio agendi actus supernaturalis seu intellectus, seu vo-*

**A**ffirmant plerique Thomistæ post Scotum in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. Alvarez de auxilijs disp. 64. concl. 2. & disp. 85. art. 3. Cabrera tom. 1. in 3. p. q. 1. art. 1. disp. 6. dub. 6. Nazari. 1. p. q. 12. art. 5. contra Joann. à S. Thom. ibi disp. 14. art. 2. Curfus Carmelit. ibidem, & alij Recentiores communiter. Pro negatiua tamen parte stant omnes nostræ Societatis Doctores, quorum longum syllabum refert Ripalda de Ente supern. disp. 30. sec. 2. Ex reliquis autem fere omnes, qui rem attingunt, quorum multos refert etiam Ripalda sec. 20. & 21. Quibus adde Arriag. 1. p. disp. 7. sec. 3. Recupit. lib. 6. q. 6. & 18. Quied. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punct. 1. & ceteros omnes Recentiores.

Hic potest esse duplex questio. Altera de re, & satis graui. Altera de modo tantum loquendi. De re quidem, utrum potentia naturalis, intellectus scilicet, aut voluntas creata, effectiue per se concurrat simul cum habitu sibi infuso ad actum supernaturalem, ita, ut actio factiua huius non à solo habitu, sed insuper à potentia naturali, atque adeo à coniuncto ex illâ, & ex habitu physicè oriatur. Vel solus habitus sit, qui physicè efficit actum: potentia autem naturalis non aliter concurrat ad illum, quam sustentando habitum ipsum in se receptum; ad eummodum, quo solus calor receptus in aqua calefacit corpus sibi applicatum efficiendo in eo alium calorem, ad quem aqua nullo alio modo concurrat, quam sustinendo calorem factiui eius tanquam illius subiectum. De modo autem tantum loquendi erit questio, si, semel statuto, quod potentia naturalis per se concurrat simul cum habitu ad efficiendum actum ita, ut actio factiua actus à coniuncto ex potentia, & habitu indiuisim nascatur; controuertatur, an habitus solus nihilominus dicendus sit tota ratio agendi, potentia autem neque partialis causa factiua actus dicenda sit formalis, & proxima, sed tantum radicalis, & remota; eo quod habitus est, qui potentiam eleuat ad totum, quod in actu fit, nihilque ipsa præstare valet, nisi eleuata per habitum: vel potius opposito modo loquendum sit.

Igitur, quod ad priorem questionem attinet, censendum arbitror, Thomistæ commemoratos pro primâ sententiâ ab Auctoribus pro secundâ citatis nullatenus dissidere re ipsâ: id quod illorum verbis relatis, probat Quiedo supra. Non enim censendi sunt negare dicti Thomistæ (quippe negare nequeunt catholicè, ut apparebit ex dicendis), influxum effectiuum potentie naturalis in actum supernaturalem, quem ceteri dicti Auctores conantur adstruere: cum sæpe illum confiteantur expresse, prout in eorum scriptis apparet; tametsi penes loquendi modos, quibus

vtuntur, & in quibus à cæteris discrepant Aucto-  
ribus, interdum videntur negare. Quod est, eos  
cum cæteris Auctoribus, quod attinet ad poste-  
riorem quæstionem, quæ solum est de modo lo-  
quendi, non conuenire.

49 Ut ergo perspicue determinem, quid in præ-  
fenti controuersia tum de re ipsa, tum etiam de  
modo loquendi tenendum sit, suppono primò vt  
prorsus certum, id, quod per se immediatè non  
efficit aliquem effectum, neque vllò modo efficit  
illud, à quo talis effectus fit immediatè, neququam  
dici posse ad talem effectum effectiue concurrere.  
Quia alius modus non est concurrendi effectiue  
ad effectum, quam vel faciendo ipsum immediatè,  
vel faciendo id, à quo ipse fit: quod est ip-  
sum facere mediatè. Hinc aqua calida nullatenus  
concurrit effectiue ad producendum calorem in  
alio corpore, cui applicatur: quia neque illum,  
neque alium, à quo ille fit, facit ipsa: tametsi  
aliter, quam effectiue, ad calorem factum con-  
currere dici possit; quatenus calorem efficientem  
sustentat vt subiectum eius. Cum ergo potentia  
naturalis nullatenus efficiat in se habitum infusum  
sed penitus recipiat illum à Deo, vt est certissi-  
mum; si ipsa per se immediatè simul cum habitu  
non faciat actum supernaturalem, quem facit  
habitus, nullatenus ipsa talis actus factiua erit:  
quia neque proximè, neque remotè ad eum con-  
curreret effectiue. Vnde vel neganda est omnis acti-  
uitas potentie naturalis in actum supernaturalem  
oriundum ab habitu in eà recepto, vel conceden-  
da actiuitas immediata: remotam enim habere  
non potest; quandoquidem ipsa nullo modo effi-  
cit habitum.

50 Suppono secundò, bifariam posse dici cau-  
sam partialem comparatione effectus. Primò,  
quia ipsa per se non ad totum effectum, sed ad  
partem tantum eius concurrit. Secundò, quia  
licet ipsa concurrat ad totum effectum, non ta-  
men se sola, sed simul cum alià concurrit; atque  
ita integrè, & totalis causæ talis effectus ipsa  
pars est. Priori modo dicitur causa partialis par-  
tialitate effectus. Posteriori autem partialis par-  
tialitate causæ. Quæ loquutiones vniuersalissimè  
acceptæ aptissimè sunt ad loquendum cum distin-  
ctione in materia de causis; dummodò semper  
vsurpentur intra idem genus causandi, efficienter  
scilicet, vel materialiter, vel formaliter, vel fini-  
tè. Causa enim vnus horum generum com-  
parata ad causam alterius non solet appellari par-  
tialis; tametsi vna sine alià nequeat causare effe-  
ctum. Hinc fit, supposito, quòd potentia natu-  
ralis, & habitus infusus intra idem genus causæ  
efficientis concurrunt ad actum supernaturalem,  
licet nihil in actu efficiat potentia, quod non  
facit habitus, optimè posse vtrumuis eorum  
causa partialis talis actus partialitate causæ vocari;  
tametsi non item causa partialis partialitate  
effectus.

51 Suppono tertio, qua ratione vera est senten-  
tia communior, quæ affirmat, perfectionem  
actus supernaturalis taxari penes perfectionem  
habitus, à quo procedit, quidquid sit de perfe-  
ctione maiori, aut minori potentie, à qua etiam  
nascitur per talem habitum eleuatà; de quo nos  
infra disp. 21. eà ratione dici posse in bono sensu,  
habitum esse totam rationem agendi actum su-  
pernaturalem tantæ perfectionis præ alijs: non  
quòd ipse solus eum agat, sed quòd ab ipso solo  
sumatur ratio, cur talis actus cum tantà perfe-  
ctione, præ alijs alijs possibilibus tali potentie, ab

ipso simul, & à potentia prodeat in lucem. Quem  
admodum obiectum solum formale, siue motiuum  
dicitur bene tota ratio terminandi hunc actum,  
amoris præ alijs; tametsi non ipsum solum, sed  
simul obiectum materiale terminet illum: quia  
ipsum solum est, quod voluntatem mouet, de-  
terminatue ad talem actum. His positis fit.

Propositio I.

Aliquam potentiam naturalem ad ali- 52  
quos actus supernaturales effectiue concur-  
rere simul cum adiutorio gratie, per quam  
ad illos eleuatur, ab omnibus omnino Ca-  
tholicis tenendum necessariò est.

Primò. Quia id manifestè colligitur ex plu-  
rimis sacre Scripturæ locis. Sit vnus pro omnibus  
ille Pauli 1. ad Corinth. 15. *Abundantius illis om-  
nibus laboraui: non ego autem; sed gratia Dei me-  
cum. Id est,* (inquit Aug. de grat. & liber. arbit.  
cap. 5.), *non solus; sed gratia Dei mecum: ac per hoc  
non gratia Dei sola, nec ipse solus; sed gratia Dei  
cum illo.* Et Bern. de grat. & liber. arbit. sub fi-  
nem, *Maluit dicere mecum presumens, se non solum  
operis esse ministrum per effectum, sed operantis quo-  
dammodò socium per consensum.* Et Gregor. lib. 16.  
Moral. cap. 12. *Non enim diceret mecum, si cum  
preueniente gratiâ subsequens liberum arbitrium non  
haberet.* Esse etenim hic sermonem de operibus  
supernaturalibus, ac meritorijs vite æternæ à  
voluntate Apostoli simul, & à gratiâ effectiue  
oriundis, cunctis compertum est.

Secundò. Quia Ttid. sess. 6. cap. 5. planè 53  
definit contra Lutherum, & Caluinum, homi-  
nem gratia excitanti, atque adiuuanti liberè assen-  
tiendo, & cooperando disponi. Et can. 4. *Si quis,  
inquit, dixerit, liberum hominis arbitrium à  
Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentien-  
do Deo excitanti, atque vocanti, quo ad iustifi-  
cationis gratiam se disponat, ac prepararet; neque  
posse dissentire, si velit; sed veluti inanimè,  
quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se ha-  
bere, anathema sit.* Et Concilium Senonense Prol.  
col. 2. sine. *Debuerat certè Lutherus ex Apostolo  
nosse, ita necessariam esse diuinam gratiam ad bene  
operandum, vt cum eà tamen liberum arbitrium bo-  
num opus efficiat.* Quibus manifestè decernitur,  
voluntatem humanam simul cum adiutorio gra-  
tie ad opera meritoria, atque adeò supernatura-  
lia effectiue concurrere.

Tertio. Quia Sancti Patres passim docent, 54  
facultatem homini conuenire ad opera superna-  
turalia efficienda in partem, innatam, seu natura-  
lem, atque adeò distinctam præcisè spectatam,  
à facultate supernaturali, & extraneâ, quam  
accipit ab adiutorio gratie. Sæpe etiam expres-  
sius docent, naturam rationalem simul cum gra-  
tiâ ad opera pietatis, & meritoria, atque adeò  
supernaturalia effectiue concurrere, vt multis eo-  
rum testimonijs relatis latè probat Ripal. supra  
sect. 7. & sequentibus.

Quarto. Quia sæpe in Scripturis, & à san- 55  
ctis Patribus asseritur, ita Deus per suam gratiam  
operari in nobis opera bona, atque adeò super-  
naturalia, vt & nos ipsi, eiusque gratie coope-  
remur ad talia opera efficienda. Vnde etiam  
sæpe eiusmodi opera nostra dicuntur, nobisque  
vt aliquid de nostro in illa simul cum gratiâ con-  
ferentibus attribuuntur. Ob idque sæpe etiam  
in

- in sacris Literis, & à sanctis Patribus gratia diuina non totalis, & adæquata, sed inadæquata, & partialis causa nostrorum operum adstruitur, utpote efficiens illa non sola, sed simul cum nostrâ voluntate. Quæ omnia multis illustrat idem Ripalda sec. 9. 10. & 11.
- 56 Quinto. Quia, ut constat ex Concilijs, Patribus, & Theologis, propria sunt munia diuinæ gratiæ nos excitare, & adiungere, atque nobiscum cooperari ad salutaria opera, atque adeo supernaturalia efficienda. Quod stare non posset, nisi nos ad talia opera cum ipsâ gratiâ effectiue concurreremus, ut & ex se patet, & pluribus ponderat Ripal. sec. 12.
- 57 Sexto. Quia actus vitales, quales sunt supernaturales intellectus, & voluntatis, absque concursu effectiue intellectiue, volitiueque facultatis connaturaliter saltem stare non possunt titulo vitalitatis, quam habent. Qui autem sunt voluntarij, & liberi, & meritorij, nullo modo existere possunt absque effectiue influxu voluntatis volentis liberè, & merentis, ut satis ex se est manifestum. Quomodo enim mihi erit liberum, & imputabitur ad meritum id, quod ego non facio? Ob id consequenter hæretici negantes nostrâ voluntati concursum effectiue in operâ gratiæ, confestim negant libertatem; errarunt tamen sicut in secundo, & in primo; sicque in utroque damnati sunt per Trid. vbi supra. De quibus etiam latius Ripal. sec. 13. 14. & 15.
- 58 Septimo. Quia species impressa naturalis ad cognitiones supernaturales concurrat effectiue adiuta supernaturali principio earumdem cognitionum, ut sec. 16. bene probat Ripalda. Ergo potiori iure intellectus per tales cognitiones intelligens; pariterque subinde quævis potentia naturalis ad suos actus supernaturales concurrat.
- 59 Octauo. Quia actus supernaturalis de potentia absolutâ potest effici à potentia naturali adiuta non per habitum infusum, sed per auxilium merè extrinsecum Dei, ut ostendimus q. 5. Ergo inest ei insita virtus factiua talium actuum, Absque virtute enim aut insitâ, aut adiunctâ nullo sensu dici potest quidpiam efficere aliud, ut est notissimum.
- 60 Nono. Quia nihil est, quod vetet, actum supernaturalem per potentiam naturalem effici; dummodo ea per aliquid supernaturale, ipsique indebitum ad illum faciendum adiuuetur, atque adeo eleuetur: potest quippe ab illâ ita adiuta fieri, & nihilominus ipsi supernaturalis esse, & indebitus, vti est adiutorium ipsi tributum, sine quo illum se solâ non posset facere. Et quidem, ut non est necesse, quod omnes causæ effectiue concurrentes ad actum vitalem sint vitales; siquidem aliquæ non vitales, ut species impressæ, & habitus ad illos sic concurrunt, ut constat: ita non est necesse, quod omnes causæ effectiue concurrentes ad actum supernaturalem sint supernaturales; sicque proinde ad illum optimè potentia naturalis concurrere poterit.
- 61 Decimo denique. Quia inter reliquos Sanctos, & Theologos planè pro propositione datâ stat S. Th. multis in locis, ut apud Ripald. sec. 19. videre est.
- 62 Verùm contra statutam propositionem obijcitur primò illud Apostoli ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ÷ sunt filij Dei.* Quo significatur, filios Dei in suis operationibus non agere, sed agi. Secundo illud ad Rom. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Quo in solum Deum referuntur opera salutaria nostra. Quemadmodum & 1. ad Corinth. 4. dum dicitur, *Quis enim te discernit? Quid autem babes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Et ab Ecclesiâ sic orante, *Deus, cuius est totum, quod est optimum, &c.* Terriò obijciuntur multi Patres, qui opus salutis non diuisum cum arbitrio, sed totum, & integrum gratiæ diuinæ attribuunt. Quarto. Error Pelagianorum est, naturam posse quidpiam facere, quod salutare sit. Semipelagianorum autem diuidere inter naturam, & gratiam opus salutis. Igitur gratiæ dumtaxat ut efficienti debet istud opus attribui. Quinto. Natura factiua non est actus supernaturalis titulo supernaturalitatis, ut constat. Sed nec titulo vitalitatis; quia hæc etiam est supernaturalis. Ergo nullo. Sexto. Si natura efficeret actus supernaturales, quo illa præstantior esset, hi essent præstantiores. Sed non ita euenit: quia cum æquali lumine gloriæ non est præstantior visio beatifica Angelica, quam humana. Ergo. Septimo. Natura non operatur actum supernaturalem, nisi eleuata. Ergo habitus eleuans est tota ratio, totaque virtus operandi. Octauo. Habitus non est magis supernaturalis, quam actus. At esset, si actus fieret etiam à naturâ: ut sic enim euaderet mixtus ex naturalitate, quam mixturam non habet habitus. Ergo. Nono. Natura intrinsecè est improporcionata ad efficiendum quidquam supernaturale, etiam in genere causæ partialis; alioquin deberetur ei complementum ad id producendum. Ergo neque ut causa partialis potest ad illud efficiendum concurrere. Decimo. Si natura simul cum habitu efficeret actum salutarem, ab eâ euaderet hic naturalis: quia effectus sequitur debiliorem partem; sicut conclusio: fieretque, ut nullus actus salutaris supernaturalis esset. Quod est absurdum.

Respondeo ad primum, agi iustos Spiritu Dei apud Paulum ibi, aliud non esse, quam eos inclinari, induci, & moueri spiritu Dei ad bene operandum; atque adeo, ut ita moti, seu acti agant, non ut merè pariantur. Ad secundum dico, per ea verba Apostoli, & Ecclesiæ, eatenus in Deum solum referri opera salutaria nostra, quatenus solus Deus suâ gratiâ præuenit voluntatem nostram, & citra omne nostrum meritum, ac nihil profus conferentibus nobis in eiusmodi præuentionem gratuitò dat nobis ea comprincipia, & auxilia, quibus nos infallibiliter cooperaturos præuider: in quibus subinde quasi in semine nostram etiam nobis donat cooperationem; eiusque idcirco primaria, & principalis causa effectiua est: quin id obstat, quominus nos quoque simus causa effectiua eius minus principalis, & secundaria. Id quod etiam sibi volunt Patres, dum opera nostra salutaria soli diuinæ gratiæ adscribunt. De quo plura Ripal. supra sec. 22. 24. & 28. & omnes nostri in materiâ de Auxilijs. Unde etiam patet ad tertium. Ad quartum dico. Pelagianos naturæ seorsim à gratiâ tribuisse omnes actus salutares: Semipelagianos autem aliquos, non tamen omnes, sic inter naturam, & gratiam diuidentes. In quo errarunt vtrique. Nos verò catholicè non naturæ seorsim à gratiâ, sed naturæ prout coniunctæ cum gratiâ, prout eleuataeque per illam opera salutaria tribuimus. Ad quintum respondeo, eodem arguendi modo venire probandum contra arguentem, habitum infusum factiuum non esse actus supernaturalis, utpote.



utpote cuius etiam supernaturalitas vitalis est. Atque ita dicendum pro omnibus, actum supernaturalem vitalem realiter loquendo titulo totius suæ essentia realis esse factibilem à coniuncto ex potentia naturali, & habitu infuso: cuius coniuncti partes ambæ ad totum actum, atque adeo tam ad supernaturalitatem, quam ad vitalem, eius concurrunt, utpote quæ realiter prorsus sunt idem. Tamen, loquendo formaliter, seu prout à nobis concipiuntur formalitates istæ, vitalitas potentia naturali, supernaturalitas autem habitui infuso soleant attribui. Quo etiam pacto dici potest habitus concurrere ad actum titulo supernaturalitatis, & potentia titulo vitalitatis. Nec refert, supernaturalitatem esse vitalem, & vitalitatem supernaturalem. Quia vel id solum est verum in sensu physico; vel si etiam in formali titulo transcendentia earum formalitatum: cum hæc non per inclusionem, sed per adiectionem, peragatur iuxta doctrinam à nobis statutam in Pharo Scient. disp. 17. q. 20. adhuc superest locus præcisioni, sub qua sola supernaturalitas habitui, & sola vitalitas potentia per rationem nostram possint attribui. Ad sextum dico, ex eo, quod natura simul cum habitu actus supernaturales efficiat, non sequi, eò præstantiores debere esse actus, quò præstantior natura est, ut videbimus disp. 21. q. 3. Ad septimum, concedo, naturam operari elevatam per habitum; nego tamen, habitum esse totam rationem agendi eo sensu, ut habitus solus sit causa operis effectiva. An vero alio sensu sit, patebit ex dicendis. Ad octavum respondeo, ex eo, quod actus fiat simul à natura, & ab habitu, nec sequi, esse eum mixtum ex naturalitate; nec sequi, esse eum minus supernaturalem, quam habitum. Quia totus nihilominus eandem indebitus nature, ac tam indebitus, quam habitus. Sicut ex eo, quod homo fiat simul ab alio homine, & à Deo, nec sequitur, eum esse mixtum ex humanitate, & Deitate; nec sequitur, esse minus, aut magis hominem, quam, si à solo Deo fieret. A causis quippe aut dissimilibus, aut inæqualibus; nihil verat, produci effectus inter se similes, & æquales, aut absolutè, aut quoad aliquod sui prædicatum. Ad nonum dico, naturam in genere causæ partialis complendæ per concausam indebitam sibi, & supernaturalem non esse, improprietatam ad actum supernaturalem: quia per huiusmodi concausam adiunctam sibi elevatur; & pars proportionata manet causæ adæquate talis actus. Tamen in genere causæ partialis complendæ per concausam debitam sibi improprietatam sit: quia per nullam concausam debitam sibi potest ad talem effectum adhuc ut pars causæ totalis factiva eibus proportionata reddi. Ex eo autem, quod natura virtutem intrinsecam partialem habeat ad efficiendum simul cum alio complemento actum supernaturalem, non sequitur, ei tale complementum debitum iri: quia talis virtus non est naturalis comparatione talis effectus; prout ad eiusmodi debitum fundandum requirebatur, sed obedientialis, & inchoata. Cui, sicut effectus ipse est indebitus, ita & complementum requisitum ad illum efficiendum indebitum est. Ad decimum, nego, effectum sequi debiliorem partem quoad quamvis perfectionem, ut patet in intellectione vitali facta ab intellectu vitali simul, & specie non vitali. Tamen conclusio sequatur debiliorem partem quoad necessitatem, & falsitatem. Discrimen est conspicuum: quia aggregatum bene potest esse perfectum per-

fectione effectui à se oriundo communicanda; etsi non omnes eius partes pariter sint perfectæ. At nequit esse necessarium, aut verum necessitate, aut veritate conclusioni à se inferendæ communicanda, nisi omnes partes eius pariter sint necessaria, & veræ, ut satis ex se notum est. Quocirca, deficiente in aliqua parte aggregati necessitate, vel veritate, conclusio ex illo inferenda nequit esse necessaria, vel vera. Deficiente verò in aliqua parte aggregati tali, vel tali alterius generis perfectione, bene potest effectus ab illo oriundus ab eodem illam sortiri, utpote habente nihilominus illam à cæteris partibus. Ex his, si quæ alia opponantur, facile à quolibet diluentur.

Ex dictis autem circa præsentem propositionem inferitur, etsi fortasse sit probabile propter auctoritatem Doctorum, quos q. 1. retulimus, intellectum Beati ad visionem beatificam non effectivè, sed solum passivè concurrere, ipsam solo Deo efficiente per se, & medio lumine, & gloria à se infuso. Nequaquam tamen esse probabile, ad omnes actus supernaturales solos habitus infusos effectivè concurrere citra omnem concursum effectivum potentiarum naturalium, quibus à Deo infunduntur. Constat enim ex dictis, catholicè tenendum esse, ad actus saltem salutares, & meritorios vitæ æternæ voluntatem humanam concursum aliquem effectivum præstare, nec merè passivè se habere. Id quod à nullo Thomistarum negari, sicut neque ab ullo alio Catholico, procul dubio censendum est iuxta dicta n. 48.

Propositio 2.

Concursus effectivus, quem præstat potentia naturalis simul cum gratia, quæ elevatur ad actus supernaturales, immediatus est.

Hanc propositionem probant imprimis fere omnia, quæ pro præcedente protulimus. Quia, pleraque eorum, non quidem remotum, siue mediatum, sed proximum, & immediatum concursum effectivum tribuunt nature in actus supernaturales. Qualia sunt, quæ ponunt naturam cooperantem gratia, & gratiam cooperantem nature, atque adeo utramque simul, & indivisim, & æquè immediatè operantem: id namque planè est, duo quæpiam sibi in vicem cooperari. Et cætera huiusmodi.

Deinde probatur ex dictis supra suppositione primâ. Quia alius modus non est faciendi aliquem effectum, quam vel immediatè, siue proximè, vel mediatè, siue remotè, ut constat. Sed potentia naturalis non facit actus supernaturales mediatè solum, siue remotè, & tamen facit, ut modo iam ponimus. Ergo facit immediatè, siue proximè. Quod non faciat mediatè solum, siue remotè inde ostenditur: quia ad id opus erat, quod ipsa non faciendo per se ipsos actus, faceret habitus infusos, aut etiam alia dona gratia, à quibus illi citra dubium immediatè, & proximè fiunt. At, ipsam huiusmodi habitus infusos, & dona gratia non facere, certissimum est: quia infunduntur à solo Deo. Ergo.

Dices: Anima mediâ voluntate à se realiter distinctâ, non autem per se immediatè efficit actus suos liberos volitionis, & nolitionis; & tamen absolutè dicitur facere illos, ipsique ad ræ-

ritum, vel demeritum sunt imputabiles. Quia voluntas est quasi instrumentum ipsi à natura datum ad tales actus efficiendos; quod autem sit medio instrumento, à causà, cuius illud est instrumentum, dicitur absolute fieri, eidemque etiam absolute imputatur ad meritum, vel ad demeritum, cum liberè sit. Igitur, etiam ipsa voluntas ad actus supernaturales efficiendos per se immediate non concurrat, sed medijs dumtaxat habitibus infusis à Deo; absolute nihilominus dici poterit illos facere, ipsiq; ad meritum imputabiles esse poterunt. Quia tales habitus veluti instrumenta quædam sunt ipsius voluntatis à Deo data ad efficiendos eiusmodi actus. Ita philosophari videntur nonnulli Thomistæ.

68 Sed contra primò. Quia falsum est, voluntatem realiter esse distinctam ab anima, sicuti ab ipsà voluntate habitus infusus distinctus est, vt constat ex dictis à nobis in Pharo disp. 1. q. 1. Contra secundò. Quia estò voluntas realiter distinguitur ab anima, non potest non anima ipsa per se immediate simul cum voluntate concurrere ad efficiendos suos actus volitionis, & nolitionis, vt hi sint illi liberi, & imputabiles, vt etiam constat ex dictis loco citato. Contra Tertio. Quia dato, quòd anima non sit per se immediate simul cum voluntate effectiua suorum actuum, adhuc superest titulus, ob quem anima, loquendo absolute, causa effectiua suorum actuum esse dicatur; nimirum, quia effectiua est ipsius voluntatis tanquam propriæ passionis à se naturaliter emanantis: atque ita verè est causa remotè efficiens quiddam voluntas efficit proximè. At voluntas nullo titulo dici potest causa effectiua effectuum habitus sibi infusi, si per se immediate non facit illos simul cum habitu; quia vt sic nec proximè influit effectiue in eos, vt ponitur, nec remotè, cum effectiue non influat in ipsum habitum. Sed estò dicatur voluntas, licet improprie, efficere actus supernaturales ex eo solum, quòd in se habeat receptam gratiam Dei, per quam illi vnice sunt: sicut etiam dici solet aqua calefacere ex eo solum, quòd in se habet receptum calorem, per quem vnice fit calefactio. Contra quartò. Quia voluntatem hoc pacto per gratiam Dei in se receptam agere, aperte fatebatur Caluinus, vt recitatis eius verbis probat latè Ripal, supra sec. 5. & 6. Et tamen negabat libertatem, planè perspiciens, hunc modum agendi voluntatis per solam gratiam in se receptam ad libertatem non sufficere; cum potius aliud non sit reuera, quam voluntatem pati tum gratiam, tum opus per gratiam in se factum, atque adeò merè passiuè se habere. Quocirca Caluinus, & sui vt desertores tum libertatis, tum verè, & propriæ actiuitatis voluntatis damnantur à Tridentino vbi supra. Adde, errorem hæreticorum, quem damnare intendit Concilium, in eo consistere, vt bene etiam probat Ripalda ex eorum verbis loco citato, quòd negarent immediatam cooperationem, actiuitatemque voluntatis cum gratià Dei, attribuentes soli gratiæ opera nostra. Huiusmodi ergo immediata cooperatio, & actiuitas est, quam definit Tridentinum; quamque Scriptura, & Patres Ecclesiæ supra à nobis commemorati conantur adstruere.

69 Vt hinc appareat, quam malè Thomistæ aliqui absolute pronunciant, potentias naturales non proximè, & formaliter, sed remotè tantum, & radicaliter concurrere simul cum habitibus infusis ad actus supernaturales. Constat enim ex

dictis, necessariò ferendum esse, concurrere eas proximè, atque adeò formaliter, concursu scilicet effectiue, de quo sermo est. Quòd si, dum dicunt, concurrere remotè tantum, & radicaliter, dumtaxat volunt, concurrere eas non se solis, sed simul cum habitu, quo eleuantur, & adiuuantur, atque ita interveniente quodammodo habitu ipso, improprissimè sanè loquantur. Quia concursus remotus is solum cum proprietate appellatur, quo primum eatenus ad tertium, & sequentia concurrere dicitur, quatenus concurrat ad secundum concurrere ad illa. Quod in præsentem non guenit.

## Propositio 3.

Potentia naturalis, & habitus infusus illiusdem indiuisum, & per se immediate concurrunt ad efficiendum actum supernaturalem, bene à multis Doctoribus appellantur causæ partiales eius.

Hæc propositio ex suppositione secundà supra factà constat: nec maiore eget probatione. Quæ autem à Thomistis supra citatis præsertim à Nazario obijciuntur contra illam, modis tantum loquendi hærent, leuioraque proinde ad rem sunt, quam vt in eis expediat morari.

## Propositio 4.

Lumen gloriæ in bono sensu dici potest esse tota ratio agendi visionis beatificæ, non absolute, sed prout est tantæ perfectionis præ alijs maioris, aut minoris, quamuis non est integra causa actiua eius. Non verò itidem alij habitus ad actus supernaturales liberos voluntati infusi.

Prior pars propositionis inde probatur. Quia, vt infra disp. 21. q. 3. statuemus cum sententiâ magis communi, penes perfectionem luminis taxatur perfectio visionis; quiddam sit de perfectione maiori, aut minori intellectus Beati; atque ita à solâ quantitate luminis venit petenda ratio, cur visio tantæ perfectionis præ alijs ab ipso lumine simul, & ab intellectu Beati prodeat in lucem, prout supra etiam dicebamus suppositione tertiâ. Hoc autem in habitibus ad actus supernaturales liberos infusis voluntati non habet locum, Quia hi pro nutu voluntatis determinantur ad operandum; atque adeò non necessariò exercent in actus, quos causant, totam suam actiuitatem, sed maiorem, vel minorem, penes maiorem, vel minorem ipsius voluntatis conatum; ab istoque potius, quam à quantitate habitus taxatur mixatur plerunque perfectio actus producti, vt pluribus est explicandum q. citatâ. Vnde

secundâ pars propositionis probata manet.

QVÆSTIO V.

*Virum intellectus visionem Dei, & vniuersim quæuis potentia naturalis suos actus supernaturales absque omni auxilio supernaturali intrinseco possit efficere.*

72 **Q**uæstio est de potentia absolutâ. Nam de ordinariâ certum est, neque intellectu sine lumine gloriæ visionem, neque vllam potentiam naturalem sine habitu sibi infuso aliquem supernaturalem actum efficere posse, vt constat tum ex statutis à nobis q. 2. & 3. tum ex ijs, quæ docent Soar. lib. 6. de Grat. cap. 3. Coninc. 2. 2. disp. 6. dub. 1. & 2. & alij Theologi communiter, cum agunt de huiusmodi habitibus. Dico autem, auxilium intrinsecum vniuersè quoduis comprincipium potentia naturali inherens, & effectiuum simul cum illâ actus supernaturalis; siue illud sit habituale, siue actuale, siue permanens, siue transiens. In eo enim quæstionis difficultas consistit, an absque omni huiusmodi comprincipio possit diuinitus natura actus supernaturales efficere adiuta solum per voluntatem, & omnipotentiam diuinam. Possit enim naturam id prestare absque habitu permanente, quails infunditur ei defacto, dummodò per quiddam aliud æquiualens, & ipsi pariter intrinsecum defectus talis habitus suppleatur, concors Theologorum sententiâ est, vt cum alijs notat Ripal. disp. 34. de Ente supern. sec. 1.

73 **I**gitur intelli Thomistæ præsertim recentiores omnino impossibile reputant, aliquem actum supernaturalem à naturâ effici nullo supernaturali auxilio intrinsecè instructâ, sed tantum extrinsecè adiutâ per voluntatem, aut omnipotentiam diuinam. Ita Bann. 1. p. q. 12. art. 5. dub. 3. Albelda disp. 27. sec. 3. Nazar. contr. 2. Ioan. à S. Th. disp. 14. Carmelitani tract. 2. disp. 4. dub. 4. & 5. Aluar. de Auxilijs disp. 67. Nauarret. tom. 1. contr. 39. §. 1. & 2. & alij. Communis tamen reliquorum Theologorum etiam Thomistarum sententiâ oppositum docet. Pro qua 44. doctores refert Ripal. disp. 34. citatâ sec. 3. Eam tenent Scot. cum suis, Nominales, & præter Palatium asserentem, nullam priscorum Theologorum oppositum sensisse, Angles, Trigos, Ioannem de Neapoli, Zumel, Lorcarn, Arag. Montes. Ripam, & alios huiusmodi Thomistas, tenent ex nostris Fonseca, Valen. Mol. Vazq. Soar. Salas, Alberti. Becan. Arrub. Lorin. Turtian. Quos referunt, & sequuntur Fasol. 1. p. q. 12. art. 5. dubit. 12. Herice disp. 47. cap. 2. Gran. disp. 6. de Visio. sec. 4. Tann. disp. 2. q. 6. dub. 3. Alarc. tract. 1. disp. 3. cap. 4. Ruiz disp. 36. de Prouid. sec. 2. & 3. Ripal. supra. Ouied. 1. 2. tract. 1. contr. 8. pun. 2. Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sec. 12. Martinon disp. 8. sec. 2. Recupit. lib. 6. q. 18. & alij Recentiores. Cum quibus etiam sentit Ægid. Lusit. lib. 9. de Beat. q. 6. s. 5. quoad cæteros actus supernaturales, præter visionem Dei, quam exceptit.

Propositio 5.

Intellectus visionem Dei, & vniuersim 74 quæuis potentia naturalis suos actus supernaturales potest diuinitus efficere extrinsecè tantum eleuata per omnipotentiam diuinam absque omni intrinseco comprincipio secum actuè concurrente.

Probatur primò propositio auctoritate, S. Th. dicentis in 4. dist. 49. q. 2. art. 7. *Miraculosè fieri potest diuinâ virtute, quòd aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositiones Viæ eleuetur ad videndum Deum per essentiam.* Certum quippe est, nullum comprincipium intrinsecum visionis Dei esse ex dispositionibus Viæ. Et q. 10. de Verit. art. 11. ait, posse mentem ad hoc miraculosè perducì, vt diuinâ essentia vniatur in statu Viæ modo illo, quo vniatur sibi in Patriâ sine hoc, quòd à lumine gloriæ perfundatur. Puta non solum permanenter, sed nec transeunter, cum sit loquutio vniuersalis, & negatiua. Vnde, quando S. Th. 2. 2. q. 125. art. 3. ad 2. ait, *Diuina essentia videri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriæ.* de potentia ordinariâ, non de absolutâ censendus est loqui. Cum enim similia habeat q. 13. de Verit. art. 2. non est censendus, vt putauit Capreolus, retractasse his in locis, quòd in 4. sent. docuerat. Retractasset enim dictâ q. 13. de Verit. quòd paulò ante q. 10. de Verit. dixerat. Quòd non est credibile. Quare pro nostrâ propositione stare S. Th. censent Duran. in 4. dist. 49. q. 2. Palac. Mach. Zumel, & alij Thomistæ, præter cæteros nostræ sententiæ Auctores vbi supra.

75 **S**ecundò à ratione probatur propositio eo potissimum argumento, quo similes ad Dei potentiam absolutam spectantes probari solent. Quia nimirum actum supernaturalem à potentia naturali nullo comprincipio supernaturali intrinseco instructâ, sed à Deo tantum extrinsecè eleuatâ, & adiutâ fieri, ex nullo capite tert secum repugnantiam, siue implicationem contradictionis, vt ex solutione eorum, quæ solent opponi, constabit. Ergo non est id negandum possibile omnipotentia Dei. Maximè, cum celebre sit apud Theologos axioma illud, quòd ita protulit S. Th. 1. p. q. 105. art. 5. in corp. *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.* Id quòd etiam habet Scot. in 3. dist. 14. q. 2. art. 2. Mitto alias rationes, quas affert Ripal. & vt minus efficaces rejicit Ouied. supra: apud quos poterunt videri.

76 **A**rguit primò contra nostram propositionem Aluar. ex Trid. sess. 6. cap. 5. decernente, non posse hominem sine gratiâ Dei moueri se ad iustitiam, inferens hinc absque auxilio intrinseco, de quo agimus, non posse hominem iuxta Concilium actus supernaturales efficere. Sed certè Concilium solum agit de auxilio gratiæ alliciente voluntatem ad bene operandum, quæ in sanctâ cogitatione, aut etiam motu indeliberato voluntatis consistit: neque effectiuè, sed tantum, vt mera conditio ad actus supernaturales concurrat. De quo in præsentì quæstione sermo non est. Non verò agit de auxilio complemente vires potentia naturalis, eamque eleuante, cum eademque concurrente effectiuè ad opera supernaturalia, qualis est habitus infusus, aut aliud quid  
FFF 2 aquil.

æquivalens illi. De quo hic tractatur. Tum necessitas gratiæ, de qua agit, non de potentiâ absolutâ, sed de potentiâ ordinariâ est, vt notat Ripal. disp. 74. cit. n. 39. Præterquàm quòd Concilium tantùm intendit definire, non posse hominem viribus arbitrij ad iustificacionem disponi. Quod ad rem nostram non attinere, palam est.

77 Secundo arguit Aluarez. Deus per assistentiam extrinsecam omnipotentis suæ omnibus creaturis communem non potest eleuare naturam ad actus supernaturales, Ergo requiritur principium naturæ intrinsecum ad huiusmodi eleuationem. Respondeo, bifariam posse Deum dici assistere creaturis. Primò per sui immensitatem, aut etiam per earum conseruationem: & hæc assistentia omnibus creaturis communis est; neque ad rem nostram facit. Secundo per decretum concurrendi cum illis ad ipsarum operationes: & hoc aut potest esse illis debitum, quale est decretum, quo Deus concurrit cum omnibus causis naturalibus ad sua opera naturalia; vel etiam, quo concurrit cum causis aliunde iam per aliquid supernaturale præuini eleuatis ad opera supernaturalia: aut potest esse illis indebitum; & tale est, quod nos exigimus pro eleuatione naturæ ad opera supernaturalia, quando deest ei comprincipium intrinsecum eleuationis eius. Igitur assistentia omnipotentis specialis, quæ ex decreto isto naturæ indebita, & ex ipsa omnipotentia resultat, ea est, quam dicimus posse quàm optimè supplere defectum auxiliij, siue comprincipij intrinseci, de quo tractamus, & quæ auxiliium Dei extrinsecum eleuationis naturæ ad opus supernaturale vocari solet.

78 Tertio, Ex sententiâ nostrâ infert Aluarez, posse naturam viribus arbitrij, & sine gratiâ opera supernaturalia patrare, sed infert malè. Quia, quod fit à naturâ eleuatâ medio prædicto auxiliio extrinsecò, nec viribus arbitrij, nec sine gratiâ fit; cum illud sit merè gratuitum, & aliamque insuper respectu actus voluntatis gratiam cognitionis allicientis supponat.

79 Quarto obijcit Aluarez. Potentia creata intrinsecè non informata auxiliio supernaturali est purè naturalis. Ergo improporcionata, atque adeò impotens ad actus supernaturales. Respondeo, potentiam creatam seorsim sumptam, æquè esse purè naturalem, improporcionatam, & impotentem ad actus supernaturales, quando adest ei auxiliium intrinsecum, ac, quando extrinsecum; prout coniunctam verò cum auxiliio æquè manere supernaturalizatam, eleuatamque, & proporcionatam, atque adeò potentem ad actus supernaturales per extrinsecum auxiliium iam explicatum, ac per intrinsecum.

80 Quinto arguit. Deus non potest concurrere ad actum supernaturalem vitalem nisi vt causa vniuersalis; aliàs se solo actum vitalem posset facere. Quod repugnat, Ergo debet supponere potentiam vitalem intrinsecè completam per supernaturale auxiliium ad talem actum, Nego antecedens. Quia Deus vt causa particularis concurrere potest ad actum supernaturalem vitalem, supplendo concursus auxiliij intrinseci medio decreto concurrendi ad talem actum cum solâ potentiâ vitali indebita ipsi potentiæ; siue possit insuper supplere influxum ipsius potentiæ, faciendò se solo actum vitalem, siue secus. Quod non interest ad rem.

81 Sexto arguitur, Natura est causa principalis actus supernaturalis, Ergo ab intrinsecò de-

bet esse ei proporcionata: aliàs Deus extrinsecè concurrens cum illâ causa principalis esset intellectiõnis, & volitiõnis; fieretque, vt Deus intellectiõnis, & volitiõnis ita se productâ intelligeret, & vellet. Quod est absurdum, Respondeo, æquè dici posse naturam causam aut principalem, aut instrumentalem actus supernaturalis, siue per intrinsecum, siue per extrinsecum auxiliium iuuetur à Deo ad illum causandum, In quo solum potest esse quæstio de nomine iuxta dicta à nobis q. 1. Quoquo autem ex ijs modis Deus concurrit cum naturâ ad efficiendum actus eius intellectiõnis, & volitiõnis, quantumuis vt causa principalis, necunde fore, vt Deus per illos intelligat, & velit. Sicut neque auxiliium intrinsecum ad illos vt causa principalis iuxta Thomistam concurrens intelligit, & vult. Quia nimirum non sunt illi intellectiõnis, & volitiõnis Dei; sicut neque intrinseci auxiliij: quemadmodum sunt intellectiõnis, & volitiõnis naturæ per eos intellectiue, & volitiue.

82 Septimo arguitur, Habitus infusus est tota ratio, & virtus agendi actus supernaturales. Ergo natura nullatenus potest illos facere sine habitu infuso: faceret enim illos sine virtute ad ipsos faciendos. Quod est impossibile, Nego antecedens, si ita dicatur habitus tota ratio, & virtus agendi; vt nulla relinquatur naturæ virtus agendi immediatè eiusmodi actus, iuxta dicta q. 4. Quo cessat argumentum. Per quæ cætera, quæ opponi contra propositionem possunt, facile quisque diluet.

#### Propositio 2.

83 Omnes actus supernaturales etiam vitales, qui de factò fiunt à naturâ per comprincipium intrinsecum, diuinitus effici possent per solum auxiliium extrinsecum.

Hæc propositio contra Ripal. supra sect. 7. & multos alios ex Auctoribus nostræ sententiæ statutz proposit. 1. est. Quotquot enim putant, actum vitalem aut consistere in actione physica oriundâ à potentiâ vitali, aut eam in suo conceptu inuoluere, consequenter censent, actum vitalem supernaturalem nascentem à potentiâ vitali simul, & à comprincipio supernaturali ipsi intrinsecò in suo conceptu dicere actionem se ipsâ pendentem essentialiter tum à potentiâ vitali, tum à tali comprincipio; sine quo proinde talis actus à Deo se solo adiuuante potentiam nullatenus effici poterit; quia actio essentialiter pendens ab aliquo principio absque concursu in ipsam talis principij stare nullatenus potest, vt est notissimum. Quocirca Auctores isti solum dicunt, eos actus vitales supernaturales posse à naturâ effici adiuuà per solum auxiliium extrinsecum, (hoc est per omnipotentiam diminam motam speciali, indebitoque decreto Dei concurrendi cum ipsâ naturâ iuxta dicta n. 77.), qui alioquin per suam essentialitatem non sunt ab auxiliio intrinsecò dependentes. Vnde consequenter censent, duplex esse genus actuum supernaturalium vitalium in quauis materiâ, & circa quauis obiecta possibilium. Alterum eorum, quæ suapte essentialitè sunt dependentes ab auxiliio intrinsecò, atque adeò sine illo effici nequeunt. Alterum eorum, qui suapte item essentialitè sunt dependentes ab auxiliio extrinsecò, & sine illo etiam effici nequeunt.

Nos verò, qui cum multis alijs opinamur, 84 actus

actus vitales, saltem qui de facto dantur, per actionem superadditam ab ipsis adæquatè distinctam fieri: atque adeo, qui modò fiunt per vnam, oriundam essentialiter ab his principijs, potuisse fieri per aliam oriundam ab alijs iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disp. 2. q. 1. consequenter asserimus, omnes actus vitales, qui de facto fiunt à naturà per comprincipium intrinsecum, diuinitus effici potuisse per solum auxilium extrinsecum, vt propositio data fert. Cuius proinde nulla maior desideratur probatio. Loquimur autem de actibus, qui de facto fiunt: quia hi sunt vt minimum iuxta dictam vniuersalem doctrinam, qui per actionem superadditam à se adæquatè distinctam fiunt. An verò intra latissimum possibilitatis campum sint aliqui se ipsis à suis principijs citra actionem superadditam dependentes, atque adeo impotes, vt aliter, quàm ab iisdem principijs, fiant, nec negamus modò, nec affirmamus.

85 Ex dictis inferitur, malè excepisse Egidium Lusitanum ab vniuersali doctrinà actuum supernaturalium statutà visionem beatificam: quasi hæc per auxilium Dei extrinsecum ab intellectu fieri nequeat; eo quòd lumen gloriæ, vt putat, non solum exercet in visionem munus causæ effectiue: eam cum intellectu faciendo, sed etiam munus causæ formalis manifestando obiectum: primumque munus benè per auxilium extrinsecum suppleri potest, secus secundum. Sed malè, inquam. Primò; quia lumen gloriæ in genere tantum causæ efficientis manifestat obiectam, faciendo cum intellectu visionem, quæ manifestatio eius formalis est: nulla quippe manifestatio obiecti formalis excogitari potest; quæ non sit formalis obiecti præsentatio, siue notificatio: qualis sola visio est, non lumen. Secundò; quia lumen non est forma visionis intrinsecè constituens ipsam, cum sit ab eà adæquatè distinctum, vt supponit Egidius ipse; neque est titulus, cur visio beatifica in vniuersum essentialiter sit connexa cum lumine, vt ex dictis hætenus constat. Ergo, quidquid sit de alio influxu luminis in visionem spectante ad genus causæ formalis, poterit optimè stare visio sine illo, atque adeo sine ipso lumine, per solum auxilium extrinsecum ab intellectu facta.

86 Deinde inferitur, malè etiam Arrub. apud Ripald. sect. 5. requirere ad actus supernaturales liberos præ necessarijs effectuum concursum aut habitus infusi, si adest, aut saltem gratiæ præuenientis, quæ in sancta cogitatione, aut etiam in motu voluntatis indeliberato consistit: quasi absque tali concursu libertas talium actuum stare non possit. Malè, inquam. Primò; quia ad rem nullum discrimen extat inter actus necessarios, & liberos; cum ad vtrosque debeat moueri voluntas per præuiam cogitationem; nec magis hi, quàm illi possant huius concursum effectuum in defectu habitus. Secundò; quia ad neutros requiritur huiusmodi effectibus concursus dictæ præuiæ cogitationis; cum sat sit, eam concurrere per modum conditionis, siue causæ moralis illuminantis, allicientis, mouentisque voluntatem ad operandum, vt mouet præuia cogitatio etiam ad actus naturales, iuxta doctrinam vniuersalem traditam à nobis in Pharo disp. 7. q. 1. hypoth. 1.

87 Quarunt hic aliqui, vt videre est apud Recupit. lib. 6. q. 19. quænam sit causa subiectiua, atque etiam efficiens luminis gloriæ. In qua questione certum est primò, lumen gloriæ in in-

tellectu subiectari: quia datur ad eleuandum illum, vt videat Deum, iuxta dicta q. 3. In meà autem sententià non distinguente realiter intellectum ab animà adhuc est certius: quia non est aliud ab intellectu, in quo subiectetur. Secundò certum est, lumen gloriæ à solo Deo fieri; ipso intellectu non concurrente ad effectiorem eius: id enim commune est habitibus supernaturalibus, quale lumen est, à solo Deo infundi, vt concurs Theologorum sententia tenet. Dubitari tamen potest, an Christi humanitas vt physicum Dei instrumentum concurrat ad productionem luminis. Partem affirmatiuam tanquam probabilem tradit Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 3. sec. 1. & latè tuerur Recupit. supra. Qui ad rem videndi. Ego enim ad materiam de Incarnatione, ad quam istud pertinet dubium, illud remitto.

Deinde quarunt hic nonnulli, an lumen gloriæ in ratione doni accidentalis sit omnium maximum. De qua questione opportuniùs alibi. Videatur interim Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sec. 13. Vbi ex professò tractat illam.

### QVAESTIO VI.

*An sit possibilis species impressa, per quam Deus intuitiue videri possit.*

89 **Q**uid nomine speciei impressæ veniat intelligendum, satis est notum ex Philosophià; ex dictisque à nobis in Pharo Scient. disp. 1. q. 1. & seqq. nimirum quædam qualitas, quæ instar cuiusdam seminis obiecti cognoscendi potentiam cognoscitiuam inuadit ad eius cognitionem faciendam, concurrente scilicet ad hanc effectiue simul cum illà iuxta nostram, & communem sententiam ibidem statutam. De huiusmodi igitur qualitate quærimus, an sit possibilis in ordine ad cognoscendum Deum intuitiue, & sicuti est in se. Negant communiter Thomistæ, Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. Bana. ibid. dub. 1. Zumel disp. 2. Ripa dub. 2. Nazar. contr. 1. Nauarret. contr. 34. §. 2. Gonzal. disp. 25. sec. 3. Machin. disp. 15. sec. 1. Ioan. à S. Th. & Carmelitani ad eum art. 2. cum Syluestro, Ferrar. Sor. & cæteris omnibus communiter. Quibus accedunt ex nostris Arrub. 1. p. disp. 16. cap. 4. Gran. tract. 4. de Visione disp. 5. sec. 3. Tann. 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 2. num. 11. & Ripalda in manuscriptis de visione, necnon Franc. Amic. 1. p. disp. 9. sec. 4. Recupit. lib. 6. q. 21. Quiros disp. 25. sec. 2. & seqq. & Derkenis disp. 7. de Deo cap. 7. Pro affirmatiuà verò sententià stant Mol. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Valen. q. 12. pun. 2. Falol. dubit. 10. Vazq. disp. 38. Becan. tract. 1. cap. 9. q. 2. Herice disp. 40. cap. 8. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 13. & disp. 30. Metaph. sec. 11. & tom. 1. in 3. p. disp. 29. sec. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 2. num. 33. Egid. Lusit. lib. 8. de Beat. p. 2. q. 2. art. 2. Arriaga tom. 1. in 1. p. disp. 8. sec. 2. subl. 3. Alarc. tract. 1. disp. 3. cap. 2. Gasp. Hurt. 1. p. disp. 10. diff. 3. Onied. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punc. 4. & in Philos. contr. 13. de Anim. Præposit. 1. p. q. 12. art. 2. dnb. 2. Martinon disp. 8. sec. 3. Veken. disp. 11. n. 35. & apud eos alij.

## Propositio vnica.

90 Possibilis est species impressa, per quam Deus intuitiue videri possit.

Potissima huius propositionis probatio ex solutione, refutationeque argumentorum, quibus ea ab Aduersarijs impetitur, petenda est. Huiusmodi enim propositionum, quae diuinam omnipotentiam commendant, adstruendo possibilitatem aliquarum rerum, de quarum impossibilitate non constat, in solutione, refutationeque argumentorum, quibus opposita impossibilitas induci iatenditur, stat potissima probatio, vt alias non semel est notatum. Interim tamen, dum argumenta aduersa diluimus, nonnulla etiam inferemus, quibus propositio data non parum confirmetur.

91 Igitur contra illam obicitur primo S. Th. cum quatuor ipsius argumentis, quibus 1. p. q. 12. art. 2. alijsque in locis probat, essentiam Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videri non posse. Argumenta autem S. Th. huiusmodi sunt. Primum. Cognition per quaecunque similitudinem habita specularis est, & enigmatica, vt docet August. 15. de Trin. cap. 9. ex illo Apostoli, *Videmus nunc per speculum, & in enigmate*. Sed visio beatifica talis esse non potest. Ergo nec per similitudinem haberi. Secundum. Per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci; sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporea. Multo igitur minus per speciem creatam quaecunque potest essentia Dei videri. Tertium. Essentia Dei est suum esse. Sed nulla forma creata potest esse suum esse. Ergo nulla forma creata potest esse similitudo representans essentiam Dei. Quartum. Essentia Dei est aliquid incircumscriptum. Ergo per speciem creatam, quae quid limitatum est, representari non potest.

92 Respondeo, quod ad mentem S. Th. attinet, eam satis esse dubiam in re praesenti. Valent. & Salas arbitrantur, negare quidem illum, speciem impressam Dei possibilem esse, non tamen de potentia absoluta, sed de ordinaria. Vazq. cum Vigoracenser, lateque probare contendit disp. 39. S. Th. in praedictis non agere de specie impressa, sed de expressa, quae prius cognita ducat in cognitionem obiecti. Soar. Arrub. Egid. Heric. & omnes Thomistae supra commemorati vnanimiter opinantur, speciem impressam Dei tanquam omnino impossibilem reijci a S. Th. Fasol. vero existimat, S. Th. solum intendere, esse impossibilem in vniuersum speciem, siue ea impressa sit, siue expressa, per quam prius cognitam Deus, sicuti est in se, videatur. Quod late probat, relatis varijs textibus ipsius S. Th. Hanc ego expositionem (a qua expositio Vazq. parum recedit) amplector non nihil amplius explicatam. Itaque reor, S. Th. solum intendere, esse impossibilem similitudinem creatam, quaecunque ea sit, ad cuius instar cognoscatur Deus, vt est in se; ita, vt intellectus talem cognoscens similitudinem, in ea tanquam in substituto quodam obiectiuo cognoscat Deum; similemque subinde omnino, seu potius eundem conceptum obiectiuum formet de Deo, ac habet de tali similitudine pro Deo ipso substituta; qualiter nos pro praesenti statu

cognoscimus, quaecunque per species alias, atque adeo etiam per alias similitudines, perque substituta aliena cognoscimus, vt late explicatum est in Pharo disp. 2. q. 3. & saepe alias repetitum; & qualiter etiam saepe in imagine materiali solemus cognoscere prototypum tanquam in substituto, formando eundem conceptum obiectiuum prototypi, ac habemus imaginis. Per huiusmodi enim similitudinem obiectiuum cognosci Deum, & simul, prout est in se, intuitiue cognosci, termini sunt prorsus repugnantes; quia, quidquid per talem similitudinem cognoscitur, eo ipso ad instar alterius, & aliter, quam est in se, cognoscitur; & consequenter non, vt est in se. Et haec sane est similitudo creata, per quam Deum, vt est in se, cognosci non posse plane probant S. Th. argumenta. De qua proinde Doctor Angelicus censendus est loqui; non vero de specie impressa, de qua nos agimus in praesenti q.

Id quod non parum confirmatur. Quia, vt constat ex argumento *Sed contra*, de ea similitudine agit S. Th. quae facit cognitionem enigmatica, qualis iuxta Apollolum est nostra pro statu praesenti rerum insensatarum. Cognitionem autem enigmatica solum est, quae habetur per similitudinem obiectiuam tanquam per substitutum, atque adeo tanquam per quoddam anigma obiecti cogniti, iuxta dicta a nobis latius loco citato; non item, quae habetur per speciem impressam tanquam per comprincipium factiuum eius. Siquidem tales sunt iuxta S. Th. & omnes communiter cognitiones intuitiuae, quas habent Angeli de rebus naturalibus ab ipsarum speciebus impressis oriundae; & tamen sententia etiam S. T. & omnium non sunt enigmatica; cum sint intuitiuae, & clarissimae, atque adeo ipsarum rerum, prout sunt in se.

Ad argumenta igitur S. Th. quaecunque deum ratione inueniantur explicata a Thomistis, respondendum est, per ea quidem nequaquam reijci speciem impressam, per quam Deus ab intellectu creato videri possit vt per comprincipium visionis, sed speciem, seu similitudinem, ad cuius instar Deus possit cognosci, vt est in se, modo explicato. Et quidem, si superioritas Dei, infinitas eius, & necessitas in essendo impossibilitatem argueret speciei impressae ipsius Dei, vt per argumenta S. Th. Thomistae existimant probari; quasi per speciem impressam inferioris ordinis in essendo obiectum superioris ordinis in essendo nequeat intuitiue cognosci. Certè, potiori iure argueretur ex eodem capite contra plerosque ex Aduersarijs impossibilitas speciei expressae ipsius Dei, quam cum communi adstruximus supra disp. 17. q. 11. Imo & contra fidem argueretur impossibilitas visionis beatificae, aut etiam cuiuscunque principij talis visionis productiuum, qualis citra omne dubium est intellectus creatus, & lumen gloriae elevans illum. Si enim species impressa, quae solum habet esse quoddam principium speciei expressae, & visionis Dei, propter sublimitatem tanti obiecti quid creatum esse non potest; cur ipsa species expressa, & visio, quae immediatius tanguit ipsum obiectum, caeteraque eius principia poterunt quid creatum esse? Certè Thomistae nullam vnquam congruam rationem excogitabunt, cur Deus formaliter representari, atque cognosci per visionem creatam possit, & non possit per speciem creatam representari virtualiter. Neque rationes, quae excogitarunt haec-

nus tanti momenti sunt, ut in illis refellendis oporteat morari. Videantur apud Doctores nostræ sententiæ satis, superque confutatæ.

95 Secundo contra nostram propositionem obijci solet. De ratione speciei impressæ est procedere naturaliter ab obiecto, cuius est species, casu, quod ab illo procedat, & non ab agente eminentiori. Ergo, si est possibilis species impressa Dei, cum ipsa non ab agente eminentiori, sed ab ipso Deo, qui est obiectum manare debeat, ab eo utique naturaliter, & necessariò erit oriunda. Quod tamen profus est impossibile. Nam Deus nihil ad extra potest producere ex necessitate naturæ: tum quia iste modus operandi imperfectus est: tum quia, quod ita à Deo procederet, non posset non esse infinitum, totamque Dei potentiam exhauriens, saltem in suo genere. Hoc argumento vtuntur Nauarr. Albel. Granad. & alij.

96 Respondeo tamen primò, negando, de ratione speciei impressæ in vniuersum esse procedere naturaliter ab obiecto casu, quod ab illo procedat. Quia non est, cur sit productio speciei impressæ magis naturalis obiecto, quando illam producit, quam est productio ipsius cognitionis, quando ad illam immediate concurrat: & tamen in sententiâ Aduersariorum, & omnium, quando Deus immediate causat visionem sui, non ex necessitate naturæ, sed omnino liberè causat. Igitur omnino etiam liberè poterit sui speciem causare. Itaque, quidquid sit de alijs obiectis, Deus non necessariò, sed liberè potest causare sui speciem, sicut potest sui cognitionem: quin iste modus causandi magis conceptui speciei, quam conceptui cognitionis repugnet. Respondeo secundò, Deum non in quantum obiectum, sed solum in quantum omnipotentem esse principium causatum aut speciei, aut cognitionis sui. Vt sic autem exploratissimum est, illum non vt agens naturale, sed vt agens liberum operari. Eodem quippe modo aut sui speciem, aut sui visionem in intellectu beati potest producere, ac potest producere in intellectu vnius Angeli aut speciem, aut visionem alterius. Ad id enim opus non est, quod sit ipse in quantum omnipotens quid eminentius se ipso in quantum obiecto, vt constat. Quod autem Deus non in quantum obiectum, sed solum in quantum omnipotens sit principium causatum aut speciei, aut cognitionis sui, inferius q. 7. probandum est. Vbi de materia huius argumenti plura dicenda sunt.

97 Instabis. Species impressa ex suo conceptu semen quoddam obiecti est oriundum ab illo præcisè in quantum cognoscibili eo fine, vt per forum cognitionis conceptum à potentia cognoscitiuâ ipsum obiectum cognoscatur. Sed de ratione seminis est, naturaliter emitti à principio, cuius est semen. Ergo de ratione speciei impressæ est, naturaliter produci ab obiecto per ipsam cognoscibili in quantum cognoscibili: qualiter species impressa Dei à Deo produci non potest. Respondeo, speciem impressam metaphoricè dumtaxat dici semen obiecti, nec opus esse, quod metaphora in omnibus exactè obseruetur. Licet enim semen naturaliter semper à principio suo produci soleat, non est necesse, quod species pariter semper producat à suo obiecto. Fieri enim potest, vt vel ab ipso nascatur liberè, vel non ab ipso, sed ab alio nascatur. Neque requiritur, quod species à suo obiecto in quantum cognoscibili prodeat, vt ex dicendis quæst. 7. citatâ constabit.

Tertiò obijcitur. Omnis species impressa, 98 vicaria est obiecti ordinata naturâ suâ ad suppleendam vicem illius, quando illud aut absens est, aut improporcionatum potentia. Ergo species impressa Dei omnino impossibilis est. Probo consequentiam. Quia, cum repugnet, Deum aut absentem, aut improporcionatum esse intellectui creato illustrato lumine gloriæ: nec possit propterea vilo modo eius absentia suppleri, vel improporcionatio; consequitur, repugnare quoque entitatem, de cuius conceptu essentiali sit, talem absentiam, aut improporcionem suppleri; qualis esset species impressa Dei. Respondeo primò, admittendo gratis, omnem speciem impressam vicariam esse obiecti ordinatam naturâ suâ ad suppleendam vicem illius; non tamen solum, quando illud absens, aut improporcionatum est, sed etiam quando quacunque aliâ de causâ per se non inluit in sui cognitionem. Sic enim bene stat, esse possibilem speciem impressam Dei, quæ valeat suppleri vicem obiecti non quidem improporcionati, aut absentis, sed nolentis pro nutu suo per se immediatè influere in sui visionem. Deinde respondeo secundò, negando, omnem speciem impressam vicariam obiecti esse debere ordinatam naturâ suâ ad suppleendam vicem illius. Tales enim esse non possunt species eorum obiectorum, ad quæ in quantum talia sunt nullatenus pertinet causare effectiue sui cognitionem: eo quod ad illam effectiue causandam aut immediatè, aut mediâ specie à se productâ nullam vim habent. Huiusmodi quippe obiectorum species neutiquam dici possunt se gerere vt vicariæ eorum, quando funguntur munere ad ipsa obiecta non pertinente, cuiusmodi est, cognitionem producere, quam ipsa nulla ratione producere valent. Esse autem plurima obiecta, quæ in quantum huiusmodi nullam habeat vim effectiuam suarum cognitionum, de eorumque genere esse substantiam diuinam, ex dicendis q. 7. compertum fiet. Quod si quis velit adhuc vocare vicariam obiecti speciem, quæ ipsius obiecti progignit cognitionem, quantumuis ad hanc obiectum ipsum neque immediatè, neque mediatè valeat vilo modo concurrere, improprie quidem loquetur. Sed ego parum cum eo contendam. Loquatur, vt voluerit.

Aduerto hic, nonnullos eam dumtaxat 99 qualitatem speciem impressam vocare, quæ suâ naturâ ordinata est ad suppleendam impotentiam obiecti, vndeunque illud sit impotens ad causandam visionem. Quo iure speciem impressam Dei impossibilem esse dicunt: etsi fateantur possibilem qualitatem impressam ad causandam visionem, imò & valentem suppleri concursum actualem Dei obiectiuum. Cæterum hi abutentes vocabulo re ipsâ consentiunt nobiscum. Eam enim qualitatem, quam ipsi fatentur possibilem, vocamus nos cum communi speciem impressam; de cuius vtrique ratione solum est informare potentiam cognoscitiuam, complere eam in actu primo, iuuareque in actu secundo ad productionem cognitionis, atque adeo vltimò determinare illam, vt potius in hanc huius obiecti cognitionem, quam in aliam alterius prodeat. Quæ si per qualitatem possibilem comparatione visionis Dei possunt præstari, vt verè possunt, possibilis sanè est species impressa Dei, qualis talis qualitas est.

Quartò obijcitur ex Arrub. Repugnat, 100 quod Deus per aliquid à se distinctum reddatur proximè intelligibilis: quia ipse per suam essentiam

tiam proximè, & summè intelligibilis est, non solum terminatiuè, sed etiam motiue; & nulla entitas potest ab extrinseco accipere, quod per suam essentiam habet. Ergo repugnat species impressa Dei; quia de conceptu quidam speciei impressa est, reddere proximè intelligibile obiectum, cuius est species. Respondeo, non repugnare, quod habeat entitas, diuerso tamen modo, ab extrinseco aliquid, quod ab intrinseco, & per suam essentiam habet. Quamuis enim ignis per suam essentiam habeat esse proximè productiuum calorem, id ipsum potest habere insuper per calorem sibi inhaerentem; quia non est, cur calor nequeat esse immediatè producibilis tum ab ipsa substantià ignis, tum ab alio calore. Deus etiam medio igne à se producto potest alium ignem causare, cuius per se proximè, & immediatè se solo causatiuus est. Quidni igitur poterit medià specie impressa producere visionem sui, quantumuis eam per se ipsum immediatè, & se solo possit producere? Quod est, posse per speciem impressam extrinsecè reddi proximè intelligibilem, quo sensu loquitur obiecto; tamen si intrinsecè per se ipsum proximè intelligibilis sit. Et quidem, si Angelus, vt communis sententia fert, ita est per suam essentiam proximè à se intelligibilis, seu immediatè causatiuus suæ de se cognitionis, vt etiam per speciem à Deo productam talis possit euadere; quia non est, cur nequeat imprimi cuius Angeli species de ipso, quæ imprimitur alteri Angelo; cur repugnet, Deum pariter reddi proximè intelligibilem per speciem, quantumuis talis sit intrinsecè per suam substantiam?

107

Quintò obijciuntur. Positâ in mente Beati specie impressa Dei, duo sequuntur contradictoria; nempe producturam illam connaturaliter visionem; quia esset principium connaturale eius simul cum intellectu Beati, & lumine gloriæ; & non producturam connaturaliter, quia in conspectu substantiæ Dei agentis principalis speciei, quæ esset instrumentum, neutiquam deberetur ei visionis productio. Respondeo, positâ specie Dei in mente Beati, nequaquam posse productionem visionis insolidum, & adæquatè debitam esse tum speciei, tum substantiæ Dei, vt est notum: quia prorsus repugnat, vt ius adæquatum ad eandem rem in multis subiectis insolidum reperiat; cum esse ius insolidum, & adæquatè huius subiecti aliud non sit ex conceptu suo, quam esse ius huius solius, & non alterius. Vel ergo in alterutrâ tantum erit ius adæquatum; & sic ea solum produceret connaturaliter visionem: vel in vtrâque inadæquatum; & sic ambæ indiuisim ad illam producendam concurrent. Si ius aliquod siue totale, siue parziale ad producendam visionem speciei prædictæ concedas in conspectu substantiæ Dei, ecce connaturaliter ipsa visionem causabit, siue seorsim à Dei substantiâ per modum obiecti concurrente, siue simul cum illâ. Si verò omnè ius illi neges, soli diuinæ substantiæ vt obiecto attribuens; fateor tibi, in tali opinione nullatenus posse visionem connaturaliter nasci ab specie. Meâ tamen id nihil interest ad rem præsentem, dum possit supernaturaliter, vt verè poterit. Quocumque igitur modo philosophis de huiusmodi iuribus, seu debitis naturalibus, contra possibilitatem speciei, quam modò adstruere molimur, nihil prorsus concluditur. In meâ tamen sententiâ res planior est, qui censeo, diuinam substantiam nullum ius titulo obiecti habere

ad producendam sui visionem; vt pote quæ non titulo obiecti, sed titulo causæ vniuersalis concurret ad illam, vt in seqq. ostendam.

Sextò obijciuntur ex Machin. Gran. & alijs. Visio Dei à solâ substantiâ diuinâ, tanquam à connaturali principio petit oriri; quia sola obiecta, dum sunt præsentia, & proportionata, qualis est semper substantia Dei, principia connaturalia sunt cognitionum suarum; species connaturalium succedunt in eorum defectum. Ergo repugnat connaturale instrumentum dictæ visionis, qualis species impressa deberet esse. Ergo absolute repugnat talis species. Admissio imprimis antecedente, & primâ consequentiâ; nego secundam. Quia, licet nequiret species impressa esse causa connaturalis visionis, eo quod soli substantiæ Dei debita, & connaturalis esset eius productio; inde profectò non inferitur, esse impossibile absolute talem speciem, quæ supernaturaliter saltem esset visionis causatiua, vt etiam num. præced. notatum est. Sed liberiori incedens viâ nego antecens, & probationem. Quia existimo pleraque obiecta, quæ obiecta sunt, non esse connaturalia principia suarum cognitionum, quantumuis sint præsentia, & proportionata; de eorumque numero esse substantiam diuinam, De quo infra q. 7. tractandum.

Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facile ab vnoquoque retundi possunt; & apud Egid. supra, apud Fasolum, Herice, Amicum, & Recapitulum proposita, & refutata videri possunt. Venioque septimo loco ad illud, quo Ripaldanouâ quadam viâ conatur stabilire repugnantiam speciei impressæ Dei. Pro quo supponit ex antea à se statutis, Deum in sui visionem duplicem concurrere habere; alterum vniuersalem per modum causæ primæ; alterum particulatam per modum obiecti; vtrumque autem immediatum, & liberum. Censet enim, ad perfectionem Dei spectare dominium immediatum in suam actionem, non solum, quam exhibet vt causa prima vniuersalis per omnipotentiam, sed etiam, quam exhibet vt causa obiectiua particularis per naturam, per aliasque suas formalitates cognoscibiles. Hinc ita format argumentum. Species impressa vicaria concursus obiectiui derogaret immediato, & perfectissimo dominio, quod Deus in talem concurrere habet. Ergo implicatoria est omnino talis species. Consequentia liquet. Quia Deus eiusmodi immediato dominio sine imperfectione, & consequenter absolute carere non potest. Antecedens autem probatur. Quia, positâ prædictâ specie, nequiret Deus immediatè per modum obiecti impedire visionem sui, actionemve productiuam eius cohibere eo quod tunc in quantum obiectum non immediatè, sed remote, mediâ videlicet specie, concurreret ad illam. Dominium autem immediatum in aliquam actionem absque immediatâ potestate illam impediendi non datur, vt notum est. Confirmat, & declarat amplius. Deus vt causa prima non potest delegare alicui qualitati create concursum suum generalem; quia vt causa prima nequit non concurrere immediatè ad omnem effectum creatum propter dominium immediatum, quod in illum, in eiusue causationem debet habere, vt vno ore contra Durandum consentitur alij Theologi: quorum plerique seueris notis inurunt Durandi sententiam. Ergo neque concursum suum obiectiuum potest Deus vt causa obiectiua particularis delegare speciei impressæ propter dominium



immediatum, quod etiam debet habere in talem concursum. Etenim tam essentialis est naturæ diuinæ virtus obiectiua immediatè dominatiua visionis, quam est essentialis omnipotentia virtus generalis immediatè dominatiua naturæ diuinæ derogaretur, si Deus per modum obiecti mediâ specie impressâ, & non immediatè concurreret ad visionem sui, quam derogaretur dominio vniuersali omnipotentia; si Deus mediâ qualitate, & non immediatè concurreret ad quemuis effectum.

104 Acuta sanè cogitatio, in quam etiam incidit Recupit. q. 21. citatâ n. 28. Sed me non mouet. Primò; quia cenſeo, Deum nullo peculiari concursu concurrere ad visionem sui per modum obiecti, præter eum, quo vniuersaliter concurrat per modum causæ primæ ad reliquos effectus creatos. Quod infra q. 7. probandum mihi est. Sublato autem à Deo huiusmodi obiectiuo, atque peculiari concursu, tota ruit argumentatio facta, vt constat. Secundò; quia demus, naturam diuinam talem concursum obiectiuum per se immediatè posse præstare; quid vetat, vt illum non præstet de facto, sed visio aut à solâ omnipotentia, aut ab ipsâ simul, & ab specie impressâ procedat? Quemadmodum enim visio, quæ se Angelus intuetur, ab ipsâ Angeli substantiâ tanquam ab obiecto proprio immediatè, & conaturaliter nascitur; & nihilominus aut à solo Deo, aut à Deo simul, & ab specie Angelo impressâ supernaturaliter saltem produci potest, vt communissima Theologorum sententia fert. Ita pariter non est, cur visio beata supernaturaliter saltem nequeat procedere aut à solo Deo vt omnipotenti, aut insuper ab specie impressâ: tametsi conaturaliter ab ipso Deo in quantum obiecto nascatur. Nulla enim idonea ratio videtur reddi posse, cur visio beata maiori necessitate petat produci immediatè à suo obiecto vt obiecto, quam petat visio Angeli produci à suo. Deus quippe vt summum dici potest vendicare sibi dominium obiectiuum immediatum in visionem, quæ ab ipso vt ab obiecto procedit de facto: non itidem in eam, in quam de facto non confert concursum obiectiuum. Posse autem non conferre, cum visio re ipsâ aliunde nascitur, inde insuper confirmatur. Quia passim non confert Deus in effectus causarum secundarum, dum isti à suis causis adiutis eius concursu vniuersali nascuntur, concursum, quem in ipsos se solo vt causa particularis independentè à causis secundis possit conferre. Tertio; quia demus præterea, repugnare, quòd Deus non exerceat dominium obiectiuum immediatum in quamlibet visionem sui, sicut repugnat, quòd non exerceat dominium causæ primæ immediatum in quemlibet effectum creatum. Per hoc profectò non adstruitur impossibilitas speciei impressæ, vt contendit Ripaldæ. Quia, sicut citra dispendium dominij immediati causæ primæ producit Deus plerisque effectus per causas secundas concurrentes simul cum illis ad ipsos effectus; ita citra dispendium dominij obiectiuum immediati poterit Deus per speciem impressam concurrentes simul cum illa producere visionem sui; vt per intellectum creatum, & lumen gloriæ producit iuxta sententiam omnium. Fore autem, vt illa retineret adhuc conceptum quiditatum speciei impressæ, (quicquid nonnulli contradicant); tametsi concursum æquatum obiecti supplere non possit, ex postmodum dicendis constabit. Liqueat ergo, per huiusmodi

argumentationem Ripaldæ, & Recupiti non magis solidè, quam per alias speciem impressam Dei probari impossibilem.

Accedat iam octauo loco Recupitus, qui 105 q. 21. citatâ post reiectas in cap. 1. octo implicantias, vt ipse loquitur, adductas ab alijs totidem cap. 2. & 3. ex quibusdam principijs suppositis exhibet, quibus, speciem impressam Dei omnino impossibilem esse, probare contendit. Supponit itaque ex communi, speciem impressam se habere ex parte obiecti, lumen autem, & alios habitus ex parte potentia. Speciem autem ex parte obiecti se habere, alijs reiectis explicationibus, dicit, in eo consistere, quòd species impressa ex suo conceptu sit complementum obiecti, & perfectio eius in ratione intelligibilis tanquam eius actiuitas, & instrumentum. Quo fit, vt per suam essentialitatem supponat obiectum perfectibile, atque adeò non perfectum per se in ratione intelligibilis; quale putat esse omne ens creatum: quia omne ens creatum, (inquit q. 20. n. 5.) sicut est deficiens in ratione entis, ita est deficiens in ratione intelligibilis; & sicut participat rationem entis cum aliquo defectu, ita etiam rationem intelligibilis: cum tamen ens inereatum nullo modo deficiens, atque adeò nullo modo perfectibile per aliud à se distinctum sit. Vnde speciem impressam appellat accidens obiectiuum, id est perfectiuum obiecti, cuius est species. Deinde supponit, accidens ex conceptu suo esse perfectiuum substantia, siue subiecti: atque ita implicare accidens, quòd nullius subiecti sit perfectiuum, nisi subiecti essentialiter eandem perfectionem præhabentis. Hoc enim ipso esset, & non esset perfectiuum. Esset; quia accidens talis subiecti. Et non esset; quia ratio perfectiui intrinsecè respicit perfectibile: perfectibile autem importat carentiam in se eius perfectionis, secundum quam est ab alio perfectibile. Accidens autem prout perfectiuum subiecti, cuius est accidens, vocat accidens subiectiuum. His positis.

Speciem impressam Dei esse impossibilem 106 probat primò. Implicat accidens subiectiuum, quòd nullius subiecti sit perfectiuum; eo quòd subiectum, cuius solius est accidens subiectiuum, non est perfectibile. Ergo implicat accidens obiectiuum, quòd nullius obiecti sit perfectiuum; eo quòd obiectum, cuius solius est accidens obiectiuum, non est perfectibile. Sed talis est ex suo conceptu species impressa Dei. Ergo implicat. Quòd argumentum late extendit; etsi ex principijs suppositis satis videatur constare. Probat secundò. Quia species impressa Dei neque esset principium merè obediens visionis; tum quia omnis species impressa principium connaturale est speciei expressæ; tum quia lapis, & quiduis aliud principium merè obediens visionis esse potest, cum tamen non sit species: neque esset principium connaturale visionis; quia talis conaturalitas nec comparatione potentia, cui sufficit lumen, nec comparatione obiecti, quòd per se est connaturale principium, atque adeò nec comparatione actus ei conueniret. Nullum ergo esset principium visionis. Cum tamen principium eius esse ponatur hoc ipso, quòd ponatur esse species impressa comparatione eius. Tertio. Quia eiusmodi species deberet esse instrumentum connaturale ad visionem, (obediens enim omne ens creatum potest); atque adeò disponderet aliquod subiectum ad illam. Hoc namque est de ratione instrumenti conaturalis, (vt ex q. 4. supponit

ponit probatum). Sed neque essentiam diuinam ut subiectum posset disponere; quia illa per quidpiam in se receptum indisponibilis est; neque intellectum creatum; quia hic disponitur adæquate per lumen. Aliud autem non est. Ergo, Quarto. Quia eiusmodi species esset accidens innaturale, & violentum omni subiecto; quod est contra rationem accidentis; quia talis esset intellectui vnico suo subiecto, vt pote cui, supposito, quod videat Deum, connaturale est videre illum per essentiam, & non per speciem creatam. Quinto. Implicat ens, quod per suam essentiam nequeat exillere, nisi in statu sibi innaturali, & violento: quia exigeret naturam suam existentiam sibi ipsi violentam: simulque subinde exigeret suam non existentiam: tum simul sibi ipsi naturale, & innaturale esset. Quæ planè sunt implicatoria. Sed talis esset species impressa Dei: quia esset innaturalis, atque aded contra naturam sui subiecti, & obiecti, ad quæ essentialiter ordinatur iuxta dicta; & consequenter innaturalis, & contra naturam suamet: quandoquidem, quod est contra naturam finis, nequit esse iuxta naturam medijs essentialiter ordinati ad talem finem. Ergo, Sexto. Talis species esset essentialiter superuacua; quia supponeret obiectum ex se completum in ratione obiecti, & intellectum completum in ratione potentie per lumen. Ergo est impossibilis; quale est omne essentialiter superfluum. Huic sexto argumento iuncto cum primo nuntur vnicè Derkennis vbi supra, reiectis alijs. Septimo arguit Recupit, vbi supra Ripalda, Octauo. Talis species, si esset possibilis, ex vna parte esset supernaturalis, vt omnes fatentur. Ex alia verò posset esse substantialis; quia conceptus speciei non opponitur conceptui substantie; siquidem ille cum substantia diuina, & Angelicâ reperitur identificatus. Ergo, si esset possibilis, possibilis esset substantia supernaturalis contra sententiam communem.

107

Sed verò neque hæc me mouent, vt speciem impressam Dei impossibilem repute. Etenim, quod attinet ad primam suppositionem à Recupito factam, fallum imprimis est, speciem impressam de suo conceptu ita esse perfectionem sui obiecti in esse intelligibilis; vt intrinsece, & per essentiam supponat imperfectionem eius consistentem in impotentia ad concurrendum effectiue per se immediatè in sui cognitionem. (Si enim hoc esset de conceptu speciei impressæ; manifestè esset impossibilis species impressa Dei; quia manifestè est impossibilis entitas supponens per essentiam suam talem impotentiam in Deo, connexaque subinde essentialiter cum tali Dei impotentia prorsus chimericâ). Quod autem id sit fallum, probatur primò; quia multa obiecta, quorum dantur, aut circa dubium dari possunt species impressæ, potentiam habeant ad concurrendum effectiue per se immediatè in sui cognitionem, vt cernere est in Angelis, & animabus separatis valentibus iuxta communem sententiam, per se immediatè concurrere effectiue in sui cognitionem, non solum, qua cognoscuntur à se ipsis, sed etiam, qua cognoscuntur ab alijs, quibus intimè præsentibus sunt. Ergo non est de ratione speciei impressæ, supponere in obiecto suo impotentiam oppositam. Itaque, sicut verissimè sunt species impressæ, quæ ad cognoscendum Gabrielem dantur cæteris Angelis; etsi illæ non supponant in Gabriele defectum potentie ad efficiendum immediatè cognitiones, quas ipsæ effi-

ciunt, sed vt summum defectum applicationis talis potentie per præsentiam intum eius; ita verissimè esset species impressa qualitas data ad Deum videndum intellectui alijs completo in ratione potentie intellectiue; etsi ea non supponeret in Deo defectum potentie ad faciendam per se solum cum tali intellectu talem visionem, sed vt summum defectum applicationis talis potentie per decretum ita illam faciendi. Huiusmodi quippe qualitatem, non negat possibilem Recupitus. Sed contendit, eam non fore verè speciem impressam. Secundò probatur id ipsum; quia species impressa, per quam sibi identificatam cognoscit Deus obiecta creata iuxta principia ipsius Recupiti, & aliorum, non supponit intrinsece, & essentialiter obiecta ipsa prout imperfecta modo dicto in ratione intelligibilium; alioquin cum eis vt sic esset talis species, atque aded tota entitas Dei connexa intrinsece, & essentialiter contra sententiam magis communem, & mihi verissimam supraque disp. 4. q. 2. stabilitam; Ergo eiusmodi suppositio non est de conceptu speciei impressæ in vniuersum.

Deinde fallum est, speciem impressam ex suo conceptu esse complementum obiecti, & perfectionem eius in ratione intelligibilis tanquam eius actiuitatem, & instrumentum. Quia pleraque obiecta intelligibilia neque per se, neque per speciem à se productam factiua sunt sui intellectiōis, vt videbimus q. 7. Atque ita absque vilo titulo species, per quam illa fit, dicitur talium obiectorum actiuitas, & instrumentum; subindeque neque adest titulus, cur species potius, quam intellectio ipsa talium obiectorum perfectio esse dicatur. Etenim, quod intellectio sit actus recipiens obiectum, ad illudque terminatus ex suo conceptu, nihil prorsus refert ad hoc, vt species, per quam illa fit, actiuitas, & instrumentum dicatur talis obiecti, quando obiectum nullum confert effectiuum influxum aut in speciem ipsam, aut simul cum ipsa in eius effectum. Quemadmodum, quod vnio materie, & forme viuents fit actus respiciens ex conceptu suo materiam, & formam, nihil prorsus refert ad hoc, vt semen, per quod illa fit, actiuitas, & instrumentum dicatur ipsius materie, & forme. Id quod in cæteris quibusque actibus neque immediatè, neque mediatè factis à suis terminis cernere est. Alioquin species identificata cum Deo, aut eertè principium virtualiter effectiuum intellectiōis, qua Deus cognoscit obiectum quoduis creatum, eodem iure ipsius obiecti dicendum esset actiuitas, & instrumentum. Quod est absurdum.

Ex quibus colligitur primò, intelligibilitatem obiectorum, quæ sequitur rationem entis, nullatenus inuolnere in suo conceptu potentiam factiuam intellectiōis, aut immediatè, aut mediatè. Alioquin nullum ens creatum esset intelligibile à Deo; & pleraque à nullo intellectu intelligibilia essent; quia nullum ens creatum intellectiōis diuina, & pleraque nullius intellectiōis factiua sunt aut immediatè, aut mediatè à se facta. Intelligibilitas ergo, quæ est passio entis, in solâ aptitudine, sine potentia ad terminandam sui intellectiōem consistit; quia hoc ipso, quod aliquid habet in se aliquid esse, tale esse potest intelligi. Possè autem intelligi aliud non est, quàm posse terminare sui intellectiōem.

Secundò colligitur, ens creatum, quantumvis sit deficiens, & imperfectum in ratione entis.

110 *is*, quantumvisque etiam non sit factuum ab intrinseco intellectus sui, in ratione tamen intelligibilis desciens, & imperfectum dicendum non esse, ut vult Recupitus. Siquidem, quale quale est in se, cum omnimoda perfectione intelligi potest, intelligibileque est subinde, de factoque intellectum à Deo hoc ipso, quod intellectio diuina de eo ab omni penitus imperfectione immunis est.

111 Tertiò colligitur, effatum illud desumptum ex August. lib. 9. de Trinit. cap. vlt. *Ab obiecto & potentia patitur notitia*, aut solum habere locum in notitiâ, in quam obiectum aut per se, aut mediâ specie à se productâ effectiue influit; aut, si in omni notitiâ habet locum, solum intendere, obiectum ad existentiam eius aliquâ ratione conducere siue per modum causâ immediatâ, aut mediatâ, siue per modum conditionis causandi. Omne enim obiectum conditio est aliquo modo requisita ad sui veram cognitionem; quæ sola, propriè loquendo, notitia dicitur; quia, quidquid verè cognoscitur, de suo habet aliquo modo, & in aliquo statu esse illud, quod cognitioni subest, siue ipsam terminat, antecedenter ad talem cognitionem, & independentè ab illâ, iuxta explicata à nobis de statibus entium in Pharo Scient. disp. 10. penes quod esse conditio est præuia conducens ad talem cognitionem ad eum modum, quo possibilitas effectus conditio præuia est, & requisita, ut causa euadat proximè potens ad illum producendum, ut ostendimus in eadem Pharo disp. 8. q. 5.

112 Quartò colligitur, speciem impressam in vniuersum non ideo ex parte obiecti se habere; quia actiuitas, & perfectio eius est, ut dicebat Recupitus; sed eatenus solum dici posse se habere ex parte obiecti, & non ex parte potentie, quatenus vltimò complens adæquatum principium cognitionis, atque adeò representationis formalis huius determinati obiecti præ alijs virtualis quædam representatio, virtualisque subinde veluti imago talis obiecti præ alijs censetur esse. Quod munus non habet lumen gloriæ respectu visionis Dei præcisè in quantum eleuatiuum est intellectus ad eam connaturaliter causandam, Ob idque illud ex parte potentie intellectiue, non verò ex parte obiecti intellecti se habere dicitur. Quo sensu autem species impressa præ cæteris cognitionis principijs ex parte obiecti se habere dicitur, eodem, & non alio venit per quamdam metaphoram dicenda sumpta vniuersè semen obiecti. Dico *sumpta vniuersè*. Quia species producta, impressaque potentie ab obiecto, vnde locutio ista desumpta est, maiori cum similitudine, cum strictiori que metaphorâ dicenda venit speciatim obiecti semen. Adde, à multis negari, speciem se tenere ex parte obiecti, & non ex parte potentie. E quibus sunt Egid. Lust. lib. 8. de Beat. 2. p. q. 3. art. 1. & Oued. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punct. 5. Sed his est de modo tantum loquendi, in qua cum communi in sensu explicato cenfeo loquendum.

113 Ex quibus omnibus concluditur, ad conceptum, siue ad essentiam speciei impressæ in vniuersum dumtaxat requiri, quòd sit vltimum complementum principij adæquati cognitionis huius determinati obiecti præ alijs. Aut certè, qualitatem istud prædicatum habentem censemus debere appellari speciem impressam, iuxta communem Doctorum existimationem, & acceptionem; possibilemque subinde asserimus speciem

impressam comparatione visionis Dei. Quòd si quis non istam, sed qualitatem habentem insuper prædicatum supponens imperfectionem Deo impossibilem speciem impressam dici velit, vltro ei fatebimur, huiusmodi speciem impressam impossibilem esse. Sed neque ipse negare poterit, esse possibilem qualitatem visionis Dei factiuam, quam nos vocamus speciem impressam, & cuius solius possibilitatem conamur adstruere. Fietque, ut quæstio ad solum nomen reducatur, ut solent plerunque, quæ circa essentias rerum versantur. An scilicet qualitas, quam omnes iam consueverunt possibilem; vel potius qualitas, quam omnes etiam iam impossibilem iudicamus, species impressa Dei appellanda sit. Stando igitur in acceptione speciei impressæ, quam omnibus benè loquentibus retinendam esse probauimus, promptum erit ex dictis diluere argumenta Recupiti proposita n. 106.

114 Ad primum respondeo, quidquid sit de impossibilitate accidentis subiectiui nullius subiecti perfectibilis; nequaquam esse impossibile, accidens, quod arguens appellat obiectiuum, nullius obiecti perfectiui in sensu intento ab ipso arguente. Tale enim est accidens possibile, quod nos appellamus speciem impressam effectiuam visionis Dei, ut constat ex dictis.

115 Ad secundum respondeo, apud me, qui cenfeo, Deum non titulo obiecti, sed titulo tantum causæ vniuersalis concurrere ad visionem sui, atque adeò illum nullum ius ad talem visionem titulo obiecti habere, connaturale principium ipsius visionis esse speciem impressam, utpote habentem simul cum intellectu eleuato connaturale, imò & adæquatum ius ad illam. Apud eos verò, qui putant, Deum per modum obiecti concurrere ad visionem sui, atque adeò ius aliquod titulo obiecti habere ad illam simul cum intellectu eleuato, cenfeo etiam, speciem impressam, si detur, connaturale principium fore visionis. Licet enim ea in tali opinione necessaria non sit ad constituendum connaturale, & adæquatum visionis principium; constituet tamen nihilominus casu, quòd detur, iusque ad visionem, quod in obiecto cum intellectu eleuato adæquatum esset, posita specie inadæquatum erit: quia cum specie ipsâ diuidetur. Vniuersaliter enim, quoties causæ sufficienti ad effectum (quæ sumpta seorsim ius adæquatum haberet ad illum, connaturaliterque subinde influxum adæquatum in illum conferret) accedit altera de suo etiam sufficiens ad eundem effectum; ambarum ius ad talem effectum inadæquatum redditur; ambarumque simul subinde connaturaliter ad eum concurrunt concursibus inadæquatis, siue partialibus. Addo, stando in dictâ sententiâ, ex suppositione, quòd Deus decerneret, ut posset, negare sibi concursum debitum obiectiuum, fore, ut ius ad visionem, quod speciei eum intellectu eleuato competeret, tunc adæquatum esset. Si quis tamen, stando in sententiâ dictâ, contendat, Deum per modum obiecti simul cum intellectu eleuato non posse non vendicare sibi ius adæquatum ad visionem; atque adeò non esse possibilem superadditam qualitatem, cui in eius conspectu visio vllò modo debita sit: hoc toto admisso, adhuc poterit dici, possibilem esse superadditam qualitatem, quæ simul cum Deo ut obiecto, & cum intellectu eleuato supernaturaliter, id est, concursu sibi indebito, ad visionem possit concurrere: quia talis qualitas necunde probari potest impossibilis. Quæ subinde, etsi sit principium

pium obedientiale visionis. species impressa nihilominus etiam veniet dicenda: quia etiam erit vitium complementum principij adæquati visionis huius obiecti præ alijs, quod ipsa constituet. Neque sequitur hinc, lapidem dici etiam posse speciem impressam, admissio insuper, quod lapis sit eleuabilis ad visionem causandam, vt probabilis opinio fert: quia lapis solum habet iuxta sententiam istam virtutem omni creaturæ communem ad omnes affectus possibiles eleuabilem. At illa qualitas insuper haberet specialem virtutem ad solam visionem eleuabilem, (à quâ haberet esse speciem impressam); sicut intellectus specialem citra omne dubium præ cæteris creaturis virtutem habet eleuabilem ad visionem, etiam stando in dictâ sententiâ. Ex quibus etiam patet, quid sit respondendum ad tertium.

116 Ad quartum dico, speciem impressam, quam adstruimus possibilem, esse accidens innaturale intellectui considerato secundum se; ipsi verò prout instructo lumine gloriæ esse conuaturale. Sed esto, sit ei omnibus modis innaturale. Hinc non sequitur, esse eidem violentum, vt patet in ipso lumine, quod citra dubium est accidens suo unico subiecto, scilicet intellectui, innaturale; nec tamen eidem violentum est. Innaturale enim dicitur, quod est præter debitum, aut etiam exigentiam naturæ, violentum verò, quod contra exigentiam, & debitum naturæ est. Ex quo patet, quid sit respondendum ad quartum. Quod, si quid probaret, probaret vtique, nec lumen gloriæ, nec alia huiusmodi innaturalia accidentia possibile esse.

117 Ad sextum respondeo, speciem impressam in meâ sententiâ ne naturaliter quidem esse superfluum, nedum essentialiter, vt apparebit ex dicendis q. 8. In sententiâ autem tribuente Deo influxum specialem obiectiuum, etsi naturaliter necessaria non esset; essentialiter tamen non esset superflua; tum quia, semel datâ, obiectum solum conferret in visionem concursum connaturalem partialem; necessariusque iam esset subinde concursus speciei ad adæquatum connaturalem influxum: tum quia ex hypothesi, quod Deus negare sibi vellet specialem concursum obiectiuum, species iam esset necessaria simpliciter ad connaturalem influxum iuxta dicta num. 115. Sed esto non posset concurrere species ad visionem, nisi solum obedientialiter, adhuc non haberet superfluitatem reddentem eam impossibilem, vt non habent aliæ virtutes merè obedientiales ad effectus, qui aliunde sufficientes causas sui connaturales habent. Ad septimum iam supra est satisfactum.

118 Ad octauum denique dico, esto ex sententiâ nostrâ sequeretur esse possibilem speciem supernaturalem substantialem, nullum fore id absurdum; tum quia absolute est probabile, substantiam supernaturalem adhuc per se subsistentem non repugnare: tum quia aliquod complementum substantiale, & supernaturale substantiæ naturalis per se subsistentis non videtur negari posse possibile propter vnionem hypostaticam, quæ tale quid est. Species autem supernaturalis substantialis complementum quoddam substantiæ naturalis censeri posset. Cæterum, ne huiusmodi quidem speciem substantialem esse possibilem, sequitur ex sententiâ nostrâ: quia species, quam nos possibilem adstruimus, cum sit quid adiectum intellectui, & ei inherens, non potest non esse quid ex suo conceptu accidentale.

Postremò Amicus, vbi supra, reiectis videri aliorum argumentis vt parum efficacibus ad probandam impossibilitatem speciei impressæ Dei, inde eam probat. Quia species impressa essentialiter ordinatur ad expressam. At species expressa Dei repugnat. Ergo & impressa. Sed verò non repugnare, sed dari de facto in videntibus Deum speciem expressam ipsius Dei, satis superque ostendimus supra disp. 17. q. 11. contra Amicum ipsum, & alios. Adde tamen, etsi repugnaret speciei expressæ Dei, supposito, quod non repugnat, sed de facto datur Dei visio, fore vtique, vt non repugnaret speciei impressæ; quia non est, vnde repugnet principium accidentalitæ ex parte obiecti se habens, quod intellectui adiunctum iuuat eum ad producendum Dei visionem; in quocumque demum Dei visio dicatur consistere. Tale autem principium dicimus fore speciem impressam, quantumuis esset impossibilis, salua possibilitate visionis, species expressa. Alia præterea argumenta affert, & latè extendit. Quos vbi supra contra possibilitatem speciei impressæ Dei. Quæ tamen omittimus; quia ex dictis iam, & ex dicendis in seqq. facile ab vnoquoque poterunt dilui.

### QVAESTIO VII.

*Quot modis possit, aut etiam debeat Deus concurrere ad producendam visionem beatificam.*

119 **C**ertum est apud omnes, Deum per modum causæ primæ & posse, & debere concurrere ad productionem visionis beatificæ; adeò, vt hæc nullatenus existere possit sine tali concursu. Quod omnibus omnino effectibus creatis, etiam, qui à causis secundis fiunt, commune est, vt alibi ostenditur. Huiusmodi autem concursus liberum esse, oriundumque immediate ab omnipotentia diuinâ, non minus est exploratum, & apud omnes in confesso. Est tamen dubium, an Deus aliter per modum obiecti possit, aut etiam debeat concurrere ad visionem sui, concursu videlicet oriundo immediate à naturâ, aut etiam ab attributis, ac relationibus diuinis.

120 Molin. 1. p. q. 12. art. 1. disp. 1. 5. Petet. & disp. 2. §. licet. Valen. punc. 2. §. Primò intelligitur. Fasol. dubit. 9. n. 31. & 32. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. §. 19. Salas 1. 2. trac. 2. disp. 5. n. 40. Gran. trac. 4. disp. 5. sec. 4. Maratus disp. 10. sec. 2. Ripal. in manuscript. de visione. Arriag. disp. 8. sec. 4. & alij plures, præter concursum causæ primæ oriundum ab omnipotentia, & alium concursum specialem, & obiectiuum oriundum immediate à naturâ, & attribuant Deo respectu visionis beatificæ. Quæ quidem concursum naturalem, & necessarium arbitratu esse Molina, sequè, ac concursum aliorum quorumcumque obiectorum naturaliter operantium. Facetur tamen, esse Deo absolute liberam productionem visionis: tum quia intellectus, & lumen, à quibus ea dependet liberè, ab ipso conseruantur; tum maxime quia concursus omnipotentis, quo ad ipsam concurrat, liber est. Consentit huic sententiæ Maratus supra sec. 1. sine, Probabilemque reputat Becanus 1. p. trac. 1. cap. 9. q. 2. num. 4. Contrariam tamen tenent Salas, Soar. Fasol. Ripal. & alij asseuerantes, non posse

posse non per se etiam liberum esse dictum concursum obiectuum. Vtrum autem ille non solum naturæ, sed attributis etiam, ac relationibus diuinis prout condistinctis à naturâ tribuendus sit, sub lite est inter Auctores, qui rem attigerunt. Negant Soar. & Fasol. Consequentibus tamen, si non tutius, affirmant Maratus, & Ripal. Quorum opinionem probabilem reputat Arriaga supra; etsi in oppositam ipse vergat. Addunt Molina, Salas, & Fasol. etsi Deus vt obiectum per naturam immediatè concurrat ad visionem beatificam, posse tamen eum nihilominus huiusmodi concursum per omnipotentiam supplere. Oppositum tamen sentit Ripalda cum Nazario 1. p. q. 12. art. 2. contr. 4.

122

Iam verò secunda sententia circa propositum dubium est, Deum nequaquam posse in quantum obiectum concurrere ad visionem sui immediatè per naturam, & multò minùs per attributa, aut relationes, sed solum per omnipotentiam in quantum causa prima, qua ratione solet concurrere ad alios effectus creatos. Pro hac sententiâ refertur Scot. quodl. 14. art. 2. Stantque, quotquot absolutè pronuntiant, Deum non per naturam immediatè, sed per omnipotentiam concurrere ad visionem beatificam. Hi sunt Becanus supra, Herice disp. 42. cap. 4. & plures alij. Stant etiam Vazq. 1. p. disp. 42. sepe repetens, Deum non vt propriam, & specialem, sed vt generalem solum causam concurrere per se ad visionem. Cum quo itidem sentiunt haud dubie, quotquot cum eodem opinantur, dari de facto speciem impressam Dei, à nobis referendi q. 8.

Propositio I.

123

Deus titulo obiecti non habet vim ad producendam visionem beatificam per suam naturam immediatè, & multò minùs per relationes personales, aut attributa; sed tantum per omnipotentiam titulo causæ primæ.

Probatur primò. Quia solemne dogma est in Theologiâ à sanctis Patribus acceptum, solam omnipotentiam esse Deo rationem agendi eorum, quæ producit ad extra; atque ita opera Trinitatis ad extra prorsus esse indiuisa, oriunda videlicet ab vna, eademque virtute, siue potentia Dei actiua per vnicam, & indiuisam actionem. Igitur nihil producit Deus, aut potest producere ad extra, nisi per omnipotentiam toti Trinitati communem. Non ergo per naturam, aut per relationes immediatè potest producere visionem, aut quidpiam aliud ad eam concurrens. Asserere enim, Patres, & Theologos prædictum dogma statuentes de huiusmodi effectibus intentionalibus non agere, sed tantum de reliquis, non solum frivolum, sed irrationabile etiam sit exceptio absolutissimæ, atque vniuersalissimæ regulæ absque fundamento idoneo pro natâ occasione petita. Et confirmari potest, quia, si personalitates diuinæ per se immediatè concurrerent ad sui visionem, vt sunt in Deo tres personalitates distincte realiter, ita quoque essent tres potentie causatiuæ ad extra realiter etiam distinctæ. Opera item Trinitatis ad extra non essent prorsus indiuisa, quandoquidem visio Paternitatis quæ talis à solâ ipsâ Paternitate, tanquam ab obiecto procederet, aliquidque subinde diceretur Pater ad effectum eius conferre,

quod non conferret Filius, siue aliquo modo, quo non Filius. Quæ valde absurda sunt. Quod si personalitates per se immediatè non sunt causatiuæ visionis, nec natura, nec reliqua attributa erunt: quia de omnibus est eadem ratio, vt ex dicendis apparebit.

124

Secundò probatur propositio. Quia non est de ratione obiecti intelligibilis, quod sit productiuum intellectiois sui. Ergo quantumuis natura diuina, personalitates, & alia attributa sint per se immediatè intelligibilia, non debent esse per se immediatè productiua intellectiois, siue visionis sui. Consequentia est bona. Nam eodumtaxat titulo ponuntur hæc ab Aduersarijs per se immediatè productiua visionis sui; quia sunt obiecta per se immediatè intelligibilia, seu visibilia. Antecedens autem probatur primò à priori: quia, vt aliquid sit intelligibile, & verum, sat est, quod sit capax terminandi cognitionem veram; neque est, vnde requiratur, quod sit etiam compos eam causandi. Secundò veluti à posteriori: quia, vt communis Theologorum sententia fert, quæcumque ab Angelis cognoscuntur, præter substantias proprias, aut etiam intima accidentia, nullatenus proximè, vel remotè sunt productiua cognitionis sui: quia per species à Deo infusas, aut sine illis solâ vi intellectus Angelici producitur eorum cognitio. Et vniuersim nulla maior, aut perfectior cognoscibilitas ea, quam habent cuncta obiecta comparatione intellectus Dei; cum quo tamen ad sui cognitionem effectiue illa concurrere, omninò est impossibile, vt constat. Obiecta item omnia futura, præterita, purè possibilis, impossibilia, & conditionata prout talia, non solum à Deo, sed etiam ab intellectu creato cognoscibilia sunt: & tamen prout talia neque immediatè, neque mediatè factiua sunt suæ cognitionis, vt est notissimum. Terriò idem antecedens probatur ab absurdo: quia, si de ratione obiecti intelligibilis esset producere, aut productiuum esse cognitionis sui, quidquid in Deo est cognoscibile, naturaliter, & necessario, qualiter cognoscibile est, esset productiuum ad extra cognitionis sui. Quod licet concedat Molina cum suis, absurdum procul dubio videtur, vt plerique alij fatentur.

125

Nec satisfacit, quod Molina addit, productionem scilicet visionis sui esse absolue liberam Deo; eo quod concursus generalis omnipotentie, quo ad eam insuper concurrat, liber est. Primò: quia, si influxus obiectiuus in dictam visionem, est substantiæ Dei naturalis, vt nequit Deus citra miraculum negare igni applicato suum concursum generalem, etsi absolue sit liber ad illum negandum; ita nequit sine miraculo substantiæ suæ, quæ semper omni intellectui applicata est, negare concursum generalem ad suprascriptam visionem sui. Quo fiet, vt miraculo sit adscribendum, quod omnis intellectus creatus etiam damnatorum non videat Deum. Quod quis non reputet absurdum? Nec refert, lumen gloriæ ad visionem prærequisitum esse. Quia huius etiam productio etiam connaturaliter debita substantiæ Dei eo ipso, quod hæc naturalem virtutem habet ad producendam visionem in intellectu sibi applicato: quemadmodum eo ipso, quod igni applicato connaturaliter est debita productio formæ ignis in passo, connaturaliter quoque sunt debita prærequisita ad talem formam. Miraculum igitur erit, quod in omni intellectu creato non producat à Deo visio cum lumine ad se, præ-

prærequisito. Vnde aliud absurdum sequitur, scilicet, visionem beatificam supernaturalem quoad substantiam non fore contra certam, sanamque Theologorum doctrinam: quia alicui naturæ existenti debita erit. Imo inde etiam fiet, vt semel producto intellectu creato, confestim debita sit substantiæ Dei productio visionis in illo, luminisque prærequisiti; & consequenter talis productio materia non sit idonea liberalitatis diuinæ, prorsusque maneat exclusa ab sphaerâ donorum gratiæ. Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt. Secundò: quia, semel posito, quòd substantia diuina per se immediatè sit productiua per modum obiecti visionis sui, non est, cur illa concursu generali omnipotentis indigeat ad illam producendam; vti illo indigent causæ creatæ ad producendos suos effectus. Sublato autem tali concursu, qui solus secundum Molinam, & suos est per se liber, omnino manebit necessarius concursus obiectiuus substantiæ Dei. Quo fiet, vt Deus citra omnem omnino libertatem producat sui visionem in omni intellectu creato, eo semel creato; eamque cum omni intentione, atque perfectione possibili. Quod, constat, plus quàm falsum esse, & absurdum. Quòd autem substantia diuina, si per se est operatiua visionis, concursu omnipotentis non egeat ad eam producendam, inde probandum venit: quia, cum creaturæ idcirco dependeant in operari ab omnipotentia, quia dependent in esse, consequens est, vt substantia Dei, quæ in esse ab omnipotentia non pendet, neque pendeat in operari, si operatiua est. Vnde rursus efficitur, si personalitates diuinæ sunt per se operatiuæ visionis, (prout necessariò debent esse iuxta sententiam, quam impugnamus, & aliqui Assertorum eius fatentur), fore, vt illæ non solum sine libertate, sed etiam omnipotentis concursu, sed diuisis, diuersisque prorsus virtutibus, & actionibus operentur visionem ipsam. Quo valde roboratur absurdum illatum n. 123.

Iam verò, quod dicunt Salas, Soar. Fasol. Ripal. & alij, concursum obiectiuum naturæ diuinæ, aut etiam relationum in sui visionem per se immediatè, & ratione sui esse liberum, oriundumque proinde à decreto libero Dei imperante, siue mouente per se immediatè naturam Dei, aut etiam personalitates ad operandum, non minus videtur difficile. Primò: quia solam omnipotentiam posuerunt hactenus Theologi subiectam in operando arbitrio diuino. Secundò: quia, si cognoscibilitas naturæ diuinæ, & relationum est in ipsis ratio operandi visionem sui; vt esset verum per locum intrinsecum mansuras illas cognoscibiles, quantumuis Deus per impossibile liber non esset; ita esset verum, mansuras operatiuas visionis sui. Ergo, si de facto sunt tales, independentes à libertate sunt tales. Tertiò: quia reliqua obiecta in sui cognitionem influentia, etsi aliàs sint entia libera, non liberè, sed necessariò influunt in illam, vti in Angelis visionem sui in se ipsis obiectiuè, & necessariò causantibus iuxta sententiam Theologorum communem cernere licet. Ergo, si natura diuina, aut etiam relationes in sui visionem sunt influxiuæ, necessariò vtrique, non liberè sunt influxiuæ. Quæ omnia cum ita sint; conficitur, neque naturaliter, neque liberè, atque adeò nullo modo esse naturam, relationes, aut attributa diuina operatiua per se immediatè visionis sui; vt nostra propositio fert; sed eam à solâ omnipo-

tentia posse originem trahere; quemadmodum reliqui effectus trahunt, quos Deus producit ad extra.

Sed verò contra nostram propositionem sic primò obijcitur. Visio beatifica imago est immediata naturæ diuinæ vt distincta ab omnipotentia, atque etiam personalitatum, reliquorumque attributorum. Ergo ab ijs omnibus immediatè petit oriri: quia de ratione imaginis naturalis est nasci ab obiecto, cuius imago est. Respondeo, si de ratione imaginis rigorosa est nasci effectiuè, & immediatè ab obiecto, cuius imago dicitur, vt videtur sentire August. lib. 83. qq. 9. 74. sæpeque alibi, & cum eo S. Th. 1. p. 4. qq. art. 1. aliisque in locis, visionem beatificam eo rigore non esse imaginem naturæ diuinæ, & attributorum, & relationum. Erit tamen imago naturalis eorum minus rigorosa, & stricta, quatenus representatio quædam naturalis eorum est. Iure enim dicitur naturalis imago rei id, quod rem ipsam naturæ suæ representat, & exprimit; etsi effectiuè à re non nascatur. Quandoquidem artificialis imago, vnde nomen ad naturalem translatum est, à re, cuius est imago, effectiuè non nascitur. Et quidem non esse de ratione imaginis, quòd physicè oriatur à prototypo, graues Theologi asseuerant. E quibus sunt Vazq. 1. p. disp. 142. cap. 4. n. 17. Ruiz tom. de Trin. disp. 64. sec. 2. n. 6. & Alarc. 1. p. tract. 1. disp. 3. cap. 3. n. 14.

Secundò obijcitur. De ratione obiecti intelligibilis est concursus obiectiuus conferre in sui cognitionem. Sed natura diuina, personalitates, & alia attributa vt distincta ab omnipotentia sunt obiecta intelligibilia. Ergo vt sic non possunt non concurrere in sui cognitionem. Nego maiorem. Cuius contradictoriam probauimus n. 124. & seqq.

Tertiò obijcitur. Etsi per impossibile Deus non esset omnipotens, alicorumque effectuum productiuus, nihilominus titulo obiecti esset productiuus visionis, seu cognitionis sui. Sicut color, aliaque huiusmodi obiecta cognoscibilia in suam cognitionem sunt influxiuæ; tametsi aliorum effectuum productiuæ non sint. Ergo, præcisâ omnipotentia, reliquæ formalitates diuinæ non possunt non titulo obiectorum esse immediatè productiuæ visionis sui. Nego antecedens. Iam enim dixi, non omnia obiecta esse productiuæ cognitionis sui; etsi sint aliqua. Nihil ergo mirum, quòd Deus manens obiectum ex se intelligibile non esset productiuus visionis sui, casu, quòd non esset omnipotens. Est namque vnum eorum, quæ in quantum obiecta præcisè nequiquam sunt productiuæ cognitionis sui.

Quartò obijcitur. Concursus in sui cognitionem obiectiuus, & immediatus, siue facultas ad illum aliorum obiectorum perfectio est nullam inuoluens imperfectionem. Ergo non est, cur ea negetur, imò necessariò debet concedi obiecto omnium perfectissimo, qualis est natura diuina, & alia omnes formalitates intrinsecæ. Deo cui nulla non conuenit perfectio carens imperfectione, quam vocant simpliciter simplicem. Nego antecedens. Quia concursus obiectiuus, vt ponitur ab Adversarijs, conueniens obiectis in quantum talibus titulo cognoscibilitatis, siue veritatis, quam habent, imprimis non potest ratione sui esse subiectus libertati, vt supra ponderabamus n. 126. Hoc autem magnam arguit imperfectionem alienam à Deo. In quo nullus actus

actus externus potest esse naturalis, & necessarius, sed profus liber debet esse ratione sui. Deinde non potest non transcendere omnes obiecti formalitates, uti transcendit ipsius obiecti cognoscibilitas, à qua ducit originem. Quod etiam imperfectionem secum fert repugnantem Deo. Quia Deus secundum omnes sui formalitates nequit sine imperfectione esse immediate productivus ad extra. Ad id enim muneris solam habet omnipotentiam. Alioquin & cæteros effectus creatos valeret immediate producere per omnes suas formalitates: in quorum profectio productionibus non minor perfectio relucet, nec plus imperfectionis apparet, quam in productione visionis, si spectentur secundum se. Quod tamen sine absurdo dici non potest.

Propositio 2.

131 Deus titulo obiecti, nec mediâ specie à se productâ, impressaque intellectui creato haber vim ad producendam visionem beatificam.

Quoniam argumenta omnia, quæ probant naturam divinam, personalitates, & alia attributa, præter omnipotentiam, vim non habere effectivam per se immediate visionis beatificæ titulo intelligibilitatis, quam per se habent, eodem; imo potiori iure probant, non habere vim effectivam per se immediate speciei impressæ causatiæ eiusdem visionis, ut satis, superque ex se notum est; & cuique applicanti illa præsentis propositioni patebit.

QVÆSTIO VIII.

*Virum Deum de facto per se solum immediate, vel potius per speciem impressam concurrat ad producendam visionem beatificam.*

132 **C**oncurrere per se immediate communissima Theologorum sententia est. Ita enim tenent, quotquot putant, speciem impressam Dei impossibilem esse, citati iam à nobis supra q. 6. n. 89. Ex alijs vero idem tenent Molin. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Valen. punc. 2. Fasol. dubit. 8. Arrubi. disp. 16. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. & disp. 30. Metaph. sec. 1. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 2. n. 36. Herice 1. p. disp. 42. cap. 3. Becan. cap. 9. de visione q. 2. concl. 1. Arriag. 1. p. disp. 8. sec. 3. & 4. & apud eos alij plurimi. Non desunt tamen graves Doctores, qui tueantur, visionem beatificam de facto per speciem impressam fieri. Ita Egid. Lustit. lib. 8. de Bear. 2. p. q. 3. Theodorus Smifing. de Deo vno tract. 2. disp. 6. q. 4. n. 69. Gaspar. Hurt. 1. p. tract. de Attrib. disp. 12. diff. 4. Oued. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punc. 5. art. 3. Vazq. 1. p. disp. 43. cap. 7. Alarc. tract. 1. disp. 3. cap. 3. & ex antiquioribus alij, quos referunt Fasol. Herice, & Egidius, præter plures, qui, sententiam hanc probabilem esse, asserunt.

Propositio 1.

133 Deus de facto non per se solum immediate, sed per speciem impressam concurrat ad producendam visionem beatificam.

Hæc propositio, suppositâ possibilitate speciei impressæ q. 6. stabilitâ, inde probatur primò. Quia mos exploratissimus est providentiæ divinæ, quæ ad extra producit etiam ultra naturam debitam, per causas secundas connaturales, quantum fieri potest, producere. Ob id enim ad actus supernaturales causandos non per se immediate, uti posset, sed per habitus infusos naturam eleuat: connaturalius enim fiunt actus fidei, spei, & charitatis à naturâ instructâ habitibus, quam à naturâ, & Deo supplente vicem talium habituum. Pariterque visio beatificæ à naturâ instructâ lumine gloriæ, ut fatentur omnes Theologi. Ergo, cum species impressa possibilis sit eidem connaturale principium visionis beatæ, prout ex doctrinâ in superioribus traditâ satis, superque constat, ab eâ utique de facto procedet ipsa visio.

134 **D**ices. Quando obiectum per se immediate in sui cognitionem potest influere, ipsi immediate debetur talis influxus, atque adeo connaturalius ab illo nascitur, quam ab specie impressâ: quæ ad supplendum dumtaxat obiecti defectum est suâ naturâ destinata. Ergo, cum Deus obiectum sit præsentissimum, ac potentissimum ad causandam per se ipsum visionem sui, ab eo utique immediate oriatur dicta visio connaturalius, quam ab specie impressâ; estò ponatur ea possibilis. Respondeo, antecedens huius dicti ut summum esse verum de obiectis, quæ in quantum obiecta concurrunt ad producendam sui cognitionem. Deus autem non in quantum obiectum, sed in quantum omnipotens est causativus visionis sui, ut q. 7. confecti. Quo pacto non est ei immediate debita, atque adeo nec connaturalis productio ipsius visionis; sicut neque aliorum effectuum, qui à causis secundis sunt oriundi. Ex quo patet, tantum abesse, quod visio sit oriunda immediate connaturalius à Deo, quam ab specie impressâ, ut potius ab specie sit oriunda connaturaliter; à Deo verò supplente, vicem speciei supernaturaliter solum possit oriri.

135 **H**inc sumitur secunda probatio propositionis. Nam, si Deus per se immediate non potest connaturaliter visionem beatam producere, sed solum mediâ specie impressâ, nequaquam aliter, quam per hanc, dicendus est illam de facto producere. Quemadmodum per habitum luminis gloriæ idcirco illam de facto producere asseritur; quia huiusmodi habitus principium connaturale visionis est; nec aliter, quam supernaturaliter, potest Deus eius vicem supplere. Porro Deum per se immediate principium connaturale visionis beatæ esse non posse, inde constat specialiter: quia visio beatificæ substantiæ Dei, & consequenter intellectui creato semel producto debita, & connaturalis esset; cui subinde sine miraculo negari non posset; supernaturalisque quoad substantiam non esset; imò neque materia idonea gratuita liberalitatis Dei. Absurda, quæ inferabamus supra q. 7. n. 125.

136 **T**ertiò. Non alio modo concurrat Deus ad visionem sui, quam concurrat ad visionem, quæ vnus

vnus Angelus videt alium: quia ad vtramque concurret solum vt causa prima vniuersalis, prout ex superius dictis liquidum est. Sed ad visionem, qua vnus Angelus videt alium, concurret mediâ specie impressâ, vt communis Theologorum sententia fert, estô allâs per se immediatè possit concurrere supplendo vicem speciei. Ergo etiam ad visionem sui concurret mediâ specie impressâ.

337 **Quartò.** Ad producendam cognitionem cuiusvis alterius obiecti effectiue non influxiui titulo talis in ipsam cognitionem sui non est debitus intellectui creato, proindeque neque tribuitur de facto concursus Dei, quousque illi per speciem impressam talis obiecti instructus sit, vt est certissimum. Ergo, cum substantia diuina obiectum sit titulo talis in sui cognitionem intuitiuam non influxiuam, vt q. 7. probatum est, neque erit debitus concursus Dei ad eam causandam, neque de facto tribuetur intellectui creato, quousque ille per speciem impressam talis obiecti instructus sit. Non ergo per se dumtaxat, sed per speciem prius impressam intellectui dicendus est Deus concurrere ad illam.

338 **Quintò** denique propositio probatur. Quia, vt phrasis est peruulgatissima in Philosophiâ, atque etiam in Theologiâ; ad hoc, vt intellectus quidpiam connaturaliter intelligat, prius debet quodammodo fieri ipsum obiectum intelligendum, illive intelligibiliter assimilari, aut etiam illud sibi vnire, ac veluti intra se collocare. (Videantur Arist. lib. 1. de Anim. cap. 2. & 3. & lib. 3. cap. 7. & 8. & August. lib. 10. de Trinit. cap. 5. & lib. 12. de Genes. ad litt. cap. 23. De quo plura Egid. Lusc. lib. 8. 1. p. q. 2. art. 1.) Sed ita se habere non potest intellectus creatus in ordine ad concipiendam connaturaliter visionem intuitiuam Dei, donec specie impressâ eius instructus sit. Ergo mediâ huiusmodi specie censenda est ab ipso concipi talis visio de facto. Consequentia est bona; quia censenda est concipi ab ipso connaturaliter; quemadmodum ceteri actus supernaturales à suis potentijs naturalibus prout instructis principijs supernaturalibus concipiuntur. Minor, quæ sola indiget probatione, probatur. Quia tunc solum venit censendus intellectus in vniuersum intelligibiliter assimilatus obiecto, & ei vnitus (nimirum in actu primo, & virtualiter) in ordine ad illud intelligendum, quando ita est plene, & proximè potens producere in se intellectionem eius, vt sibi iam connaturaliter talis productio debita sit. Aliud enim genus assimilationis, siue vnionis præuiæ ad productionem intellectionis nec requisitum ad omnem intellectionem in vniuersum, neque excogitabile est. Sed intellectus creatus non est ita plene, & proximè potens producere in se visionem Dei, vt sibi iam connaturaliter sit debita talis productio, donec specie impressâ eius instructus sit, vt ex dictis hæcenus constat. Ergo.

339 **Dices.** Deus per se ipsum est præsentissimus intellectui creato, sufficientissimusque, & potentissimus ad producendam simul cum illo sui visionem. Ergo superfluit prorsus ad id muneris species impressâ, proindeque de facto non datur; etsi absolutè sit possibilis. Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, probare vtique, lumen gloriæ etiam esse superfluum, atque adeò de facto non dari: quia etiam est Deus præsentissimus, sufficientissimus, & potentissimus ad producendam sui visionem simul cum intellectu

solo absque lumine iuxta doctrinam ex communi statutam q. 5. aut etiam non operante, sed tantum patiente intellectu iuxta multorum, & meam sententiam in præcedentibus tactam, & in Pharo disp. 2. q. 1. stabilitam. Ex quo patet, nequiquam per illud probari superfluitatem speciei impressæ. Respondeo ergo secundò, Deum per suam immanentiam esse quidem præsentissimum intellectui creato, sufficientissimumque, & potentissimum ad producendam simul cum illo sui visionem supernaturaliter, siue de potentia absolutâ, concursu videlicet supernaturali, & indebito; secus ad eam producendam connaturaliter, de potentia ordinariâ, concursuque connaturali, & debito. Ad hoc enim est requisita species impressa: quia debitum connaturale ad eiusmodi productionem, siue concursum neque inducitur per lumen præcisè vt lumen, vt pote quod vt sic ex parte potentie dumtaxat, non item ex parte obiecti se habet; neque inducitur per præsentiam intimam ipsius obiecti, vt pote quod titulo obiecti non est productiuum visionis sui, sed tantum titulo causæ vniuersalis omnibus effectibus communi, vt ex dictis hæcenus constat. Ex quo concluditur, speciem impressam non superfluum, sed necessariam esse ad productionem visionis connaturalem; atque adeò de facto dari: quia visio de facto connaturaliter fit citra dubium; vt alij ceteri actus supernaturales.

Vnde etiam apparet, iuxta sententiam nostram, qui censemus, Deum non titulo obiecti, sed titulo tantum causæ vniuersalis concurrere ad visionem sui, vt ad reliquas cognitiones aliorum obiectorum iuxta dicta q. 7. vt Deus dicatur vnitus intelligibiliter intellectui creato in ordine ad visionem sui, necessariam esse speciem impressam, siue distinctam à lumine, siue identificatam cum illo, iuxta dicenda q. 9. In sententiâ verò tributum Deo vim effectiuam visionis non solum titulo generali causæ primæ, sed insuper speciali titulo obiecti, ad id necessariam non esse: quia posito solo lumine eleuatio intellectus, cui aliàs Deus intimè per suam immanentiam esse præfens, iam Deus censetur tali intellectui intelligibiliter vnitus in ordine ad visionem sui, quin alia ad rem excogitabilis, nedum requisita sit vnio, vt latè enetur Recupit. lib. 6. q. 22. cum alijs. Cuius vtriusque ratio est. Quia in eo consistit vniuersè, vt diximus, esse obiectum intelligibiliter intellectui vnium in ordine ad sui intellectionem, quod intellectus ita iam plene, & proximè potens ad illam sit, vt ipsi iam illius productio sit debita connaturaliter. Intellectus autem creatus iuxta sententiam nostram solum potest talis euadere per coniunctionem cum lumine, & cum specie impressâ in ordine ad visionem Dei iuxta alteram verò sententiam per coniunctionem cum solo lumine, & Deo vt obiecto, quo pacto speciei vicem gerit, talis euadit. Ex quibus, si quæ contra propositionem nostram opposita fuerint, facile quæque diluet. Quomodo autem S. Thom. pro nobis explicari possit, quoties docet, Deum per se ipsum vniri intelligibiliter intellectui Beatorum, supposito lumine gloriæ ad id requisito, ex dicendis q. 9. constabit.



QVAESTIO IX.

*Verum species impressa Dei qualitas sit. re ipsa indistineta à lumine gloriae de facto.*

141 **O**Mnes, qui putant, speciem impressam Dei aut esse prorsus impossibilem, aut non dari de facto, consequenter sentiunt, lumen gloriae, quod iuxta fidei dogma q. 2. stabilitum dari de facto consistenter, neutiquam esse speciem impressam Dei, sed quid ab illa realiter, & omnino diuersum. Quæstio ergo præsens solum habet locum in aliorum sententiâ, qui speciem impressam Dei non solum possibilem, sed de facto etiam existentem in Beatorum mentibus adstruunt. E quibus Egid. Lusti. lib. 8. de Beat. 2. p. q. 3. late conatur contra Vazq. probare, speciem impressam, per quam Beati in eius sententiâ Deum vident de facto, diuersam, distinctamque qualitatem esse à lumine gloriae. Vazq. enim 1. p. disp. 43. cap. 6. & 7. eandem prorsus, & indistinctam esse docuerat. Cuius sententiam postea sequuti sunt Alarc. 1. p. tract. 1. disp. 3. cap. 3. Gaspar Hurt. tract. de Attrit. disp. 10. diff. 7. Theodor. Smising. de Deo vno tract. 2. disp. 6. q. 4. Onied. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punc. 4. & alij Recentiores, præter antiquiores, quos pro se citant Vazq. & alij. Lorca autem 1. 2. disp. 3. postquam acriter inuexisset in Vazq. tandem censet probabile, speciem Dei impressam, & lumen idem esse realiter, etsi distinguantur formaliter.

Propositio vnica.

142 **S**pecies impressa, quæ de facto cum intellectu Beati concurret ad efficiendam visionem beatificam, eadem qualitas est re ipsa cum lumine gloriae.

Probat hanc propositionem Oniedo. Quia nullum est excogitabile prædicatum constitutum speciei impressæ Dei, quod non reperiatur in lumine gloriae, aut luminis, quod non reperiatur in specie: supponens nimirum idem ex suo conceptu esse speciem, & lumen; atque adeo neque esse possibile lumen, quod non sit speciem, neque speciem, quæ non sit lumen. Hanc tamen probationem ego non approbo: quia existimo, diuersum esse munus luminis à munere speciei, & e contra; atque adeo possibile esse lumen, quod non sit speciem, & speciem, quæ non sit lumen.

143 **E**tenim munus præcium luminis est, eleuare intellectum ad visionem ei supernaturalem, suppleto, quod illi deest ad talem visionem in ratione potentia tantum, ita, vt ex intellectu, & lumine quadam potentia intellectiua resultet, cui visio Dei sit connaturalis; qualiter intellectui nudè sumpto intellectiones naturales connaturales sunt; & qualiter intellectui prout instructo habitu fidei actus supernaturales fidei connaturales sunt. Sicut ego ultra virtutem intellectui intrinsicam ad actus naturales, & ultra virtutem ex intellectu, & habitu fidei coalescentem ad actus fidei supernaturales desiderantur species impressæ, debentque proinde superaddi, vt vitio compleatur per illas principium adæquatum cuiusmodi

actuum; diuersumque propterea est munus talium specierum à munere virtutum, quas supponunt, & quibus adiunguntur. Ita ultra virtutem resultantem ex intellectu, & lumine gloriae desideratur species impressa; debetque proinde superaddi, vt vitio compleatur per illam principium adæquatum visionis beatificæ; diuersumque est propterea munus speciei à munere virtutis, quam supponit, & cui adiungitur; atque adeo etiam à munere luminis gloriae constituentis illam. Id quod & alij habitus spei, charitatis, virtutumque aliarum infusarum confirmant, utpote qui dumtaxat suppleant, quod deest adiuuitatis ad actus supernaturales ex parte potentia naturalis, relinquentes locum alijs prærequisitis ad tales actus, quæ aliquo modo se habent ex parte obiecti; è quorum numero etiam est species impressa respectu actus cognitionis, iuxta ea, quæ dicebamur supra n. 113.

Dices, virtutem intrinsicam intellectus, & eam, quæ ei accrescit per habitum fidei, indifferentes esse naturâ suâ ad plures, diuersosque actus tum naturales, tum supernaturales fidei plurium, diuersorumque obiectorum; atque ita non mirum, si desiderent, expectentque speciem impressam, per quam ad hunc actum huius obiecti præ alijs determinentur, & cui hoc determinandi munus in dictis virtutibus non reperitur conueniat. At virtutem accrescentem intellectui per lumen gloriae determinatam per se esse ad visionem Dei, atque adeo nullam aliam desiderare speciem, per quam ad hunc actum huius obiecti præ alijs determinetur; proindeque per se ipsam habere id, quod per speciem adiunctam solet præstari. Quod ipsum est, lumen gloriae, à quo talis intellectui prouenit virtus, ex suo conceptu speciem esse.

145 **F**ateor, lumen gloriae ad visionem Dei esse determinatum, quatenus ad ipsam dumtaxat, non verò ad alios actus præbet virtutem intellectui: cum hoc tamen stare, vt ex solo lumine, & intellectu non coalescat virtus adæquata visionis, nisi insuper accedat species; per quam vitio compleatur. Bene enim componitur, esse aliquam virtutem ad aliquem effectum præ cæteris determinatam, & nihilominus non esse completam, & adæquatam, sed solum partialem respectu illius, atque ita desiderantem complementum, cum quo virtutem adæquatam, totalemque componat ad talem effectum requisitam; vt, si daretur potentia vnus dumtaxat obiecti cognoscitiua, adhuc posset illa desiderare speciem impressam, qua, licet non determinaretur, iunaretur tamen ad causandam cognitionem huius obiecti præ alijs, ad quam causandam se solâ impotens erat. Et quidem, species impressa concurrens cum intellectu de facto ad actum naturalem, aut supernaturalem fidei, præterquam quod intellectum determinat ad hunc actum huius obiecti præ cæteris, insuper adiungit ipsum ad illum causandum; virtutemque subinde illi præbet, quam per se non habebat: quæ sanè duo speciei munera præcisè considerata separabilia sunt. Nihil ergo est, quod prohibeat, dari intellectum ad hunc actum huius obiecti præ alijs eatenus determinatum, quatenus ad hunc, & non ad alios virtutem habet; & nihilominus hanc virtutem partialem, & incompletam esse, atque adeo indigentem adiutorio alterius comprincipij ad illum causandum; darique subinde comprincipium, quod, licet non sit determinatum intellectus ad

Н н н н hunc

hunc actum huius obiecti præ alijs, quatenus supponit iam illum determinatum aliunde, sit tamen completum virtutis eius comparatione talis actus. Tale autem comprincipium appellamus speciem impressam comparatione talis actus. Itaque lumen gloriæ præcisè quæ tale dumtaxat est elevatum intellectus creati supplendo vires, quæ illi in ratione potentie defunt ad actum supernaturalem visionis, & consequenter illum ad eam eatenus determinando, quatenus pro eâ dumtaxat, & non pro alijs actibus tales potentie vires supplet. Cum hoc tamen fiat, aliud præterea desiderari comprincipium, quod tanquam virtualis quadam representatio obiecti videndi principium adæquatum visionis ultimò compleat. Et istud est species impressa ipsius obiecti. Vnde tandem concluditur, possibile esse lumen gloriæ, quod, retento proprio luminis munere, munus speciei impressæ Dei nullatenus habeat. Similiterque possibile esse speciem impressam Dei, quæ realiter non sit lumen: atque ita malè propositionem datam probari ex eo, quod non sit excogitabile prædicatum in specie, quod non reperitur in lumine; neque in lumine, quod non reperitur in specie.

146 Inde igitur probanda est. Quia, licet munus luminis gloriæ, atque adeo prædicata eius, & munus, atque prædicata speciei impressæ Dei in entitatibus diuersis inueniri possint diuisa, non sunt tamen ita inter se pugnantia, vt in eadem entitate non possint inueniri coniuncta. Posito autem, quod sit possibilis entitas, quæ munitur tum luminis gloriæ, tum speciei impressæ Dei per se solam possit præstare; ac proinde quæ prædicata vtriusque in se solâ coniuncta habeat; talis vtiq; asserenda est, quæ datur de facto in Beatis; quia, cum frustra fiant per plura, quæ fieri possunt per pauciora, vt fert receptum axiomata, non est cur dicatur in illis per duas entitates fieri, quod per vnicam fieri potest. Talem autem entitatem esse possibilem primò probatur, quia ex nullo capite repugnat entitas, quæ sit elevatiua intellectus ad visionem beatificam, supplendo, quod illi deest in ratione potentie, & simul sit completiua principij adæquati, cui visio ipsa debita sit, per modum cuiusdam virtualis representationis obiecti videndi. Quæ sunt duo munera alijs dispersa in lumine gloriæ, & specie impressâ Dei distinctis inter se realiter, atque reuera possibilibus iuxta dicta. Secundo probatur. Quia actus citra dubium possibilis à principijs fidei, & scientiæ indiuisum oriundus prædicata sortitur fidei, & scientiæ, quæ in alijs actibus reperiuntur seorsim; in vno etiam simul inueniuntur potestas ad calefaciendam, & potestas ad humectandam, quæ in igne, & aquâ sunt dispersa: passimque huiusmodi prædicata alijs diuisa in entitatibus distinctis, in eadem entitate coniuncta reperies. Nihil ergo vetat, prædicata speciei impressæ Dei, & luminis gloriæ, quæ in entitatibus distinctis diuisa possunt reperiri, & in eadem entitate coniuncta reperiri posse: quandoquidem ea æquè, ac cætera commemorata, compatible sunt inter se, vt satis ex dictis videtur notum.

147 Aduerto tamen, quoties diuersa prædicata in rebus distinctis alijs reperta in eadem reperiuntur coniuncta, non posse non hanc à singulis illis specificè diuersam esse: quia non potest non hæc singulis illis realiter esse dissimilis; vt quoduis totum ex partibus diuersis, seu dissimilibus coales-

cens non potest non cuius earum esse dissimile, prout in nostrâ Pharo disp. 16. q. 3. monstratum est. Ex quo patet, lumen gloriæ de factio collatum Beatis, quod iuxta præsentem propositionem luminis simul, & speciei impressæ Dei prædicata habet, lumenque gloriæ subinde, & simul speciei impressæ Dei appellari potest, diuersum specificè esse ab alio lumine, quod sola prædicata luminis, & ab aliâ specie, quæ sola prædicata speciei haberet; dumtaxatque propterea aut lumen gloriæ, aut speciei impressæ Dei dici posset. Hoc tamen ad rem nihil interest, vt satis ex se apparet.

148 Ex his, si quæ contra nostram propositionem opponantur, facile quisque diluet. Quomodo autem S. Th. pro eâ etiam possit exponi, latè explicat Vazq. supra cap. 6. Id certè ex dictis à nobis hucusque colligitur, posito lumine gloriæ, quod datur de facto, absque alio quopiam munere Deum intelligibiliter vniunt intellectui Beati; extareque iam completum, & connaturale principium visionis, cum quo Deus, vt causa vniuersalis per se immediatè concurrat ad efficiendam illam, quod solum fortasse vult S. Thomas, quoties docet, Deum per se vniunt intelligibiliter intellectui Beati, supposito lumine; per seque ipsum simul cum lumine, & intellectu causare visionem.

## DISPUTATIO XX.

### De obiecto Visionis intuitiue Dei.

Cum certum sit ex se, & ex dictis, obiectum huiusmodi visionis esse Deum ipsum disputandum in præsentem suscipimus, quoniam ex attributis, siue prædicatis diuinis, aut etiam ex alijs obiectis, quæ Deus cognoscit, vel sub illam cadant de factio, vel cadere possint de possibili. Sunt autem attributa, siue prædicata diuina, quod ad rem attinet, duplicia: imprimis. Alia, quæ realiter sunt cum Deo identificata, tametsi tum inter se, tum à Deo ipso per nostram rationem distincta sint; proindeque in suo conceptu reali nihil prorsus inuoluunt aut posituum, aut negatiuum, quod realiter non sit Deus. Alia, quæ realiter distinguuntur à Deo saltem inadæquatè; eo quod in suo conceptu reali aut directè, aut ex connotato aliquid includunt, quod à parte rei non est Deus. Ad quam classem reduci possunt omnia alia obiecta, quæ attributa Dei non consentunt. Agnus autem tam intellectus, quam voluntatis Dei quatenus denominantes Deum ipsum intelligentem, & volentem ad primam, vel ad secundam classem attributorum, siue prædicatorum Dei reducendi veniunt iuxta diuersas opiniones eos vt sic constituentes vel adæquatè intrinsecos Deo, vel partim extrinsecos ipsi, prout in tract. de Scientiâ Dei, & Volunt. videbimus. Deinde attributa, siue prædicata diuina, aut etiam alia ab ijs obiecta quoad veritatem obiectiuam, at cognoscibilem, quam habent, alia necessaria sunt, alia contingentia.

QVAESTIO I.

*Verum omnia prædicata realiter identificata cum Deo cadant de facto sub visionem beatificam :*

2 **S**ermo est de prædicatis realiter identificatis cum Deo, siue toti Trinitati communibus, vt sunt bonitas, intellectus, voluntas, &c. siue Personarum proprijs, vt sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio, &c. Tum siue illa attributa, siue modi attributorum, aut eorum gradus dicantur. De actibus verò intellectus, & voluntatis diuinæ sumptis quoad denominationem non agitur in præfenti q. etiamsi illi vt sic cum Deo iuxta sententiam magis probabilem realiter sint aliquo modo identificati: quia de eis specialis est difficultas tractanda q. 3.

3 Circa præsentem igitur sic expositam primam sententiam est, non videri de facto à Beatis omnia attributa realiter identificata cum Deo. Tribuitur Ochamo, Gabrieli, Paludano, Argentinæ, & alijs apud Auctores mox referendos. Secunda est, videri quidem à Beatis omnia dicta attributa, non tamen secundum omnes modos, siue secundum omnes gradus perfectionis, quos in se habent. Ita Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 2. & 3. & Albertin. tom. 1. Coroll. 4. theol. princip. 1. punc. 8. cum multis ex antiquioribus à se relatis. Quibus quodammodo consentit Quirous disp. 31. sec. 1. Tertia, & communissima Theologorum sententia est, omnia omnino prædicata, quæ realiter sunt identificata cum Deo, siue ea attributa aut communia, aut personalia, absolutavè, aut respectiva, siue modi, aut gradus, aut perfectiones attributorum, siue quouis alio nomine nuncupentur, de facto videri à Beatis tam clarè, tamque distinctè, quam Deus ipse, cum quo sunt idem. Ita Thomistæ cum S. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 1. Scotistæ cum Scot. in 4. dist. 50. q. 5. Egid. Lufit. lib. 5. de Beat. 2. p. q. 11. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 22. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 3. Vazq. disp. 48. Arrub. disp. 24. Fasol. dubit. 1. & 2. Herice disp. 50. Franc. Amic. disp. 9. lect. 17. Recupit. lib. 6. q. 3. 1. & alij communiter, quos longum est recensere.

Propositio vnica.

Omnia omnino prædicata realiter identificata cum Deo, de quibus in hac q. tractamus, quocunque illa nomine nuncupentur, de facto videntur à Beatis æquè clarè, ac Deus ipse.

Hæc propositio adeò certa in Theologiâ est, vt multi eam aut de fide, aut fidei proximam esse censeant. Quo circa Egid. Lufit. supra Auctores primæ, & secundæ sententiæ, quatenus illi refragari videntur, in bono sensu interpretatur. Non enim putandi sunt velle, ignorari quidpiam à Beatis de intrinsecis identificatis cum Deo, aut minùs expressè, quam alia, nosci; cum omnia sint vnum, & idem, sed tantum extrinseca aliqua, in ordine ad quæ intrinseca Dei cognosci, & nominari solent, & quibus ignotis, ipsa intrinseca non ab-

solute, sed quatenus relata, siue comparata ad illa ignorari dicuntur, aut minùs expressè, quam alia nosci.

Probatur autem propositio primò. Quia 1. Ioan. 3. dicitur, *Quoniam videbimus eum, sicuti est.* & Concilium Florentinum in decreto de Purgatorio alludens ad hæc Ioannis verba planè definit, *Animas beatas intueri clarè ipsum Deum, trinum, & vnum, sicuti est.* Repugnat autem manifestè, Deum, sicuti re ipsa est, clarè videri, & non videri cum eadem prorsus claritate, quæcunque re ipsa sunt ipse Deus; qualia sunt omnia prædicata re ipsa identificata cum ipso. Alioquin, aliquo eorum non noto clarè, videretur Deus clarè, sicuti est in se, vt supponitur, & simul non videretur clarè, sicuti est in se: quia non videretur clarè id, quod ipse est in se. Quod est chymæricum. Confirmatur, & declaratur. Quia impossibile est, videri Deum, sicuti est in se, & non esse eum obiectiue in mente videntis id ipsum, quod re ipsa est in se cum omnibus modis, & gradibus perfectionis secum re ipsa identificatis, vt est notissimum: alioquin non, vt est in se, sed aliter, quam est in se, videnti appareret, vt etiam constat. Sed Deus à Beatis, sicuti est in se, videtur, vt fides docet. Ergo Deus in mente Beatorum obiectiue est totum id, quod in se re ipsa cum omnibus modis, & gradibus perfectionis secum re ipsa identificatis. Ergo cuncta hæc obiectiue sunt in mente Beati æquè, ac Deus ipse. Quod ipsum est, ea eodem modo, ac Deus ipse à Beatis videri. Deinde confirmatur, & declaratur amplius. Quia, si aliqua formalitas, seu modus, seu gradus perfectionis identificatus cum Deo non videretur à Beatis, Deus vtique sine illo appareret Beatis, sine illo obiectiue esset in mente Beatorum, vt est notissimum, quatenus, existente Deo obiectiue in mente Beatorum, illud in eadem mente Beatorum non existeret obiectiue. Ergo Deus non esset in mente Beatorum obiectiue, sicuti re ipsa est in se: quia esset in mente Beatorum obiectiue sine aliquo secum re ipsa identificato, sine quo re ipsa non est in se. Quod ipsum est, non videri à Beatis, sicuti est in se, contra fidem.

Secundò probatur propositio. Quia 1. ad 6 Corinth. 13. dicit Apost. *Videmus nunc per speculum in ængmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.* Ex quibus verbis manifestè colligitur primò, Beatos non cognoscere Deum ex parte, sicut pro statu præfenti solemus nos per conceptus partiales, & inadæquatos illum cognoscere; sed penitus totum Deum cognoscere. Cognoscerent autem ex parte, atque adeò non totum, si aliquid ex identificatis cum Deo ipsos lateret, vt est notissimum. Secundò, Beatos cognoscere Deum, quod attinet ad integritatem obiecti, sicut Deus cognoscit nos. At Deum nihil penitus lateret ex ijs, quæ nobiscum sunt idem. Ergo nec Beatos lateret quidpiam ex ijs, quæ sunt idem cum Deo. Tertiò, id totum nos de Deo facie ad faciem visuros in Patriâ, quod in Viâ per speculum in ængmate de Deo ipso, aut fide credimus, aut aliter cum veritate concipimus. At nihil est penitus ex identificatis cum Deo, quod saltem sub conceptus nostros confusos, & vniuersales non cadat, vt est certissimum. Ergo neque est aliquid ex identificatis cum Deo, quod lateat Beatos. Et quidem, cum visio Patriæ Fidei Viâ succedat, vt etiam insinuat Apostolus, & omnes Theologi con-

fiuntur, consequens est, ut quicquid de Deo fide credimus in Viâ, de eodem in Patriâ visione clarâ intueamur iuxta illud August. lib. de diligendo Deo cap. 18. *Quod hic crediderunt, ibi videbunt.* Credimus autem in Viâ per fidem, Deum esse infinitum pelagus perfectionum, Deum secum identificare omnem perfectionem imperfectione immunem, & alia huiusmodi, quæ nihil incognitum relinquunt ex identificatis cum Deo.

7 Tertiò probatur propositio. Quia omnino est impossibile cognosci Deum clarè, & per speciem propriam, siue in se ipso, prout iuxta fidem cognoscitur à Beatis, & non cognosci totum omnino cum omnibus prædicatis identificatis secum realiter, ut statuimus q. 2. Ergo ita cognosci de facto à Beatis, omnino asserendum est.

8 Obijci tamen potest contra propositionem, ex illâ sequi primò contra Scripturam, visiones Beatorum esse æquales: quia nihil Dei videret vnus, quod non alter. Secundò etiam contra fidem, Deum à Beatis comprehendi: quia id comprehenditur, cuius nihil latet videntem, iuxta August. epist. 112. cap. 8. Tertiò contra sanam Theologiam, videre Beatos omnia, quæ Deus cognoscit: quia viderent scientiam, quam Deus omnium habet, quæ, ijs non visis, videri nequit; tum omnes actus voluntatis diuinæ, atque adeò, & eorum objecta. Quarto denique, videre infinitas perfectiones, quales diuinæ sunt, visione finitâ. Quod repugnat.

9 Respondeo ad primum, visiones Beatorum non esse inæquales ex parte objecti primarij, quod est Deus; esse tamen inæquales ex parte propriæ perfectionis, aut etiam ex parte objecti secundarij, nimirum creaturarum etiam visarum. Quod fat est ad verificandam Scripturam, ut videbimus disp. 21. Ad secundum, ut comprehendatur Deus non satis esse, quòd videatur totus; sed requiri insuper, quòd videatur tam perfectè, quam perfectè videri nequit ab vllâ creaturâ, iuxta dicta disp. 17. q. 6. vbi August. exposuimus. Ad tertium constabit ex dicendis q. 3. Ad quartum dico, diuinæ perfectiones re ipsâ non esse multitudinem infinitam: quia Deus cum omnibus suis perfectionibus à parte rei est quid prorsus indiuisibile. Sed esto essent, adhuc visione finitâ videri possent; siquidem Deus sublimiorem, quam multitudinis, infinitatem habens visione finitâ est visibilis.

### QVÆSTIO II.

*Virum ex prædicatis tam personalibus, quam communibus realiter identificatis cum Deo vnum sine altero intuitiue videri possit.*

10 QVÆSTIONEM hanc tractauimus in Pharo Scient. disp. 12. q. 11. & resolutio fuit negatiua. itaque statuimus ibi, & probauimus, nullum prædicatum, nullamve formalitatem, seu toti Trinitati communem, seu Personarum propriam ex ijs, quæ à parte rei sunt idem cum Deo, intuitiue sine alterâ, siue, alterâ non visâ, videri posse adhuc de potentiâ Dei absolutâ. Idque etiam tales formalitates in ordine ad munerâ alia aut inter se, aut ab essentiâ diuinâ vir-

tualiter sint distinctæ. Imo non solum ex parte objecti, sed ex parte actus, seu modi neutriquam ab intuitibus posse præcindi vnâ formalitatem diuinam ab aliâ, cum qua realiter est idem, contra Recentiores quosdam ostendimus. Quin imò q. 12. etiam probauimus, formalitates diuinæ realiter identificatas ab ipsas videntibus intuitiue nullam distinctionem rationis subire posse. De quibus omnibus ibi plura.

### QVÆSTIO III.

*Quousque, & qualiter Beati cognoscere possint; de facto cognoscant actus intellectus, & voluntatis Dei, diuinæ*

*scilicet intellectiones, & volitiones.*

PRO resolutione suppono primò, Actus Dei (sic semper appello impræsentiarum comprehendij causâ intellectiones, & volitiones diuinæ) bifariam vlturpari, siue considerari posse. Primò quoad entitatem, quam habent identificatam cum Deo, & æqualis necessitatis cum ipso. Secundò quoad denominationem, quam ipsi Deo præbent intelligentis, & volentis: quæ denominatione plerunque aut minus necessaria, quam Deus, aut absolute contingens est. Et de actibus quidem Dei primo modo sumptis, certum est, videri ab omnibus Beatis, à quibus Deus ipse videtur: quia ut sic omnimodis sunt ipse Deus. Solum ergo procedit quæstio de illis sumptis secundo modo.

Suppono secundò, Actus Dei sumptos quoad denominationem, quam Deo præbent intelligentis, & volentis (quo pacto semper deinceps illos sumemus, nisi aliud exprimat) alios necessarios esse, alios contingentes, seu liberos. Necessarii sunt illi, quibus Deus se intelligit, & amat; & quibus intelligit cetera objecta necessariz veritatis à se distincta; & si qui sunt, quibus absque libertate amat illa. Contingentes autem, seu liberi sunt illi, quibus intelligit objecta omnia contingentia, & quibus illa liberè amat, aut perimit.

Suppono tertiò, de hac quæstione pauca dixisse Scholasticos antiquiores, teste Soar, lib. 2. de Attrib. cap. 24. Ex modernioribus autem, qui illam tangunt, solum agunt de decretis Dei liberis. Hi sunt Soar. ibi. Molin. 1. p. 9. 12. art. 8. disp. 5. memb. 5. Bann. ibid. Zumel art. 7. q. 1. Fasol. dub. 3. obic. 5. Gran. tract. 6. disp. 1. sec. 7. Herice disp. 52. cap. 1. Arriag disp. 9. sec. 8. Franc. Amic. disp. 9. sec. 19. Quiros disp. 31. sec. 7. Ouied. 1. 2. tract. 1. contr. 4. punc. 3. & alij. Nos verò etiam de actibus Dei necessarijs, quod attinet ad hanc quæstionem dicemus.

Suppono quartò, opiniones de constitutione actuum Dei quoad denominationem ad duas, quod ad rem attinet, reduci posse. Prima est asserentium, actus Dei per extrinsecâ connotatâ compleri. Secunda asserentium, actus Dei adæquate esse intrinsecos ipsi Deo iuxta dicenda latius infra in tract. de Volunt.

Suppono quintò pro dicendis tum in hac, tum in sequente quæstione, cognitionem Beatorum de actibus diuinis, atque etiam de alijs objectis distinctis à Deo aut abstractiuam, siue habitam per

per species alienas, aut intuitivam, siue habitam per species proprias excogitari posse iuxta dicta sæpe in Pharo Scient. atque etiam in superioribus circa cognitionum harum discrimen. Et utramque vel distinctam à visione beatificâ, vel identificatam cum illâ. Tum vel evidentem, vel obscuram iuxta dicta in eadem Pharo disp. 4. Rursus vel attingentem tales actus, taliaque obiecta confusè, & tantùm sub uniuersali conceptu, vel distinctè, & in particulari iuxta dicta ibidem disp. 17. Denique vel attingentem tales actus, taliaque obiecta in ipsismet, vel aliquâ ratione in Deo, vel utroque modo. Dicitur autem solet aliquod obiectum à Deo diuersum cognosci in ipso Deo multis de causis, siue titulis. Primò; quia Deus est, qui tale obiectum manifestat, siue reuelat. Quo solum titulo censet Vazq. 1. p. disp. 50. cap. 7. dici à Theologis, & Patribus, creaturas à Beatis videri in Verbo. Probareque intendit, dici etiam propterea interdum videri in Verbo à Viatoribus; quia, Verbo reuelante, ab eis cognoscuntur. Secundò; quia Deus per modum speciei impressæ concurrit ad talis obiecti cognitionem. Quo titulo putat, lateque contendit Recupit. lib. 6. quæst. 36. cap. 3. dici à Theologis, & Patribus, videri creaturas in Verbo. Verùm utrumque iste dicendi modus satis improprie esse videtur. Quia valde improprie dicitur cognosci obiectum in quouis principio effectiuo suæ cognitionis, quatenus tali. Deus autem, prout reuelans obiectum, & prout concurrens per modum speciei impressæ ad cognitionem eius, ut principium tantùm effectiuum se gerit cognitionis obiecti. Tertio igitur, & proprie dici solet obiectum à Deo diuersum in ipso Deo cognosci, quotiescunque Deus obiectiuè quoquo modo concurrit, ut tale obiectum cognoscatur, determinando intellectum ad eius cognitionem; vel quia connexus cum illo censetur; & omne connexum cognitur ad cognoscendum terminum connexionis determinat: vel quia aliquo modo est eius imago; & in imagine cognita satis proprie dicitur cognosci prototypon: vel quia cognitioni de Deo cognitio de tali obiecto aliquo modo debita est. Et uniuersum, quoties intellectus ex vi cognoscendi vnum cognoscit aliud, hoc in illo cognoscere dicitur; ut dicitur videri in speculo id, quod propterea videtur, quia videtur speculum. Vel denique quia obiectum cognitum in ipso Deo aliquo modo est; & vnumquod, que ibi, vbi est, cognosci dicitur. Et hæc quidem, siue Deus, & dictum obiectum per eandem cognitionem, siue per distinctas cognoscantur. Quanquam enim soleant interdum Scholastici distinguere cognitionem vnius in alio à cognitione vnius ex alio, appellantes cognitionem vnius in alio, quando utrumque per eandem cognitionem cognoscitur, determinante ad illam eo solo, in quo aliud cognosci dicitur: cognitionem verò vnius ex alio, quando cognitio vnius distincta est à cognitione alterius, & ex illâ oriunda. Interdum tamen non distinguunt, sed uniuersaliter dicunt, cognosci vnum in alio, quoties ex vi cognoscendi vnum cognoscitur aliud seu per eandem, seu per distinctam cognitionem. Iam verò id in se ipso cognosci dicitur, quod obiectiuè determinat ad sui cognitionem. In se autem, & in alio simul dicitur obiectum cognosci, quando ad cognitionem eius vnam, vel plures & ipsum, & aliud determinant obiectiuè. De quibus iterum redibit sermo in tract. de Scient. Dei. Id

supereft animaduertendum, quidquid in Deo aliquo ex prædictis titulis cognosci dicitur, uniuersaliter solere dici cognosci in Verbo per appropriationem quandam, quatenus ea, quæ ad cognitionem pertinent, Verbo diuino, utpote procedenti per intellectum, appropriari solent; sicut, quæ pertinent ad amorem, Spiritui sancto procedenti per voluntatem. Specialiter autem dicuntur in Verbo cognosci veluti in quadam sua imagine, quæcunque ex vi cognoscendi Verbum tanquam representatiuum eorum per modum, termini cognita fuerint iuxta dicenda paulò infra proposit. 3. His positis fit.

Propositio 1.

Non omnes actus liberi Dei cognoscuntur à singulis Beatis de facto distinctè, & in particulari.

Hæc propositio adeò certa in Thologia est; ut nonnulli apud Soar. supra putauerint, esse de fide; ipseque Soar. Oued. & alij communiter censent, sine temeritate saltem oppositum dici non posse. Eam enim tenent omnes Theologi uniuersaliter, qui tetigerunt punctum hoc, cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 7. & 8. & 3. p. q. 10. art. 1. & q. 8. de Verit. art. 4. Estque doctrina D. Dionys. de Diuin. nom. cap. 3. & de Cœlesti hierarch. cap. 7. Et probari potest primò; quia, cum proprium sit substantiæ intellectualis; & liberæ ijs etiam, qui sentiuntur, posse consilia sua celare, sæpeque celare de facto, ut traditur in tract. de Angelis; id utique substantiæ intellectuali, & liberæ præstantissimæ omnium, qualis est Deus, omnino dicendum est conuenire. Secundò; quia Beati pro inæqualitate meritorum accipiunt à Deo præmium non solum essentialis, sed etiam accidentalis beatitudinis, ad quam spectat manifestatio secretorum consiliorum Dei. Ergo eiusmodi manifestatio inæqualis est in Beatis tam ex parte cognitionis, quam ex parte obiectorum manifestatorum: siquidem utroque hoc modo pertinet ad eorum accidentalem beatitudinem. Ergo aliqua consilia secreta Dei cognoscunt aliqui Beati, quæ non cognoscunt alij. Quod ipsum est, non omnes actus liberos Dei à singulis Beatis cognosci. Tertio; quia, si omnes actus liberi Dei singillatim ab omnibus Beatis cognoscerentur, ab eisdem etiam cognoscerentur singillatim omnes res existentes in aliquâ differentiâ temporis, utpote cum quibus ut sic suoapte conceptu sunt, connexi eiusmodi actus. Sed non omnes res existentes in aliquâ differentiâ temporis cognoscunt singillatim omnes Beati, ut q. 4. ostendemus. Ergo. Dico autem in propositione *distinctè, & in particulari*. Nam omnes actus liberi Dei sub aliquem Beatorum conceptum confusum, & uniuersalem cadere, nihil est, quod prohibeat: uti sub aliquem huiusmodi nostrum adhuc in statu præfenti cadere possunt, sæpeque etiam solent; quoties scilicet de actibus Dei in genere quidpiam differimus.

Quomodo autem fieri possit, ut videntes intuitiuè Deum non videant pariter eadem visione omnes actus liberos eius, facile apparet iuxta eorum sententiam, qui putant, eiusmodi actus per extrinseca connotata compleri: quippe, non viso, aut prorsus ignoto connotato, non visus, aut prorsus ignotus manebit actus includens illud in suo reali conceptu. Constat autem, videntes

intuitiue Deum posse non videre, aut etiam penitus ignorare connotata extrinseca Deo, realiterque subinde ab ipso distincta. Iuxta alteram vero sententiam asserentium, eiusmodi actus adæquate esse intrinsecos Deo, non ita facile explicatu est, quo pacto videntes Deum non videant necessarium eo ipso omnes actus liberos eius: quandoquidem necessario vident omnia identificata cum Deo iuxta doctrinam statutam q. 1. & 2.

18 Herice supra putat, iuxta hanc posteriorem sententiam necessario asserendum esse, videri à quolibet Beato omnes actus liberos Dei; atque ita vel eo iure talem sententiam reiiciendam. Sed male. Quia talis sententia longe probabilior est altera; nullatenusque subinde ob difficultatem istam reiici debet, vt ostendemus in tract. de Volunt.

19 Arriaga supra, & alij censent, ideo posse actus Dei liberos non videri à videntibus ipsum Deum, etiamsi realiter sint identificati cum illo, quia virtualiter ab illo distincti sunt: formalitatem enim distinctam ab alia virtualiter, quantumvis cum ea identificatam realiter, bene sine illa, siue, illa non visa, videri posse. Non placent. Primo; quia formalitas cum alia identificata realiter, quantumvis ab illa virtualiter in ordine ad alia munera distincta sit, neutiquam sine illa videri potest intuitiue, aut per speciem propriam cognosci, vt efficaciter ostendit in Pharo Scient. disp. 13. q. 11. Secundo; quia, si Deus videretur, non visa aliqua formalitate cum ipso identificata realiter, quantumvis ab ipso quouis modo distincta virtualiter, Deus vtique non videretur, sicuti est in se: quia Deus in mente eum videntis obiectiue non esset idem ipsum, quod est in se, nimirum ea formalitas: quia non appareret Deus videnti vt vnum quid, & idem cum illa: (alioquin & ipsa vt vnum quid, & idem cum Deo appareret, eodemque profus modo videretur, ac Deus ipse contra suppositionem). Igitur, cum sit de fide iuxta dicta quæst. 1. videri Deum à Beatis, sicuti est in se, est possibile sit, eum sine suis actibus liberos videri intuitiue, de facto tamen cum illis omnibus videri à quouis Beato dicendum erit contra certam statutam propositionem: ne absurdius contra fidem dicatur, eum non videri à Beatis, sicuti est in se. Male ergo præfati Auctores supponentes, actus Dei liberos esse formalitates quasdam identificatas cum Deo realiter, beneficio distinctionis virtualis inter Deum, & eas reperta præsentem difficultatem conantur euadere. Vnde obiter colliges contra Caiet. & alios, actus Dei liberos neutiquam consistere posse in formalitatibus realiter identificatis cum Deo, eoque iure contingentibus, siue deficiabilibus, quod potuerunt ita cum Deo non identificari. De quo plura suo loco.

20 Aliter ipse Arriaga, Quieto, Quirós, & alij putant, actus Dei liberos, quantumvis sint formalitates realiter identificata cum Deo, posse explicitè non videri à Beatis, Deo ipso explicitè viso: quia vniuersaliter opinantur, formalitates realiter identificatas, etsi non sint præscindibiles ex parte obiecti, quatenus impossibile est, quod per cognitionem attingatur vna, & non alia, esse tamen præscindibiles ex parte actus, siue ex parte modi illas attingendi, quatenus ita possunt per cognitionem etiam intuitiuam attingi, & vnius tantum possit cognoscens rationem reddere, non alterius: perindeque propterea se habeat, ac si eam vnã tantum attingeret. Quo

pacto dicunt, bene posse Beatos ita intuitiue videre Deum, vt solum de essentia, & attributis Dei necessarijs possint rationem reddere, non item de omnibus actibus eius liberis: tamen si hi omnes quoque attingantur per eorum visiones: perindeque propterea sit, ac si non attingerentur per illas. Sed neque placent. Primo quidem; quia genus istud præscindendi per intuitiuam formalitates realiter identificatas non ex parte obiecti, sed ex parte actus, seu modi, efficaciter reiici in Pharo vt omnino impossibile disp. 13. q. 11. iam citata. Secundo; quia, eius possibilitate supposita, vel Beatos præscindere tali modo Deum ab aliqua ipsius formalitate, componitur bene cum eo, quod videant illum, sicuti est in se, vel fecit? Si non componitur; cum sit de fide, Deum à Beatis videri, sicuti est in se, dicendum vtique erit, Beatos de facto, ne tali quidem modo præscindere Deum ab vlla ipsius formalitate; atque adeo neque ab vilo actu libero eius contra certam statutam propositionem. Si autem componitur; male deducunt omnes Theologi, vt deducunt, Beatos à nullo attributo necessario præscindere Deum, dum ipsum vident, sed omnia singulos æque clare videre, ex eo, quod Scriptura dicat, ipsum à Beatis videri, sicuti est in se. Dicique poterit æquo iure, non obstante Scripturâ, Deum videri de facto à Beatis dicto modo præscisum tam ab aliquibus attributis necessarijs, quam ab aliquibus actibus liberis, contra certam Theologorum sententiam statutam q. 1.

Ego igitur, vt nodum hunc aptius dissoluam, suppono ex dicendis latius in tract. de Volunt. actum Dei liberum in formalitate Dei necessariâ prout non deficiente virtualiter in ordine ad denominandum ipsum intelligentem, aut volentem consistere. Quo fit, vt ille quoad denominationem eatenus sit contingens formaliter, quatenus formalitas Dei necessaria in ordine ad Deum denominandum virtualiter est contingens: atque ita tunc Deus non est intelligens, aut volens quidpiam, quod potuit intelligere, aut velle, quando formalitas Dei in ordine ad reddendum ipsum intelligebtem id, aut volentem virtualiter est deficiens, seu non existens; cum tamen semper sit necessario existens formaliter: tunc autem Deus est intelligens, aut volens quidpiam, quod potuit non intelligere, aut non velle, quando formalitas Dei in ordine ad reddendum ipsum intelligentem id, aut volentem virtualiter est non deficiens, seu virtualiter est existens, siue habens supra necessariam formalem virtutem insuper existentiam in ordine ad talem Deo præbendam denominationem. Ex quo patet, quo pacto libertas, siue contingentia formalis actus Dei quoad denominationem per solam virtutem contingentiam actus Dei quoad entitatem saluetur, quin vlla diuina formalitas formaliter contingens sit. De quo plura loco citato.

Hinc iam pro enodatione præsentis difficultatis apparet, quomodo absque vlla præcisione formalitatum possit Beatus videre integrè totum Deum, quin videat eius actus liberos quoad denominationem. Si enim absque vlla præcisione formalitatum cum sola præcisione ab statu potest Deus totus per propriam speciem clare videri quoad quid est, seu prout in statu quiditatio; quin videatur quoad an est, seu prout in statu existentiâli formali, vt disp. 17. q. 3. statutum est; multò melius totus ipse Deus cum omnibus

formalitatibus suorum actuum liberorum absque simili præcisione videri poterit quoad statum quiditatum, atque etiam quoad existentialem formalem, & necessarium: quin eiusmodi formalitates videantur quoad statum existentialem virtuales, & contingentem, quem insuper habent in ordine ad denominandum Deum intelligentem, & volentem. Quo statu virtuali ignoto, ignoti videnti Deam manebunt actus liberi eius quoad eiusmodi denominationem provenientem à tali statu. Unde etiam apparet, quomodo possint de facto Beati videre Deum, sicuti est, videndo scilicet, quidquid Deus est re ipsa formaliter; quia videant omnes actus eius liberos quoad denominationem. Ignorare quippe denominationem istam, non est ignorare quidpiam eorum, quæ Deus est à parte rei, sed tantum ignorare quendam eorum statum, eumque non formalem, sed virtuales, siue æquivalentem duntaxat; cum quæ ignorantia subinde bene componitur, quod videatur Deus intuitivè, sicuti re ipsa est in se absolute, & simpliciter, prout asseritur per Scripturam, videri de facto à Beatis.

Propositio 2.

23 Non omnes actus Dei necessarij cognoscuntur à singulis Beatis de facto distinctè, & in particulari.

Hæc propositio mihi etiam est certa. Quia certum est, non omnes creaturas possibiles, nedum omnia obiecta, quæ Deus necessariò intelligit, aut etiam amat, à singulis Beatis cognosci distinctè, & in particulari, ut apparebit ex dicendis q. 4. Cognoscerentur autem hand dubiè, si omnes actus Dei necessarij aut intellectus, aut voluntatis ad tales creaturas, ed taliæ obiecta terminati distinctè, & in particulari cognoscerentur, ut etiam constabit ex dicendis q. 4. Dico autem hic etiam *distinctè, & in particulari*. Quia confuso aliquo, & univèrsali conceptu, non est, cur Beati non complectantur omnes actus Dei; vii & nos sæpe pro præsentì statu complectimur.

24 Quomodo autem possint Beati videre Deum, sicuti est, quin videant omnes actus necessarios eius quoad denominationem, stando etiam in sententiâ ponente eos adæquatè intrinsecos Deo, ex dictis circa præcedentem propositionem constat. Quia, quod ad rem atinet, eadem est ratio de actibus necessarijs, quibus Deus obiecta à se distincta intelligit, aut etiam amat, ac de liberis. Actus enim Dei necessarij de obiecto distincto, etiam consistit in formalitate divinâ prout non deficiente, seu prout existente virtualiter, nisi quod hæc virtualis existentia, ex qua resultat denominatio, tam necessaria est, quam obiectum: atque adeò minùs necessaria, quam Deus, cuius necessitate minor est alia quavis ab ipso distincta, ut pluribus dictum est supra disp. 3. q. 2.

Propositio 3.

25 Singuli Beatorum distinctè, & in particulari cognoscunt aliquos actus Dei tum liberos, tum necessarios.

Hæc propositio etiam est certa apud omnes Theologos. Supponiturque à S. Th. & D. Dionys. locis citatis supra proposit. 1. Quia certum est,

unumquemque Beatorum distinctè ea omnia cognoscere, quæ pertinent ad suum statum, ut latius dicemus q. 4. Constat autem, inter pertinentia ad uniuscuiusque statum non posse non comprehendi eos actus Dei intellectus, & voluntatis tum liberos, tum necessarios, quæ ad cætera causanda concurrunt, præter alios, qui ex illis insuper cum certitudine possunt singuli Beati colligere.

26 Qua ratione autem cognoscunt Beati actus divinos tum intellectus, tum voluntatis toti Trinitati communes, eadem cognoscunt Verbum, divinum secundam Trinitatis personam, quatenus Verbum est obiectorum actuum intellectus, & Spiritum sanctum tertiam personam Trinitatis, quatenus pondus est, siue amor per modum termini obiectorum actuum voluntatis. Quia videntes Trinitatem nullatenus ignorare possunt, repræsentari per Verbum tanquam per terminum productum, quidquid repræsentatur per cognitionem toti Trinitati communem tanquam per actum; tangique per Spiritum sanctum tanquam per pondus productum, quidquid tangitur per volitionem toti Trinitati communem tanquam per actum, ob manifestam connexionem, quam duo hæc habent in Deo. Porro Verbum divinum, & Spiritus sanctus eodem pacto evadunt verbum, & pondus obiectorum distinctorum à Deo tam necessarios, quam contingentium per non defectum, siue per existentiam virtuales suæ entitati necessariæ accrescentem; atque formalitates Dei necessariæ toti Trinitati communes per similem non defectum, siue existentiam virtuales sibi accrescentem evadunt actus cognitionis, aut volitionis eorundem obiectorum iuxta dicta proposit. 1. & 2. prout latius explicandum est in tract. de Trinit. Et quoniam Deus non solum cognoscit, & amat obiecta, sed etiam reflexo quodam modo cognoscit, & amat omnes suos actus; & consequenter Verbum divinum, & Spiritus sanctus non solum evadunt verbum, & pondus aliorum obiectorum, sed etiam omnium actuum Dei; idcirco Beati non solum cognoscunt Verbum, & Spiritum sanctum, quatenus est verbum, & pondus obiectorum divinorum actuum, quos cognoscunt, sed etiam quatenus est verbum, & pondus ipsorum actuum.

Propositio 4.

27 Quicumque actus Dei à Beatis titulo talium cognoscuntur, per ipsam visionem, beatificam intuitivè cognoscuntur. Præter quos aliqui alij abstractivè tantum cognoscuntur ab ipsis.

Prima propositionis pars probatur imprimis ex communi Theologorum, qui rem hanc attingunt, consensu. Omnes enim, aut plerique saltem eorum vel affirmant, vel supponunt, intuitivè videri ab unoquoque Beato per ipsam visionem beatificam eos actus divinos, qui titulo beatitudinis debito aliquo vel congruitatis, vel connaturalitatis ipsi manifestari debent; cuiusmodi sunt, qui vel ad ipsius statum pertinent, vel aliter ad ipsum spectant iuxta dicenda q. 4. Deinde probatur ratione. Quia status beatificus iure deposcit, ut per species proprias, atque adeò per intuitivam cognitionem notificentur Beatis, quicumque eis eo titulo, quod sunt Beati, notificentur:

eur : è quorum numero sunt prædicti actus Dei . Quemadmodum status Angelorum , & animarum separatarum iure deposcit species proprias , & intuitivas cognitiones eorum obiectorum , quorum notitia sibi est connaturalis , & consentanea . Sed per aliam intuitionem distinctam à visione beatificâ non notificantur Beatis intuitivè prædicti actus . Ergo per ipsam visionem beatificam eis intuitivè notificari dicendi sunt . Maior videtur certa : & consequentia est legitima . Minor probatur . Primò ; quia frustra fierent per plura , quæ possunt fieri per pauciora . Ergo , cum eiusmodi actus vnâ cum Deo per ipsam visionem Dei beatificam intuitivè cognosci possint , vt certè possunt , non est cur per aliam visionem visioni beatificæ adiunctam seorsim , & intuitivè cognosci dicantur . Secundò ; quia , stando in sententia probabiliori constituyente dictos actus adæquatè intrinsecos Deo , nullatenus illi intuitivè cognosci possunt , quin per eandem intuitionem eodem modo cognoscatur integer Deus . Adiungi autem visioni beatificæ tangenti substantiam Dei seorsim ab actibus aliam visionem etiam beatificam tangentem pariter substantiam Dei simul , & actus , superuacaneum certè , aut etiam vltra Beatè meritum foret . Vnam ergo dumtaxat visionem beatificam dari tangentem indiuisum Deum , & actus , dicendum est . Quod autem actus diuinus iuxta sententiam dictam intuitivè videri nequeat , quin per eandem intuitionem eodem modo Deus videatur , inde probatur . Quia , licet formalitas diuina videri possit prout existens formaliter , quin videatur prout existens insuper virtualiter ; sicque à vidente Deum possit ignorari actus eius quoad denominationem , vt dicebamus supra n. 22. è contrâ verò non est possibile , quod videatur formalitas Dei quoad existentiam virtualem , quin videatur quoad quiditatem , & existentiam formalem ; atque adeò quod videatur actus Dei quoad denominationem , quin videatur ipse Deus , vt pote qui per visionem cuiusvis formalitatis sui necessariò videri debet eodem modo iuxta doctrinam statutam q. 2. Quemadmodum , etsi sit possibile , videri Deum quoad quid est , quin videatur quoad an est , vt supra relinquimus statutum disp. 17. q. 3. è contrâ tamen impossibile , haud dubiè est , videri Deum quoad an est , quin videatur quoad quid est .

28 Dices . Non omnes actus Dei pertinentes ad vnumquemque Beatum manifestantur ipsi à principio suæ beatificationis ; sed quidam eorum manifestantur successu temporis . At ij per visionem beatificam principio collatam , & semper permanentem manifestari nequeunt : quia , quæ à principio suapte essentia non erat visio talium actuum , successu temporis nequit euadere eorum visio : mutaret namque essentiam ; quod prorsus repugnat . Ergo manifestantur per aliam intuitionem adiunctam visioni beatificæ . Respondè , meâ quidem sententiâ disp. 21. exponendâ , & probandâ , visionem beatificam vniuscuiusque Beati singulis momentis variari physicè ; eate nusque solum permanentem esse , & perpetuam , quatenus tractus quidam continuus , & successiuus visionum physicè inter se distinctarum , & vnam quamdam componentium successiuam visionem perpetuus , atque adeò adæquatè sumptus indefectibilis est . Quo posito , nihil est , quod vetet , actus diuinos successu temporis manifestandi vnicuique Beato per visiones ipsas quasi partiales eodem successu temporis ei collatas ma-

nifestari , vt constat . Cui autem sententia hæc de successione visionis beatificæ post eius probationem visam minus arripserit , dicere ad propositum poterit , non intuitiuam , sed abstractiuam tantum notitiam deberi Beatis eorum actuum diuinorum , quos oportet eis non à principio , sed successu temporis manifestari : talemque subinde successu temporis ipsis confiteri , vt pote quæ benè potest esse distincta à visione beatificâ principio collatâ , vt est notum .

Iam verò secunda pars propositionis inde probatur . Quia , præter actus Dei , quos Beati titulo talium intuitivè cognoscunt , non est cur alios non colligant per discursum ; atque adeò abstractivè , & per alienas species etiam euidentia cognoscant vel ex effectibus , quos intuitivè vident , & in dies illis quoquo modo notificantur , vel ex ijs , quæ in hac vitâ nonerunt , & quorum species , notitiasque in eo statu beatitudinis non amittunt . Quis enim hoc dubitet de Beatis : quandoquidem nos vel in hoc exilio innumeros actus intellectus , & voluntatis Dei ex eorum effectibus , aut etiam aliunde cum quidentia noscimus , & passim indices deprehendimus ?

### Propositio 5.

Quicumque actus Dei à Beatis intuitivè videntur , diuersis ex titulis veniunt dicendi cum proprietate ab ipso in Verbo videri .

Quoniam in Verbo per appropriationem quamdam videri dicuntur tot modis , quot dicuntur videri in Deo , vt supra n. 15. notatum est , In Deo autem cum proprietate videri dicuntur iuxta ibi dicta . Primò ; quia sunt res ipsæ in ipso Deo , præsertim iuxta sententiam eos adæquatè intrinsecos constituentem . Ibi autem videntur , vbi re ipsa sunt . Secundò ; quia videntur ex vi videntis Deum , atque adeò Deo ipso obiectivè determinante ad eorum visionem , quatenus talibus Beatis in quantum huiusmodi visio talium actuum est debita debito quodam connaturalitatis , aut congruitatis . Tertio ; quia videntur in scientiâ quasi reflexâ , quam Deus de talibus actibus habet , tanquam in imagine quadam intentionali cum ipsis necessariò connexâ , atque adeò , quantum est ex se , ad illorum visionem determinante ; ad quam subinde non est , cur non deterneret de facto . Talis enim scientiâ vnus ex actibus est , quorum intuitio debetur , atque adeò de facto communicatur vnicuique Beato : tum quia scientiâ Dei de pertinentibus ad statum Beati , aut quoquo modo ad Beatum ipsum , ad ipsum quoque statum , Beatumve pertinere censetur : tum quia videntur Deum maximè congruit , scire titulo talis eorum Deum obiectorum esse sapientem , quorum vel ipse notitiam aliunde sibi debitam habet . Quarto denique specialiter , & propriè dicuntur videri in Verbo à Beatis actus prædicti : quia quatenus verbum eorum ( quo pacto ob rationes datas nuperrime pro eorumdem actuum scientiâ sub visionem etiam eadit ipsorum Beatorum ) imago quædam intentionalis eorumdem est cum ipsis suo conceptu necessariò connexa , atque ideo ad ipsorum cognitionem per se determinans obiectivè .

Quomodo autem alijs ex titulis , præter dictos , non possint dici cum proprietate actus diuini à Beatis videri in Verbo , ex dicendis q. 4. pro obiectis reliquis à Beatis in Verbo visis constat .



stabit. De quibus, & de diuinis actibus eadem, quod ad rem attinet, ratio est. Ex dictis autem modo facile erit vnicuique colligere, an, & quomodo ceteri actus Dei, quos abstractiue duntaxat cognoscunt Beati iuxta dicta proposuit. 4. in Verbo cognosci ab ipsis possint dici, vel fecus.

Propositio 6.

32 Probabile est, non repugnare visionem Dei intuitiuam, per quam vnâ cum Deo ipso omnes omnino actus eius clarè, & distinctè videantur.

Quia probabile est, non repugnare visionem Dei intuitiuam, per quam vnâ cum Deo cetera omnia obiecta ab ipso distincta clarè, & distinctè videantur, vt ostendemus q. 4. Nulla autem maior apparet repugnantia in eo, quod omnes actus diuini clarè, & distinctè videantur à creaturâ vnâ cum Deo, quàm in eo, quod videantur à creaturâ clarè, & distinctè vnâ cum Deo omnia alia obiecta cognoscibilia, ad quæ terminantur ipsi actus, vt & ex se constare videtur, & ex dicendis ibidem constabit amplius.

QVÆSTIO IV.

Quousque, & qualiter Beati cognoscere possint, de factoque cognoscant creaturas, & aliaque obiecta cognoscibilia distincta à Deo.

33 Sppositis diuersis modis, quibus excogitari possunt Beati cognoscere creaturas, aliaque obiecta distincta à Deo, superius n. 15. commemoratis, quæcumque sub titulo quæstionis præfixa comprehenduntur resolutione digna tam de possibili, quàm de factò, per varias propositiones decernemus, vt sequitur.

Propositio 1.

34 Probabile est, non repugnare visionem intuitiuam creatam, per quam vnâ cum Deo omnes omnino creaturæ tum aliquando existentes, tum purè possibilis, & vniuersim omnia obiecta cognoscibilia distincta à Deo clarè, & distinctè videantur.

Primò; quia, talem visionem esse possibilem, defendunt multi, & graues Doctores. Nimirum Magist. in 3. dist. 14. Hugo victorin. tom. 3. de sapient. Christi, Altiudor. lib. 3. tract. 1. cap. 5. Alens. 2. p. q. 13. mem. 7. Albert. in 3. dist. 14. art. 1. Bacon. q. 2. art. 4. cap. 3. Gregor. in 1. dist. 44. q. 2. art. 2. Gothfred. quod. 9. q. 3. Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. Et ex recentioribus Albertin. tom. 1. Corol. 3. theolog. ex 1. principio punc. 9. Herice 1. p. disp. 51. cap. 4. Meratius disp. 20. sect. 1. Quiros disp. 32. sec. 2. Ouied. 1. 2. tract. 1. controu. 4. punc. 5. & alij. Quorum sententiam probabilem reputant Scot. in 3. dist. 14. q. 2. Valent. 1. p. disp. 1. q. 12. punc. 6. Suar. 3. p. tom. 1. disp. 23. sect. 3. Lorca disp. 48. Petr. Hurt. disp. 54. sect. 3. Tameris oppo-

sitam plures sequantur. Nempe Thomistæ communiter in 1. p. 6. Th. q. 12. art. 8. & in 3. p. q. 10. art. 2. Caiet. Bann. Zumel, Sor. Cabr. Gonzal. & ceteri. Et ex nostris Suar. supra, & lib. 2. de Attrib. cap. 26. Ragul. disp. 87. de Incarn. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 3. Falol. dubit. 21. Arrub. disp. 27. cap. 2. Gran. contr. 1. tract. 6. disp. 2. sec. 2. Alarc. tract. 1. disp. 4. cap. 4. Tann. de Incarn. disp. 1. q. 5. dub. 4. Gasp. Hurt. disp. 8. dist. 5. Valent. Lorca, Petr. Hurt. supra, Franc. Amicus 1. p. disp. 9. sec. 22. Recapit. lib. 6. q. 27. & alij.

35 Secundò; quia argumenta, quæ afferuntur ad probandam impossibilitatem prædictæ visionis, eam vtiq; efficaciter non conuincunt, vt eorum solutione constabit. Absque argumentis autem conuincentibus cuiusuis entis impossibilitatem, non est possibilitas eius neganda diuinæ omnipotentia, Quin potius vel ex eo solùm probabiliter saltem asserenda venit, quod opposita impossibilitas non conuincatur.

36 Ergo ad dictæ visionis impossibilitatem probandam primò afferri solet censura lata ab Inquisitoribus Tarraconensibus contra Arnaldum de Villanoua asserentem, animam Christi cognoscere omnia, quæ Deus scit, vt refertur in Directorio Inquisitorum 2. p. q. 11. Verùm, censuram hanc contra possibilitatem prædictæ visionis nihil præstare, censent non solùm Doctores, qui hanc affirmant, sed etiam ex negantibus Valent. Suar. Lorca supra, & alij. Quia, vt notat etiam Vazq. 3. p. tom. 1. disp. 50. cap. 3. Arnaldus ex eo damnatus est, quod diceret, animam Christi cognoscere omnia, quæ Deus scit, ipsa cognitione increata Dei. Quo in errorem Monotelitarum vergere videbatur. Præterquam quod, vt etiam Vazq. notat, assertio eius à nullo Concilio, aut Pontifice damnata est.

37 Secundò contra prædictam possibilitatem arguitur. Visio omnium creaturarum non potest non esse infinita: cum sit visio obiecti multitudi- ne infiniti. Sed est impossibilis visio creata infinita. Ergo est impossibilis visio creata omnium creaturarum. Respondeo, visionem obiecti multitudine infiniti non eo ipso debere esse infinitam infinitate repugnante creaturæ; siquidem visio obiecti infiniti per essentiam, atque adeò longè sublimioris infinitatis, qualis est Deus, possibilis est, vt fides docet: & consequenter non infinita infinitate repugnante creaturæ. Argumentum autem calculatorium, quo ab infinitate obiecti infinitas actus probari intenditur, vrgentiusque fit contra possibilitatem visionis Dei, quàm contra possibilitatem visionis omnium creaturarum, supra disp. 17. q. 2. propositum, & dilutum est. Et quidem Christus Dominus, vt cum S. Th. 3. p. q. 10. art. 2. docent communiter Theologi, visione creatâ videt in Verbo omnes creaturas per totam æternitatem futuras, atque etiam omnes factibiles à causis creatis, quæ infinitæ sunt; imo secundum aliquos omnes simpliciter possibiles, quæ infinities sunt infinitæ.

38 Tertiò arguitur. Qui omnes creaturas vnâ cum Deo intuitiue videret, eo ipso comprehenderet Deum. At est impossibilis visio creata, qua comprehenderetur Deus. Ergo est impossibilis visio creata, qua Deus simul, & omnes creaturæ videantur. Minor est certa; & consequentia legitima. Maior variè à varijs probatur iuxta varietatem definitionum comprehensionis, quas sibi præfigunt. De qua fati à me dictum est supra disp. 17. q. 6. Respondeo ergo iuxta ibi dicta, ad

comprehendendum Deum non satis esse, videre intuitiue vnâ cum Deo omnes creaturas possibili- & existentes; sed oportere, quod illæ insuper videantur ex vi visionis Dei; quæ tam clara, tamque perfecta sit in ratione cognitionis, quam perfectus est ipse Deus in ratione cognoscibilis; qualis nulla creata visio esse potest, ut ibi latius explicatum, atque probatum est. Vnde ex eo, quod per visionem creatam vnâ cum Deo intuitiue viderentur, idque aut comitanter, aut etiam ex vi videndi ipsum Deum, atque adeo in Deo ipso aliquo ex modis commemoratis supra n. 15. non fieret, eiusmodi visionem fore comprehensionem Dei; quia, licet ex parte obiecti attingeret, quidquid ad Deum pertinet, ex parte tamen actus, seu modi tendendi infinite distaret à perfectione requisita ad Dei comprehensionem. Nam, ut docet S. Th. 3. p. q. 10. art. 2. ad 3. *Quantitas scientiæ non solum auerendur secundum numerum scibilium; sed etiam secundum claritatem cognitionis.* Et, ut ait ipse 1. p. q. 12. art. 7. ad 2. *Non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur; sed quia non ita perfecte videtur, sicut visibilis est.*

39 Quarto arguitur, Impossibilis est visio creata, quæ sui ipsius intuitio sit. Ergo, quæ & omnium creaturarum, quarum vnâ ipsa erit, sit intuitio. Nego antecedens. De quo q. illa 6. citata satis iam dictum est. Et quidem argumentum hoc parum propositioni nostræ aduersatur; siquidem possibilem relinquit visionem; quæ Dei, & omnium creaturarum, præterquam sui ipsius, visio sit. Mitto leuiora alia contra nostram propositionem obiecta; quæ apud præcitate Auctores videri, & facile ab vnoquoque dissolui possunt.

#### Propositio 2.

40 Possibilis est visio intuitiua Dei, quæ nullius creaturæ, præter se ipsam, sit cognitio, nedum intuitio.

Dico, præter se ipsum; quia non videtur possibilis visio, quæ sui ipsius non sit experimentalis notitia respectu videntis iuxta dicta vniuersaliter de cognitione omni in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. hypot. 28. Tenent autem hanc propositionem absque exceptione datâ Recupit. cum alijs 1. p. lib. 6. q. 37. cap. 3. Herice disp. 51. cap. 4. Quiros disp. 32. seq. 2. & in comm. q. 12. art. 8. n. 64. & Vazq. 1. p. disp. 50. cap. 7. contra Gothfredum quodl. 6. q. 3. Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. Bassol. q. 4. Prol. art. 3. Arimin. ibid. art. 2. absolute asserentes, non posse non videntem Deum videre omnia possiblea quoad eorum esse possibile. Et contra Albertin. tom. 1. Coroll. 4. ex 1. princip. punc. 8. docentem, à vidente Deum necessario videri in ipso aliquod, aut aliqua possiblea. Necnon contra Capreolum in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dubit. 14. Molin. disp. 4. & 5. Valen. pun. 6. Nazar. contr. 2. concl. 3. Nauarret. contr. 43. §. 7. Arrab. disp. 26. cap. 6. Zamel art. 7. disp. 1. & alios apud Quiros, & Fasol. ibid. dicentes, visio Deo, necessarium esse, in eo videre omnes creaturas sub communi, confusioque conceptu entis creabilis, siue possibilis.

41 Ratio autem propositionis est. Quia in eiusmodi visione Dei necunde datur repugnantia, ut ex solutione argumentorum, quæ contra possibilitatem eius fieri possunt, constabit. Non ergo possibilitas eius omnipotentia diuinæ neganda est.

Sit primum argumentum oppositum. Omnipotentia diuina respectu sibi intrinseco respicit creaturas possibile. Ergo, eis non visis, videri intuitiue non potest; siquidem ne abstractiue quidem cognosci potest respectus aliquis sine suo termino, ut est notissimum. At Deus, sua omnipotentia non visâ, videri non potest, iuxta doctrinam statutam q. 2. Ergo Deus videri non potest, non visis creaturis possibilibus. Respondeo primo, negando antecedens; quo cessat argumentum. Quia omnipotentia nullo respectu Deo intrinseco respicit creaturas possibile, ut supra disp. 4. q. 2. ostensum est. Respondeo secundo, admissio in omnipotentia diuina respectu intrinseco etiam connexionis cum creaturis possibilibus, non sequi, visâ intuitiue omnipotentia, debere creaturas ipsas intuitiue videri, adhuc per visionem distinctam, nedum per eandem; siquidem Angeli intuitiue vident creaturas aliquas existentes intrinsece connexas cum Deo, quin videant intuitiue Deum. Ut summum sequitur, eo admissio respectu, & visâ omnipotentia intuitiue, debere creaturas possibile siue abstractiue, siue intuitiue cognosci, idque siue per eandem omnipotentia visionem; siue per cognitionem distinctam. Relatio enim, & terminus in vniuersum non per eandem cognitionem cognosci debent, sed per distinctas possunt, ut in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. constat. 3. statumus. Respondeo tertio, casu, quod, visâ intuitiue omnipotentia cum possibilibus connexa, deberent possiblea ipsa etiam intuitiue videri, fore vtiq; ut omnia, & singula distincte, & in particulari, & non sub conceptu tantum communi videri deberent. Omnia quidem; quia non esset maior ratio vnus, quam alterius, aut horum, quam aliorum. Distincte autem, & in particulari; quia cognitio intuitiua conceptum vniuersalem, & communium capax non est; eo quod cuncta tangit, prout sunt in se, ut constat ex vniuersali doctrina tradita in Pharo tum q. 3. citata, tum tota disp. 17. De quo rursus in sequentibus redibit sermo. Ex quibus patet, quam falsi sint omnes dicendi modi commemorati propositioni nostræ aduersantes.

Secundum argumentum sic ex quorundam doctrina potest opponi. Etsi omnipotentia diuina non connectatur cum creaturis possibilibus, eas nihilominus in se continet eminenter. Sed huiusmodi continentia eminentialis videri absque contento non potest. Ergo neque omnipotentia diuina, & consequenter neque Deus ipse absque creaturis possibilibus. Et confirmari potest. Quia Deus ab eiusmodi continentia, à suaque omnipotentia habet, esse productum creaturarum. Sed est impossibile cognoscere Deum ut productum creaturarum, non cognotis ipsis creaturis ut productibus à Deo, atque adeo ut possibilibus. Aliundeque Deus intuitiue videri nequit, quin prædicatum ipsi intrinsecum productiui creaturarum eodem modo videatur. Ergo Deus, non visis creaturis possibilibus, non potest videri intuitiue. Respondeo, prædicatum continentis eminenter creaturas, siue potentis eas producere, siue productiui earum, quod re ipsa est vnum, & idem, non esse adæquate intrinsecum Deo, sed partim extrinsece desumptum ab ipsarum creaturarum possibilitate supposita. Quo circa æquè est impossibile videri tale prædicatum, creaturis non visis, ac est impossibile videri totum, non visâ aliqua parte eius. Ex hoc

tamen non fit, Deum quoad suam intrinsecam entitatem præcisè non posse videri sine creaturis. Potest etenim. Sic autem videns eum nesciet, an aliquarum creaturarum sit absolute productivus; tamen clarissime sciat, eam talis esse naturæ, ut, si quæ creaturæ fuerint possibiles, confestim erit absolute productivus earum.

44 Tertium argumentum. Scientia, quam Deus habet de possibilibus necessariò est connexa cum illis titulo infallibilitatis, quam habet. Ergo talis scientia non est visibilis, non visis ipsis possibilibus. Sed Deus, non visà tali scientia, utpote à se indistincta, videri non potest. Ergo nec possibilibus non visis. Respondeo, scientiam, quam Deus habet de possibilibus quoad denominationem esse cum illis connexam, secus quoad entitatem. Atque ita, licet ea, non visis possibilibus, quoad denominationem videri non possit, quoad entitatem tamen posse. Et quoniam visio Dei non obligat ad videndam talem scientiam quoad denominationem iuxta dicta q. 3, sed dumtaxat quoad entitatem; idcirco visio Dei non obligat ad videnda possibilia. Adde, scientiam Dei de possibilibus etiam quoad denominationem videri posse, quin videantur possibilia; dummodo ea aliter, quam per visionem, aliquo modo cognoscantur iuxta dicta in simili nuper n. 42.

Propositio 3.

45 Singuli Beati de factò intuitivè vident aliquas creaturas tum aliquando existentes, tum purè possibiles. Non tamen omnes.

Prima propositionis pars communiter est in confesso apud Theologos, & Patres, qui temè attingerunt. Imprimis enim vident intuitivè Beati in Patria, quæ in Viâ fide divinâ crediderunt. Quod S. Th. 2. 2. q. 1. art. 5. probat ex illo 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Videtur enim proportionatissimam præmii merito fidei, ut, quæ nunc obscure credimus, tunc clarè videamus. Vnde August. lib. 20. de Ciuit. cap. 21. ait, *Quid videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?* Et lib. de diligendo Deo cap. 18. *Quod hic crediderunt, ibi viabunt.* Id quod probandum etiam venit ex illis Apostoli verbis 2. ad Corinth. 3. *Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eadem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* utpote quibus significat, Viatores à lumine fidei ad lumen visionis claræ eorum; quæ modò credunt, transferendos esse, iuxta expositionem D. Ambrosii, D. Ansel. & S. Th. ad eum locum; atque etiam D. August. epist. 112. cap. 21. dicentis, *A claritate fidei in gloriam contemplationis æternæ.* Et lib. 15. de Ciuit. cap. 8. *Transformamur de formâ in formam, id est, ab obscurâ in lucidam; de gloriâ fidei in gloriam speciei; de gloriâ, qua filij Dei sumus, in gloriam, qua similes ei erimus, quando videbimus eum, sicuti est.* Videndum tamen est circa hoc id, quod addimus intra disp. 21. q. 6. n. 70.

46 Deinde etiam vident intuitivè Beati totum ordinem Vniuersi, omnesque species rerum existentium, rationesque, & virtutes earum, ut cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & lib. 3. contra Gent.

cap. 59. sæpeque alibi docent multi Theologi morè referendi; non quidem formando conceptus specierum communes cum præcisione ab indiuiduis; hoc enim visioni intuitivæ repugnat, ut n. 42. notauimus; sed videndo vniuersiusque speciei aliqua saltem indiuidua distinctè, & in particulari, & sicuti sunt in se ipsâ. Cuius ratio desumpta ex S. Th. est: quia homo utpote pars huius Vniuersi naturalem appetitum habet clarè sciendi cuncta prædicta; congruentissimum autem est, ut statui eius beatifico satieras talis appetitus annexa sit.

47 Præterea vident intuitivè Beati quæcumque ad vnumquemque eorum aliquo modo spectare, siue pertinere censentur: vel quia pertinent ad eius personam: vel quia pertinent ad statum, ad munera, ad dignitates, aut ad officium, quæ habuerunt in Viâ, tum, quæ habent in Patria, ut cum S. Th. 3. p. q. 10. art. 2. & sæpe alibi docent communiter Theologi. Et sumitur ex Concilio Senonensi in decretis fidei decreto 13. dicente, *Beatis peruium esse omniforme illud diuinitatis speculum, in quo, quidquid eorum interest, illucescat.* Ex seque satis congruum videtur, ut clarè manifestentur Beatis, quæcumque ad singulos peculiari quauis ratione pertinent, utpote quorum clara notitia valde conducit ad perfectionem status ipsorum beatifici.

48 Porro tria prædicta rerum genera intuitivè manifestari Beatis, communiter opinantur Theologi cum S. Th. 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & 3. p. q. 10. art. 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 59. & q. 8. de Verit. art. 4. ad 1. & in 4. dist. 45. q. 3. art. 1. ut videre est apud Molin. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 5. memb. 3. Valen. punct. 6. Nazar. contr. 4. Nauarret. contr. 43. Fasol. dubit. 23. Suar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 11. & plures alios ab eis relatos. Ratio autem vniuersalis est. Quia, quemadmodum status Angelorum, & animarum separatarum iure deposite species proprias, & intuitivas cognitiones eorum obiectorum, quorum notitia sibi est connaturalis, & consentanea; ita status beatificus iure deposite, ut per species proprias, atque adeò per intuitivam cognitionem notificentur Beatis ea omnia obiecta, quorum notitia debito aliquo connaturalitatis, aut congruitatis ipsis Beatis debita est; cuiusmodi sunt procul dubio obiecta spectantia ad tria genera prædicta.

49 Eorum autem pleraque esse obiecta creata, & in aliqua differentiâ temporis existentia, ex se est satis notum. Quod autem sint insuper inter illa aliqua purè possibilia; inde saltem venit probandum: quia sunt inter illa aliqua denominationes existentes includentes in suo conceptu reali aliquod connotatum purè possibile; quod proinde connotatum intuitivè videndum est tanquam quid pertinens ad denominationem, quam complet. Sic potentia proxima ad quemuis effectum eius possibilitatem includit in suo conceptu iuxta dicta in Pharo nostrâ disp. 8. q. 5. sic conuenientia medicinæ possibilitatem sanitatis; sic pœna in priuatione consistens possibilitatem boni, quo priuat; & alia huiusmodi sexcenta. Vnde concluditur, singulos Beatos videndo obiecta omnia prædicta aliquas creaturas tum aliquando existentes, tum etiam purè possibiles videre intuitivè de factò, ut nostræ propositionis prima pars fert.

50 Tam verò, non omnes creaturas à singulis Beatis videri, ut fert pars secunda, adeò inter  
I I I I 2  
Theo.

Theologos, & Patres est certum, vt oppositum S. Th. in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. & q. 8. de Verit. art. 3. dixerit, *Dicitis sanctorum repugnare, & precipue Dionysij, qui in 7. cap. Cælestis Hierarchie expressè dicit, inferiores Angelos per superiores ab ignorantia purgari.* Et S. Bonau. in 3. dist. 14. art. 2. q. 3. *Illud nec ratione consonum esse, nec auctoritatibus sanctorum.* Et Durand. in 4. dist. 49. q. 3. *Non esse concors Scriptura sacra, nec distis sanctorum; maxime Dionysij.* Etenim iuxta sacram Scripturam plurium obiectorum scientiam necesse est fieri in Christo Domino, quam in alijs Beatis; cum de solo Christo dicatur Ioan. 1. *Plenum gratia, & veritatis.* Et Apocalip. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & sapientiam.* Et ad Colof. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi.* Paulus etiam ad Eph. 3. docet, multa Beatos Spiritus didicisse ab Ecclesiâ, quæ antea ignorabant. *Et innotescat, inquit, in Principibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ita enim exponit hæc verba Hieron. dicens, *Principibus, & Potestatibus in Cælestibus ignota sunt multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est.* Quod ipsum Iulius tradidit Chrysof. Prologo in Euang. Ioan. ante medium. Dicitur etiam Marci. 24. *De die illâ, & hora nemo scit, nisi solus Pater.* Quo additamento etiam Christus Dominus à notitiâ diæi iudicij videtur exclusus; ob specialem tamen rationem de Christo Domino cum limitatione, de Angelis tamen absolute videtur hic locus interpretandus, vt notant Granad. 1. p. tract. 6. disp. 1. sec. 9. & Recupit. lib. 6. q. 48. cap. 4. Siquidem S. Th. Lyran. Abulens. Glof. ord. & alij interpretes hinc colligunt, Angelos absolute ignorare diem iudicij, quem tamen Christum non ignorare, est certum. Præterea ex Daniele 10. planè colligitur, Principem regni Persarum, id est Angelum eius regni custodem ignorasse consilium Dei de discessione Iudeorum à Persis. Et ex Apocal. 7. Angelum clamantem voce magna quatuor Angelis eos de re ipsis antea ignorâ intruxisse. Ex quibus omnibus Gran. & Recupit. supra cum Bann. & Zumel deducunt, de fide esse, singulos Beatos non videre creaturas omnes, præsertim aliquando existentes. Quod licet negent Suar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. & alij. Omnes tamen cum S. Th. 3. p. q. 10. art. 2. & q. 8. de Verit. art. 3. alijque in locis unanimiter statuunt vt prorsus certum, nec omnes creaturas possibles, nec omnes aliquando existentes videri à singulis Beatis de facto: quidquid de possibiliibus olim dixerint Gothfred. Dur. Basol. & Arim. relati n. 40. De quo plura videri possunt apud Soar. 1. p. lib. 2. cap. 26. & 27. & 3. p. disp. 26. Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. Recupit. lib. 6. q. 37. & 38. & apud alios ab eis citatos. Ratio autem esse potest. Quia nulla est aut necessitas, aut congruentia, propter quam sit communicanda de facto omnibus, & singulis Beatis intuitio omnium creaturarum, vt satis ex dictis hactenus notum est.

51 Quinimo de solo Christo Domino est inter Theologos dubitabile, an omnium omnino creaturarum tum possibilem, tum aliquando existentium notitiam intuitiuam habeat de facto. Et licet affirmant nonnulli, plerique tamen cum S. Th. 3. p. q. 10. negant. Docentes, creaturarum quidem omnium aliquando existentium habere Christum Dominum intuitiuam notitiam de fa-

cto; omnium verò possibilem non item. De B. etiam Mariâ Virgine dubitari potest, an saltem omnium aliquando existentium notitiam intuitiuam habeat. Videtur enim ex vna parte negandum; quia talem notitiam soli Christo attribuit communiter Doctores; ex aliâ verò affirmandum; quia talis notitia statui, & muneribus B. Mariæ V. videtur deberi. Quam dubitationem eruditè tractat Recupit. lib. 6. q. 8. cap. 5. Concluditque, B. Mariam V. intuitiuè videre omnia aliquando existentia, exceptis tamen cogitationibus Damnaturum. De quo ipse videndus.

Ad extremum dubitari potest, circa præsentem propositionem, an omnes creaturas, quas videt vnusquisque Beatus, à principio suæ beatificationis videat; vel aliquas successu temporis. Vtrumque enim videtur possibile. Quocirca non defuerunt, qui dixerint, omnes à principio videre, sed communis Theologorum sententia est, aliquas successu temporis eis reuelari. Quod ex aliquibus testimonijs nuper commemoratis planè colligitur. Et tradit S. Th. 1. p. q. 57. art. 5. alijque in locis, Ratioque sumpta ex dictis inuadet. Quia non omnium, quorum aliquo titulis supradictis debetur intuitio Beatis, debetur à beatificationis principio; sed quorundam successu temporis, prout eueniunt, vt confideranti patebit. Maxime, cum aliquorum vt præsentium, non verò solum vt futurorum, debeatur notitia; vt præsentium autem à Beatis haberi notitia eorum non possit, quousque illa præsentia sint, iuxta doctrinam in Pharo statutam. disp. 10. q. 7. Videantur ad rem Vazq. 1. p. disp. 54. & Fasol. q. 12. art. 10. Quomodo autem videant Beati creaturas, quæ tum à beatificationis principio, tum postea successu temporis vident, ex dicendis in sequentibus apparebit.

#### Propositio 4.

Creaturas, quas Beati vident, in Verbo vident.

Hæc propositio ita indistinctè pronuntiata à nullo Theologorum negatur, aut negari potest, teste Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dubit. 4. Ea enim imprimis vt consona Scripturis traditur in Concilio Senonensi. Quod, vt damnet errorem eorum, qui dicunt, sanctos non esse orandos, subdit hæc verba, *Sed quàm sit hoc non modò veritati, sed Scripturis quoque dissonum, facile intelligit, qui Beatis peruenire esse non ignorat omniforme illud diuinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat.* Illud quippe Pauli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem;* ad quod videtur Concilium alludere, non obscure significat, in Deo facie ad faciem viso clarè à nobis beatis ea postea videnda esse, quæ modò à nobis ipsis viatoribus per speculum creaturarum, in enigmateque plantarum cognoscuntur obscure. Deinde traditur à Patribus. Etenim August. lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 23. ait, *Mulum quippe interest inter cognitionem rei cuiuscumque in Verbo Dei, & cognitionem in naturâ eius, vt illud meritò ad diem pertinet, hoc ad vesperam.* Et cap. 24. dicit de Angelis beatis, *Vniuersam creaturam in ipso Verbo Dei Patris nouisse, ac deinde in ipsâ creaturâ.* Et cap. 32. Mens, inquit, angelica postquam illo ordine creata, vt præcederet cætera, prius ea vidit.

vidit in Verbo Dei faciendâ, quàm facta sunt. Et lib. 11. de Ciuit. cap. 7. Cognitio creaturæ in se ipsâ decoloratio est, ut ita dicam, quàm, cum in Dei sapientiâ cognoscitur, velut in arte, quâ facta est. Et cap. 29. Angeli sancti ipsam quoque creaturam melius in Sapientiâ Dei, tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsâ sciunt. Similiterque habet alijs in locis. Et Bern. lib. 5. de Consider. in principio explicans illud ad Rom. 1. Inuisibilia Dei &c. Sic ait. *Sane hac scaldâ (scilicet creaturarum) times non egens, sed exules. Quod vidit huius scientiæ Autor: qui, cum diceret, inuisibilia per visibilia conuipi, signanter posuit, à creaturâ Mundi. Et verè quid opus scaldâ tenenti iam solum? Creatura Celi illa est præsto habens, per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Neque opus habet ex his, quæ facta sunt, factoris notitiâ mendicare. Neque enim, ut vel ipsa noverit, ad ipsâ descendit: quia ibi illa videt, ubi longè melius sunt, quàm in se ipsis. Isidorus autem lib. 1. sentent. cap. 12. Angeli, inquit, in Verbo Dei cognoscunt omnia antequàm sint. Idem significat Greg. mag. lib. 4. Dialog. cap. 33. dicens de Beatis. Quia illic omnes, communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt. Quod etiam repetit de Angelis lib. 2. Moral. cap. 2. Iam verò S. Th. 1. p. q. 12. art. 8. apertè docet, Beatos, etsi non omnes, aliquas tamen creaturas videre in Deo. Quod supponens art. 9. ait in argumento sed contra. Omnia sic videntur in Deo sicut in quodam speculo intelligibili. Et in corp. Respondo dicendum, quod videntes Deum per suam essentiam eas, quæ in ipsâ essentiâ Dei vident, &c. Et q. 57. art. 5. ait. Est & alia Angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, quæ videt Verbum; & res in Verbo. Et hac quidem cognitione cognoscunt mysteria gratis. Et q. 62. art. 1. Cognitio gloriæ, quæ Angelus cognoscit Verbum, per suam essentiam, est cognitio rerum in Verbo, quæ fuit in Angelis, quando facti sunt beati; & hac propriè dicitur cognitio matutina. Similiterque reperit passim alijs in locis. Et S. Bonau. in 3. dist. 14. art. 2. q. 1. dicit, Verbum Beato esse rationem cognoscendi se, & alia à se. Idemque sentit Scot. ibidem q. 2. & omnes Scholastici communiter, ut principio dicebamus, in eadem sententiâ sunt. Ratio autem propositionis est. Quia connaturale est Beatis videre in Verbo varijs ex titulis creaturas, quas intuitiue vident, ut ex dicendis in sequentibus apparebit. Igitur ita eas videre dicendi sunt.*

54 Obseruandum tamen est in præsentî primò, iuxta phrasim inter Theologos receptam duplex dici creaturas habere esse; vnum in Deo, alterum in se ipsis. Quæ est distinctio August. lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & Ansel. in Monolog. cap. 33. ubi ait, In se ipsis sunt essentia mutabilis: in ipso verò sunt ipsa prima essentia. Qui loquendi modus fundatur in eâ sententiâ Ioan. 1. Quod factum est, in ipso vita erat, id est, erat Deus viuens, iuxta receptam expositionem eiusdem August. lib. 15. de Genes. ad litter. cap. 14. Vnde etiam manauit illud Theologorum axioma, Creatura in Deo est ipsa creatrix essentia. Quo posito, quàm certum est, Deum à Beatis in se ipso videri; tam certum est, omnes creaturas à Beatis videri in Deo quoad esse, quod habent in ipso. Quia quoad tale esse aliud non sunt ab ipso Deo. Quare in præsentî questione non agimus de visione creaturarum quoad esse, quod habent in Deo realiter indistinctum ab esse Dei; sed quoad esse, quod in se habent realiter distinctum à Deo.

Quod quidem & in se, & in Deo ipso visibile, siue cognoscibile est iuxta dicta supra q. 3. n. 15. Atque ita quoad tale esse creaturarum proprium, dicimus in propositione videre Beatos in Verbo creaturas, quas vident.

Secundò obseruandum est, cognitionem 55 creaturarum in Deo, siue in Verbo matutinam à Theologis appellari; vespertinam autem cognitionem creaturarum in se ipsis; sumptis eiusmodi appellationibus ex August. qui lib. 4. de Genes. ad litter. à cap. 21. vsque ad 32. in cognitione angelicâ distinguit mane, & vespere sex dierum, in quibus creatura dicuntur conditæ Genes. 1. Eodemque loquendi modo vtitur sæpe alijs in locis. Quanquam autem Vazq. 1. p. disp. 51. enixè contendat, per cognitionem matutinam creaturarum in Deo intellexisse Augustinum cognitionem creaturarum quoad esse, quod habent in Deo ab ipso Deo indistinctum; per cognitionem verò vespertinam cognitionem creaturarum quoad esse, quod habent in se. Atque in hunc sensum conetur trahere Augustini testimonia commemorata, ac etiam testimonium Bernardi. Expositio tamen hæc singularis est. Cæteri enim Scholastici communiter censent, Augustinum in locis prædictis semper loqui de cognitione creaturarum quoad esse, quod in se habent distinctum à Deo: appellareque cognitionem matutinam eam, qua illæ quoad tale esse à Beatis cognoscuntur in Verbo; vespertinam autem eam, qua illæ quoad idem esse cognoscuntur in se. Quod certè ex ipsis Augustini verbis, & intentione non obscure videtur colligi, ut benè ponderant Soar. 1. p. lib. 2. cap. 25. Arrub. disp. 29. Amic. disp. 9. sec. 20. Recupit. lib. 6. q. 35. cap. 2. & alij. Apud quos ad rem plura videri possunt.

Propositio 5.

Beati in Verbo non causaliter, sed 56 formaliter, ut aiunt, seu potius obiectiue dicendi sunt iuxta mentem Patrum videre creaturas.

Est dicere. Beati à Patribus non ideo dicuntur videre creaturas in Verbo; quia, Verbo reuelante, eas vident, ut interpretatur Vazq. 1. p. disp. 50. cap. 7. neque ideo; quia eas vident, concurrente Verbo effectiue per modum speciei impressæ ad earum visionem, ut exponit Recupit. lib. 6. q. 36. cap. 3. sed ideo; quia eas vident ex videntem Verbum ipsum; atque adeò concurrente Verbo ipso obiectiue, siue per modum obiecti ad earum visionem aliquo modo determinando existentiam eius, ut cæteri terme omnes Theologi censent.

Probatum contra Vazq. primò; quia, ut 57 supra n. 15. dicebamus, improprie satis dicuntur videri creaturæ in Deo ex eo solum, quod Deus eas reuelando Beatis, effectiue causet in ipsis earum visionem. Patres autem commemorati proposit. 4. non sunt censendi improprie loquuti. Secundò; quia ne improprie quidem dicimur pro statu præsentî cognoscere nos in Deo, aut in alijs hominibus, quæ fide diuinâ, aut humanâ, ipsis reuelantibus, credimus, aut aliter quo modo, ipsis nos docentibus, discimus, ex eo præcisè, quod ab ipsis prout operantibus effectiue notitiam eorum accipimus. Ergo neque Beati dici vilo iure possunt videre in Deo, quæ ab ipso reuelante, aut quouis modo docente discunt,

ex eo præcisè, quòd ab eodem prout effectiue operante visionem eorum accipiunt.

58 Deinde probatur contra Recupit. primò; quia, vt contra ipsum, & alios probauimus disp. 19. q. 7. Deus per modum tantum causa primæ, non verò per modum obiecti, multoque minus per modum speciei impressæ concurrat ad visionem beatificam quæ talem, nedum ad visionem creaturarum, quas Beati vident. Ergo Beati nullatenus dici possunt videre creaturas in Deo tanquam in specie impressæ earum. Secundo; quia, quamuis Deus species impressæ sui dici possit, quatenus ad sui visionem concurreret specialiter titulo obiecti, si verum esset, ad illam ita concurrere; creaturarum verò necunde posset dici species impressæ; quia respectu visionis earum quæ talis speciem obiecti titulum habere non potest, vt constat. Tertio; quia nullum obiectum dici solet cognosci in specie impressæ sui. Ergo, dato etiam, quòd Deus esset Beatis species impressæ creaturarum, non eo titulo præcisè dicendæ creaturæ essent cognosci, siue videri in ipso.

59 Responder ad hoc tertium Recupit. speciem creatam non cognosci per cognitionem obiecti, quam causat, sicut cognoscitur increata: ob idque in illa non dici cognosci obiectum, sicut in hac tanquam in speculo: speculum siquidem simul cum obiecto in eo viso videri necessario debet. Vnde addit, et si species creatæ simul cum obiecto per eam cognita cognoscatur, adhuc fore, vt in illa obiectum non diceretur cognosci; vt dicitur in increata: quia adhuc in tali casu cognitio speciei creatæ non esset per se requisita ad cognitionem obiecti; sicut est cognitio increatæ; & cognitio speculi per se requisita est ad cognitionem obiecti cogniti in illo. Contra tamen est. Quod cognitio speculi ita est per se requisita ad cognitionem obiecti cogniti in illo, vt verum sit, ideo cognosci tale obiectum; quia cognoscitur speculum. Quod ipsum est, speculum obiectiue aliquo modo concurrere ad cognitionem talis obiecti, obiectiueque determinare existentiam eius; siue insuper concurrat ad illam effectiue, vt putat Recupitus, siue secus. At posito, quòd Deus esset Beatis species impressæ non solum sui, sed etiam impressæ ad visionem creaturarum necunde esset requisita: posset enim Deus pro suo arbitratu etiam satis connaturaliter concurrere cum intellectu Beati ad visionem sui per modum speciei impressæ; vt iuxta ipsum Recupitum concurrat ad visionem harum creaturarum, quas Beatus de facto videt, & non aliarum, quarum etiam, eodemque modo est species impressæ. Deinde, quidquid sit de necessitate visionis Dei ad visionem creaturarum, verum non esset, ideo videri à Beato tales creaturas; quia videtur talis species impressæ, nimirum ipse Deus. Nam, cum Deus, præterquam sui, omnium omnino creaturarum esset Beato species impressæ prorsus æqualiter, ex vi videndi Deum, aut ad omnes creaturas videndas, aut ad nullam determinaretur Beatus. Ad omnes non, vt constat. Ergo ad nullam. Nullo igitur modo Deus concurreret obiectiue ad visionem creaturarum, quas Beatus videt, existentiam eius determinando; nullatenusque subinde dici possent videri tales creaturæ in Deo: sicut dicitur videri in speculo obiectum, quod in illo apparet.

Concluditur ergo, adhuc admittæ totâ Recupiti doctrinâ, nullatenus dici posse cum proprietate videri à Beatis in Deo creaturas, vt in specie impressæ earum. Alienumque proinde esse à mente Patrum, cum proprietate haud dubie loquentium, modum dicendi eius. Adde, metaphoricè solum dici videri creaturas in Deo tanquam in speculo ob aliquam similitudinem, quam habet visio creaturarum in Deo cum visione rerum visibilium in speculo: quæ tamen similitudo non tenet in omni iuxta dicenda postmodum.

Itaque, non quòd Deus aliquo modo in Beatorum mentibus effectiue causat visionem creaturarum, sed quòd à Beatis visus obiectiue aliquo modo determinat eos ad illas videndas, in Deo, siue in Verbo diuino creaturæ ipsæ ab ipsis Beatis videri censendæ, dicendæque sunt iuxta germanum, & proprium modum loquendi Patrum.

### Propositio 6.

Omnes creaturas, quas Beati titulo tantum à suæ beatificationis principio, tum indies successu temporis intuitiue vident, in Verbo vident.

Hæc propositio re ipsâ aduersatur multis Theologis asserentibus ex vnâ parte, vt proposit. 7. videbimus, quæcumque à Beatis videntur in Verbo, per ipsam visionem Verbi videri; ex aliâ verò non videri à Beatis per ipsam Dei visionem, sed per aliam distinctam, quæcumque illis successu temporis manifestantur. Quibus duobus tacite saltem docent, non videri in Verbo à Beatis, quæ ab eis videntur successu temporis. Id quod expressè tradunt Falsol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 22. & 23. & art. 10. in comment. Amic. disp. 9. sec. 23. Recupit. lib. 6. q. 38. cap. 3. & alij.

Eam tamen tenent haud dubie Patres omnines commemorati proposit. 4. dum de omnibus rebus, quas Beati vident, vniuersaliter, & absque vllâ limitatione docent, ab ipsis in Verbo videri. Et quidem Concilium Senonense specialim agit de Viatorum orationibus, quæ ex genere sunt earum rerum, quæ Beatis successu temporis manifestantur. De quibus etiam S. Th. sepe docet, in Verbo à Beatis videri. Ait enim 1. p. q. 12. art. 2. *Omnia se videntur in Deo sicut in quodam speculo intelligibili.* Et q. 57. art. 5. postquam dixisset. *Est autem & alia Angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, quæ vident Verbum, & res in Verbo; & hæc quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ.* Subdit. *Et horum etiam mysteriorum quædam à principio suæ creationis cognouerunt; quædam verò postmodum secundum, quòd eorum officij congruit, edocentur.* Et 3. p. q. 10. art. 2. vniuersaliter dicit. *Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant.* Ex quibus multa successu temporis cognoscit iuxta ipsam S. Th. Et 2. 2. q. 38. art. 4. ad 2. docet ex D. Greg. lib. 12. Moral. Beatos in Verbo cognoscere orationes Viatorum ad illos factas; puta successu temporis, vt sunt. Idemque habet in 4. dist. 45. q. 3. art. 5. Et S. Bonau. in 3. dist. 14. art. 3. q. 1. vniuersaliter dicit, *Verbum Beato esse rationem cognoscendi se, & alia à se.* Itaque, stando in sententiâ Patrum, necessariò asserendum est, in Verbo à Beatis videri omnes omnino creaturas, quæ ab ipsis de facto videntur.

Pro-

Propositio 7.

63 Creaturas, quas à suâ beatificationis principio intuitivè Beati vident, per ipsammet visionem Dei beatificam vident.

Hæc propositio est contra Vazq. opinantem 1. p. disp. 50. cap. 7. cum Gabr. Alliac. Ocham. Alm. & Mai. quamlibet creaturam de facto cognosci à Beatis aliâ visione distinctâ ab eâ, qua vident Deum. Sed eam tenent cæteri Theologi communiter. Soar. 1. p. lib. 2. cap. 25. & 3. p. tom. 2. disp. 26. sect. 3. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 5. Valent. punct. 6. Nazari. contr. 1. & 2. Navarr. contr. 43. Arrub. disp. 25. Becan. cap. 9. q. 13. Fasol. dubit. 5. n. 44. Recupir. lib. 6. q. 36. n. 73. cum S. Th. Scot. & reliquis ab eis relatis. Qui insuper omnes, dum contra ipsum Vazq. assenerant, Beatos videre creaturas in Deo ex vi videndi ipsum Deum, aut exprimunt, aut supponunt, eas videre per eandem visionem Dei. Id quod haud dubiè supponunt etiam, aut exprimunt Patres proposit. 4. commemorati, ut consideranti eorum verba non obscurè innotescer. Communi enim exultatione, & phrasi sentè omnium Scholasticorum, atque etiam Patrum, quæcumque in Deo, siue in Verbo dicuntur videri, per eandem Dei, siue Verbi visionem censentur videri. Tametsi pauci quidam cum Vazq. censent, ea etiam veniè dicenda videri in Verbo, quæ per visionem distinctam à visione Verbi videntur. Ratio autem propositionis esse potest. Quia possibile citra dubium est, per eandem visionem beatificam videri Deum, & creaturas in ipso Deo, ut ipse Vazq. confitetur. Ergo, cum frustra fiant per plura, quæ per pauciora æquè, aut magis commodè fieri possunt, per eandem visionem beatificam, dicendi sunt Beati videre de facto Deum simul, & creaturas, quas vident à suâ beatificationis principio, utpote quæ non solum æquè, sed magis commodè per eandem visionem Dei, quam per distinctam, videri ab ipsis possunt, ut ex se constat.

64 Obijci tamen contra propositionem potest ex Vazq. lumen gloria in omnibus Beatis esse eisdem speciei. Sed esset diversæ, si visiones, quarum est principium, non solius Dei, sed insuper aliquarum creaturarum essent visiones. Nam & ipsæ visiones essent speciei diversæ, quatenus non earumdem, aut similium, sed diversarum secundum speciem creaturarum in singulis ferme Beatis visiones essent. Ergo per ipsas Dei visiones nullæ creatura videri dicendæ sunt. Respondeo, secundum multorum sententiam absque inconueniente concedi posse pleraque visiones, & pleraque lumina Beatorum esse specificè diversa. Cæterum, qua ratione nihilominus omnes visiones, omniaque lumina eiusdem speciei sint dicenda, quantumvis visiones diversarum creaturarum visiones sint, ex dicendis disp. 21. q. 2. constabit.

Propositio 8.

65 Creaturas etiam, quas Beati successu temporis, prout illæ re ipsâ eueniunt, intuitivè vident, per ipsammet visionem Dei beatificam vident.

Hæc propositio est contra Vazq. 1. p. disp. 54.

cap. 2. contra Fasol. 1. p. q. 12. art. 10. & plures alios. Pro eâ tamen stant imprimis Bonau. in 3. dist. 14. art. 2. q. 3. Scot. ibid. q. 2. Marfil. q. 10. art. 2. Ferrar. lib. 3. contra Gent. cap. 59. Stant etiam S. Th. & alij Patres, etiam Concilij Senonensis, proposit. 6. citati; quatenus de ijs etiam creaturis visis à Beatis successu temporis asserunt, videri ab ipsis in Verbo, siquidem, quod in Verbo videtur, communi penè omnium Scholasticorum, atque adeò etiam Patrum phrasi per ipsammet visionem Verbi videtur, iuxta dicta proposit. 7.

66 Probat autem propositionem Bonau. Scot. Marfil. & Ferr. Quoniam visio beatifica, etsi actualiter non representet à principio suæ existentie eas creaturas, quæ Beato successu temporis manifestantur, est tamen naturâ suâ habitualis quædam representatio illarum. Quo fit, ut bene possint illæ per eandem visionem intrinsecè inuariatam successu temporis, prout eueniunt, actualiter representari, atque adeò videri; completâ videlicet ipsâ visione in esse actualis representationis talium creaturarum per extrinsecam existentiam ipsarum successu temporis aduenientem. Verùm doctrina hæc communiter reprobatur à cæteris Theologis; & merito. Quia visio beatifica, sicut & quavis alia cognitio, per suam intrinsecam essentiam est actus cognoscendi, actualiterque proinde representandi, quidquid per eam est cognoscibile, necessarioque propterea, & in omni tempore, in quo existit, representat, notificatque actualiter, quidquid representat, & notificat aliquando. Neque est excogitabile ens, quod, cum per suam intrinsecam essentiam non sit cognitio actualis alicuius obiecti, ab extrinsecâ existentia ipsius obiecti cognitio actualis eius euadat. Eo quod de conceptu cognitionis est citra dubium, esse necessario actum re ipsâ formalem, intrinsecumque cognoscenti per adhesionem, non verò ex fundamentis extrinsecis coalescentem, iuxta diuisiones actus traditas in Pharo. Scient. disp. 8. ut satis ex se videtur notum. Aliunde ergo propositio probanda est.

67 Ego inde eam probo, quia visio beatifica, ut infra ostendam disp. 21. q. 5. ita est suâ naturâ successiua, ut singulis temporis momentis physicè varietur. Quo posito, nihil est, quod prohibeat, videri per visionem beatificam eas creaturas, quæ successivè Beatis manifestantur; imò eodem iure videri per illam dicendæ sunt, atque, quæ ipsis manifestantur in primo beatificationis instanti. Nam, sicut manifestandæ in primo beatificationis instanti per eandem Dei visionem in eo instanti productam videri censentur, ne frustra fiant per plura, quæ æquè, aut magis commodè fieri possunt per pauciora, iuxta dicta proposit. 7. Ita etiam manifestandæ in quolibet instanti totius temporis subsequenti per eandem Dei visionem in eo instanti productam eodem titulo videri censendæ sunt. Siquidem visio in eo instanti producendâ physicè distincta esse debet à visionibus productis in omnibus instantibus præcedentibus; benèque proinde potest suapte naturâ esse visio creaturarum, quarum visiones illæ non fuerunt. Quomodo autem cum eiusmodi successione visionis beatificæ, cum eoque, quod per visiones subsequentes plures creaturæ videantur, quam per antecedentes, cuncta componi possint, quæ de naturâ, & proprietatibus tum ipsius visionis, tum luminis gloriæ, &c. sentiunt communiter Theologi, loco citato

ato examinabimus. Vbi etiam, si quid difficultatis contra præsentem propositionem opponi potest, complanabitur.

## Propositio 9.

68 Beati nullam creaturam vident in Verbo, siue in Deo sumpto quoad entitatem præcisè aut tanquam in causâ, aut tanquam in ideâ, aut tanquam in speculo, aut aliter.

Hæc propositio contra multos Theologos imprimis esse videtur; qui absolute pronunciant, creaturas à Beatis videri in Verbo, siue in Deo tanquam in causâ. Hî sunt Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 2. & 5. Fasol. dubit. 8. & ibi Bann. Zumel. Gonzal. & alij Thomistæ. Gran. tract. 6. disp. 1. sec. 5. Ægid. Luit. lib. 5. de Beat. q. 18. art. 5. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 4. Albertin. in Coroll. ex 1. Princ. punc. 8. & apud eos alij plures. Censent enim, in virtute, siue potentia productiua creaturarum omnimodis indistinctâ realiter ab entitate Dei videri illas à Beatis. Est insuper propositio contra omnes, qui aliter, quàm ut in causâ, putant, cognosci à Beatis creaturas in entitate Dei præcisè. Pro eâ tamen stant nobiscum Vazq. 1. p. disp. 50. cum Gabr. Ocham. Almai. Maior. Alliac. & alij, Valent. q. 12. punc. 6. Artub. disp. 25. & 26. Alarc. tract. 1. disp. 4. cap. 5. Amic. disp. 9. sec. 21. Recup. lib. 6. q. 26. cap. 2. Gasp. Hprt. disp. 3. de Incarn. diff. 3. Oued. 1. 2. tract. 1. contr. 4. punc. 6. & alij.

69 Probatur primò. Quia Deus sumptus quoad entitatem cum præcisione ab omnibus suis actibus intellectiõnis, & volitiõnis prout denominantibus ipsum intelligentem, & volentem, ab omnique connotato extrinseco omnimodis est absolutus ab omni creaturâ tam possibili, quàm existente, nullamque omnino connexionem cum illâ habet. Ergo ita sumptus nequam potest intuitiue à Beatis visus obiectiue determinare intellectum eorum ad aliquam creaturam cognoscendam, nedum intuitiue videndam. Quod ipsum est, nullam creaturam à Beatis in Deo ut sic viso videri posse, iuxta doctrinam in præcedentibus propositionibus statutam. Antecedens ex professo probatum est à nobis supra disp. 4. q. 2. Consequentia autem hæud dubie est bona. Quia, quod nullo modo cum alio connexionem, aut ad aliud relatum est, necunde potest cognitum mouere, siue determinare obiectiue intellectum id cognoscentis ad cognoscendum aliud. Alioquin quoduis omnino obiectum cognitum ad cetera omnia cognoscenda determinaret obiectiue, quantumvis ab eis absolutum esset. Quod est absurdum, Etenim tota, & unica ratio, propter quam vnum obiectum obiectiue determinat intellectum cognoscentem illud ad cognoscendum aliud, illius cum hoc connexio est: atque adeò, tali connexionem deficiente, & talem determinationem deficere, necesse est. Quando enim primum sine secundo esse non potest, (quod est cum illo esse connexum), intellectus iudicans, esse primum, & primum non posse esse sine secundo, eo ipso manet determinatus ad iudicandum esse secundum; cum euidentissimum sit, esse secundum ex suppositione, quod est primum, & quod primum sine secundo esse

non potest. Quando verò primum sine secundo potest esse, (quod est cum illo non connecti), sicuti positio realis primi indifferens est, ut coniungatur cum positione reali secundi, vel cum eius carentiâ: ita intellectus iudicans, esse primum, indifferens manet ad iudicandum esse, vel non esse secundum. Quod ipsum est, primum ex defectu connexionis cum secundo vim non habere determinandi obiectiue intellectum secundo cognoscentem ad cognoscendum secundum. Cùm ergo in Deo connexio cum creaturis deficiat, ut modò supponimus, & eiusmodi obiectiua determinatio ad cognoscendum illas in eo deficiat, prout intendimus, necesse est.

Confirmatur, & declaratur primò; quia, quod est indifferens, ut coniungatur cum vtroque ex extremis contradiciõnis, non magis potest cognitum ducere, siue determinare ad cognoscendum extremum positium, quàm ad cognoscendum negatiuum, ut est notissimum. Sed entitas Dei, utpote cum creaturis omnibus inconnexa, prout modò supponimus, indifferens est, ut coniungatur cum illis, vel cum illarum contradictorio. Ergo intuitiue visa non magis ducere, siue determinare potest ad illas videndas, quàm ad videndum illarum contradictorium. At ad hoc videndum determinare non potest; cum falsum sit, Ergo neque ad videndas illas.

Secundò confirmatur; quia ex hypothesi, quod creatura deficeret, sicut Deus utpote inconnexus cum illis eodem modo quoad suam intrinsecam entitatem maneret existens, atque nunc est; ita quoque eodem modo maneret quoad suam intrinsecam entitatem cognoscibilis, atque nunc est. Sed tunc cognitum ad creaturas cognoscendas non determinaret; sicuti ad earum contradictorium cognoscendum non determinat nunc. Igitur neque nunc determinat ad creaturas cognoscendas.

Dicunt aliqui. Est omnipotentia diuina non sit, connexa cum creaturis, hoc ipso, quod est virtus illarum productiua, atque adeò illas in se quodammodo continens virtualiter, seu eminenter, non posse non eam intellectum se videntem ad illas quoque videndas determinare; cum planè repugnet, non cognitis creaturis, virtutem productiuam illarum illas in se sic continentem clare videre. Sed contra est. Quia, esse Deum productiuum creaturarum, siue potentem eas producere, siue continentem eas in se, eminenter, (quæ omnia, & similia in idem recidunt), conceptus obiectiui sunt semiextrinseci Deo, ipsasque subinde inuolunt creaturas in quantum possibles, respectiue ad quas, & non aliter possumus nos concipere eam Dei formalitatem, quæ partim à se, & partim ab illarum possibilitate suppositâ virtus ipsarum productiua denominatur. Vnde, licet huiusmodi conceptus sine creaturis ut possibilibus videri nequeat, ad ipsasque ut sic videndas determinent, utpote cum illis prorsus connexi iuxta iam dicta proposit. 2. dicendaque propof. 10. inde non fit, de entitate intrinsecâ Dei præcisè sumptâ, de qua impræsentiarum tractamus, idem dicendum esse, suppositâ inconnexionem eius cum creaturis, ut constat ex dictis.

Secundò probatur propositio. Quia Deus sumptus quoad entitatem præcisè eodem prorsus modo se habet ad omnes creaturas possibles inter se comparatas; siquidem quæ productiua



est omnium, æquè omnes in se continet, æquè est cum omnibus connexus, vel ab omnibus absolutus, vt est notissimum. Ergo visus ab intellectu Beati quoad suam entitatem præcisè æqualiter illum obiectiue determinat, aut non determinat ad videndum omnes creaturas possibiles. Ergo Beatus ex vi videndi Deum quoad suam entitatem præcisè vel omnes creaturas possibiles videt in ipso Deo, vel nullam videt. At non videt omnes, vt est certissimum. Ergo nullam. Pariterque sit argumentum, comparando Deum quoad suam entitatem præcisè ad omnes creaturas existentes in aliquà temporis differentià. Sed, agendo modò de creaturis possibilibus, confirmatur, & declaratur vis argumenti. Ideò Beatus iuxta Aduersarios ex vi videndi entitatem Dei videt aliquas creaturas possibiles; quia entitas Dei virtus factiua earum est, eoque iure, vt plerique affirmant, intrinsecè est connexa cum illis. Sed eodem prorsus modo iuxta eosdem (hoc enim negare non possunt) est entitas Dei virtus factiua cæterarum omnium creaturarum possibilium, eoque iure iuxta plerisque intrinsecè connexa cum illis. Ergo Beatus eodem iure ex vi videndi entitatem Dei omnes creaturas possibiles videre debet. Vel, si omnes non videt, vt fateatur, nullas videre eo titulo dicendus est. Stante enim pro omnibus æquali titulo, sicuti stat, vt videantur, vel omnes dicendæ sunt videri, si titulus est sufficiens, vel nulla, si est insufficientis, vt est notissimum.

74 Respondent communiter primò, quò perfectius videtur entitas Dei, eò plures in ipsa visà creaturas videri. Quia vniuersaliter, quò perfectius cognoscitur causa, eò plures in eà cognita cognoscuntur effectus; sicut, quò perfectius cognoscitur quæuis essentia, eò plures in illà cognita veniunt cognoscendæ passiones; & quò perfectius cognoscitur quoduis principium, eò plures ex illo cognito veniunt conclusiones inferendæ. Vnde ad confirmationem factam possunt addere. Ex parte quidem entitatis diuinæ æqualem, & sufficientem titulum esse ad videndas in eà visà omnes creaturas possibiles, vt videntur de facto à Deo: limitati verò, siue taxari istum titulum ex parte visionis ipsius entitatis, ita, vt perfectior visio ad plures, imperfectior verò ad pauciores creaturas videndas determinet. Sed contra est. Quia titulus virtutis caulatiuæ, aut etiam connexionis, ob quem præcisè iuxta Aduersarios in entitate diuinà videntur creaturæ, nullatenus pendet à maiore, vel minore perfectione visionis ipsius entitatis; atque adeò per illam nullatenus venit taxandus; æqualisque subinde permanet semper respectu omnium creaturarum, cuiusvis demum perfectionis sit eiusdem entitatis visio. Quo redit integrè argumentum, & confirmatio eius. Si enim, vt Aduersarij consent, entitas diuina visà per hanc visionem, cuiuslibet ea sit perfectionis, ideò præcisè determinat ad videndas has creaturas; quia intrinsecè est virtus factiua illarum, aut etiam cum illis connexa, vt talisque videtur; cum æquè sit intrinsecè virtus factiua aliarum omnium possibilium, aut etiam connexa cum illis, vt talisque per eandem visionem necessariò videatur: quia nequit non videri per illam eodem modo quoad totum, quod intrinsecè est, iuxta doctrinam statutam q. 2. planè consequitur, entitatem diuinam per hanc eandem visionem visam ad videndas omnes creaturas possibiles debere necessariò determinare. At

non determinat ad omnes. Ergo neque ad aliquas determinare censenda est. Malè ergo in maiorem, vel minorem perfectionem visionis entitatis diuinæ refertur, quòd plures, aut pauciores creaturæ in illà tanquam in causà videndæ veniant.

Nec verum est, quò perfectius cognoscitur 75 causa præcisè quoad entitatem intrinsecam, prout loquimur in præsentì de causà primà, eò plures in eà cognosci effectus. Si enim cognitio causæ quoad solum intrinsecum sit intuitiua, æqualiter prorsus ex vi eius venient in causà cognoscendi aut omnes effectus eius, aut nullus: omnes quidem, si intrinsecè cum illis connexa est; nullus autem, si non connexa. Si verò sit abstractiua, quò plures causæ formalitates connexæ cum effectibus cognitæ fuerint, eò plures in illis cognoscuntur effectus. Quo pacto etiam, quò plures cognoscuntur formalitates aut in essentia connexæ cum passionibus, aut in principio connexæ cum obiectiuis conclusionibus, eò plures in illis aut passionibus, aut conclusionibus cognoscendæ veniunt. Atque hoc sensu, quò melius abstractiue cognoscitur aut causa, aut essentia, aut principium, eò plures in eis cognoscuntur aut effectus, aut passiones, aut conclusiones. Iam si sit sermo de cognitione, seu intuitiua, seu abstractiua causæ, aut essentia, aut principij prout subest connotatis extrinsecis, quò sub pluribus effectibus causa cognita fuerit, eò plures in eà vt sic cognoscuntur effectus iuxta dicenda proposuit. 10. pariterque, quò sub pluribus conclusionibus principium, eò plures in illà passiones, & in hoc conclusiones cognoscuntur. Sicque proinde, quò sub pluribus connotatis, eoque sensu, quò melius causa, aut essentia, aut principium siue intuitiue, siue abstractiue cognita fuerint, eò plures in eis aut effectus, aut passiones, aut conclusiones cognitæ erunt.

76 Secundo ad argumentum factum communiter etiam Aduersarij respondent, eò plures, aut pauciores creaturas videri ex vi visionis beatificæ in entitate Dei præcisè sumptà tanquam in causà, quò magis, aut minus perfectum est lumen gloriæ determinans, atque concurrens ad talem visionem. Sed hæc responsio in præcedentem ferme recidit: siquidem, quò perfectior est visio, eò perfectius est lumen, & vice versà, saltem cæteris paribus. Quare non magis, quàm illa, satisfacit. Quia, sicut est impossibilis visio, ex vi cuius videantur in entitate diuinà tanquam in causà aliqua creaturæ, & non omnes: quia entitas diuina per nullam visionem possibilem, visà potest determinare ex præciso titulo causæ ad videndas aliquas, quin ad omnes; vt ex dictis contra præcedentem solutionem liquidum manet. Ita etiam est impossibile lumen gloriæ, ex vi cuius paulò remotius videantur in entitate diuinà tanquam in causà aliqua creaturæ, & non omnes: quia huiusmodi lumen exerceret munus istud medià visione impossibili à se producta. Quod est chymæricum.

77 Propterea alij respondent, posse Beatum, videre omnipotentiam Dei vt productiuam aliquarum creaturarum, non autem omnium; atque ita in illà posse videre aliquas creaturas, quin videat omnes. Falluntur tamen manifestè, si loquantur de intrinsecò omnipotentia præcisè, de quo modò tractamus, In omnipotentia enim

K K K K

pra-

precisè quoad intrinsecum idem est prorsus, esse productiuam aliquarum creaturarum, & esse productiuam omnium. Vnde vnum sine alio videri nullo pacto potest iuxta doctrinam statutam q. 2. Aliud est de conceptibus productiuæ aliquarum, & productiuæ omnium creaturarum prout includentibus ex connotato ipsas creaturas iuxta dicenda proposuit. 10.

78 Alij respondent, Beatos eò plures creaturas cognoscere in omnipotentia tanquam in causa, quò magis penetrant illam suà visione; eò autem pauciores, quò minus. Sed hæc responsio in primam iam impugnatam recidit. Quia penetrare magis, aut minus omnipotentiam precisè quoad intrinsecum, aliud non est, quam illam magis, aut minus perfectè videre. Ostensum est autem ex vi cuiusvis visionis sue magis, siue minus perfectæ debere in intrinseco omnipotentia tanquam in causa vel omnes creaturas videri, vel nullam. Per quæ repulsa satis manet obscura quædam aliorum locutio dicentium, aliquas creaturas magis esse latentes in omnipotentia, quam alias; proindeque aliquas in illa tanquam in causa, non visis pariter reliquis, videri posse. Prædicta quippe omnia probant, neutiquam posse esse aliquas creaturas magis, quam alias, in omnipotentia latentes tanquam in causa. Ex quibus etiam facile quisque confutabit, quæcumque alij ad argumentum factum respondere tentauerint.

79 Iam verò creaturas aliquando existentes prout tales neutiquam in entitate diuinâ precisè sumptâ tanquam in causa videri posse, per argumenta facta longè efficacius comprobatur. Cum prorsus sit certum, entitatem Dei precisè sumptam cum creaturis prout existentibus connexam non esse; sed indifferentem omnino, vt cum illis, vel cum earum contradictorio coniungi possit. Quocirca aut omnes, aut plerique saltem Auctores supra commemorati, qui opinantur, in omnipotentia diuinâ videri à Beatis creaturas tanquam in causa titulo connexionis, aut virtutis causaliæ, aut continentia eminentialis, quam adstruunt in omnipotentia sumptâ precisè quoad entitatem respectu creaturarum, dumtaxat agunt de creaturis prout possibilibus. Atque ita, cum de existentibus prout talibus agunt speciatim, eorum aliqui, non innudâ omnipotentia, tanquam in causa, sed in eâ vt coniunctâ cum decreto Dei de illarum existentia, aut cum alio predicato connexo cum illis videri illas à Beatis, planè decernunt. Vnde constat, iuxta communem aut omnium, aut fere omnium Auctorum placitum, siue sensum in entitate diuinâ sumptâ precisè, prout sumimus in præsentis propositione, creaturas prout existentes à Beatis non videri tanquam in causa; tametsi iuxta sententiam multorum, quam nos impugnauius, prout possibles videantur.

80 Quòd si in entitate diuinâ precisè sumptâ nullas creaturas Beati tanquam in causa videri possunt ob inconnexione, quam illa vt sic cum omnibus creaturis habet: nec poterunt ob eundem titulum in eâ sumptâ eodem modo videri vllas tanquam in speculo, aut tanquam in idea, aut aliter. In quo amplius immorari necesse non est.

## Propositio 10.

Suppositis creaturis, quas de facto vident Beati, in Deo viso prout illas connotante videre possunt, de factoque videre censendi sunt; dicendique subinde eo pacto illas in Deo videre tanquam in causa.

Itaque creaturas, quas Beati vident vt possibles, in Deo tanquam in causa eas potente causare vident; & creaturas, quas vident vt existentes, in Deo tanquam in causa eas causante vident. Conceptus enim Dei quatenus potentes causare tales creaturas possibles supra diuinam entitatem addit ex connotato ipsas creaturas, ipsarumve causalitates vt possibles; & conceptus Dei prout causantis tales creaturas existentes supra diuinam entitatem addit ex connotato ipsas creaturas, ipsarumve causalitates vt existentes. Dico ipsas creaturas, ipsarumve causalitates; quia aliqua creatura per se ipsas immèdiatè causantur à Deo. Quo casu partim denominatur Deus ab illis, vt possibilibus quidem potens ipsas causare, vt existentibus autem ipsas causans; aliqua verò creatura per interpositas causalitates causantur à Deo. Quo casu ab eiusmodi causalitatibus sortitur Deus immèdiatè eiusmodi denominationes.

Hoc sensu videtur posse intelligi S. Th. dum 1. p. q. 12. art. 8. alijsque in locis docet, creaturas videri in Deo tanquam in causa. Cum enim apertè loquatur non solum de creaturis possibilibus, sed etiam de existentibus; certumque sit, existentes in Deo sumpto precisè quoad entitatem, vt potè ab eis omnino absolutam, videri non posse, necessariò venit intelligendus tanquam loquens de Deo prout connotante, siue inuolente in conceptu causæ aliquid connexum cum creaturis, quæ in ipso tanquam in causa videri dicuntur, qualiter sumitur à nobis in præsentis propositione. Pariterque intelligendi veniunt ceteri Patres, qui perinde ac S. Th. loquuntur ad rem.

Ratio autem propositionis est. Quia quemadmodum voluntas potest velle vnum prout connotans aliud, quin per talem volitionem velit hoc aliud, vt patet in volitione puniendi peccatorem, quæ volitio est pœnæ prout connotantis peccatum, quin sit peccati, & in volitione sanandi ægrotum, quæ volitio est medicinz prout connotantis ægitudinem, quin sit ægitudinis. Ita intellectus potest iudicare vnum prout connotans aliud, quin per tale iudicium iudicet saltem formaliter hoc aliud; tametsi vnum prout connotans aliud sine hoc alio connotato stare non possit; cum eoque subinde necessariò connexum sit. Quo posito, sicut in quouis obiecto intrinsecè connexo cum alio, & secundum se precisè considerato terminus connexionis eius est iudicabilis; determinante videlicet obiecto connexo iudicato ad iudicandum terminum connexionis siue per idem, siue per distinctum iudicium, vt est certissimum. Ita in quouis obiecto intrinsecè absoluto ab alio, considerato tamen prout connotante illud, quo pacto extrinsecè euadit cum illo connexum, huiusmodi connotatum iudicabile est; determinante videlicet obiecto connotante iudicato prout tali ad iudicandum connotatum siue per idem, siue per distinctum iudicium; habentemque se connotato vt conditione ad talem determinationem. De quo

quo modo cognoscendi vnum ex vi cognoscendi aliud prout connotans illud tacto iam à nobis supra disp. 17. q. 6. plura infra dicenda sunt in tract. de Scient. Dei. Eo autem posito vt possibili, non est, cur negetur ille de facto exerceri in Beatis comparatione creaturarum, quæ iuxta constantem sententiam Patrum, & Theologorum vident in Deo. Dicuntur ergo videre illas de facto in Deo prout connotante ipsamet, siue ipsarum causalitates; subindeque videre illas de facto in Deo tanquam in causâ modo explicato, vt propositio nostra fert. Quo etiâ pacto dicendi sunt videre Beati actus diuinos intellectiōis, & volitionis ad ipsas creaturas terminatos (quos vident iuxta dicta q. 3.) in entitate diuinâ prout ipsos actus connotante.

Propositio 11.

84 Suppositis creaturis, quas de facto vident Beati, in Deo viso tanquam in obiecto beatificante dicendi sunt illas videre.

Hanc propositionem inde probo. Quia certum est, Beatis, suppositâ beatitudine essentiali, quam Deus illis communicat consistentem, aut vnice, aut principaliter in visione entitatis diuinæ, beatitudinem insuper accidentalem debita esse titulo aliquo connaturalitatis, aut congruitatis, quò plenè status eorum beatificus sit. Ad beatitudinem autem accidentalem pertinet intuitio earum creaturarum, quas, ipsarum esse supposito, intuitiue videre censentur iuxta dicta proposit. 3. Vnde huiusmodi creaturarum intuitio visioni beatificæ, qua vident Deum, ipsique Deo subinde prout viso per illam debita est. Ex quo rursus fit, vt, dum intuitio talium creaturarum Beatis confertur à Deo inducto per eiusmodi debitum, cum veritate dici possit, Beatos ex vi vident Deum tales creaturas intueri: Deumque ipsum prout visum obiectiue concurrere, obiectiueque proinde determinare intellectum Beatorum ad talium creaturarum intuitionem. Quod ipsum, iuxta supra dicta q. 3. n. 15. est, Beatos in Deo viso tanquam in obiecto beatificante tales creaturas videre, vt propositio data fert.

85 Itaque hoc ipso, quod Beatis communicanda est visio beatifica, visio quoque dictarum creaturarum, ipsarum esse supposito, communicari debet, siue hæc ab illâ sic distincta, siue secus; vtroque enim modo potest Deus tali debito satisfacere: quamuis de facto satisfaciat dando Beatis talem beatificam visionem, quæ eadem ipsarum quoque creaturarum sit visio, iuxta doctrinam statutam proposit. 7. & 8. Neque id obstat, quominus tales creaturæ in Deo vt in obiecto beatificante dicantur videri. Quia siue per eandem Dei visionem, siue per distinctam creaturæ titulo eiusmodi debiti videantur, semper Deus visus medio ipso debito determinat obiectiue ad earum visionem. In quo stat, creaturas ipsas in Deo vt in obiecto beatificante videri.

86 Qua ratione autem Beati in Deo, tanquam in obiecto beatificante vident creaturas ad se spectantes aliquo modo iuxta dicta proposit. 3. eadem quoque vident actus diuinos ad tales creaturas terminatos, vt pote ad se etiam eodem iure spectantes; atque etiam Verbum diuinum, prout Verbum est talium creaturarum, & talium actuum; necnon Spiritum sanctum, prout vtrorumque est amor productus,

siue pondus iuxta dicta quæst. 3.

Et quoniam quò perfectiùs quisque Beatus 87 videt Deum, eò maiorem beatitudinem essentialem habet, & vice versâ: & quò maiorem beatitudinem essentialem habet, eò maior beatitudo accidentalis illi debetur, defactoque subinde confertur: & ad maiorem beatitudinem accidentalem spectat, tum plures creaturas videre, tum eas videre perfectiùs: idcirco, quò quisque Beatus perfectiùs videt Deum, eò plures creaturas videt, perfectiùsque in ipso. Quo sensu venit intelligendus S. Th. vbicunque absolutè pronunciat, quò quisque perfectiùs Deum videt, eò plures creaturas in ipso videre, nimirum vt in obiecto beatificante. De quo plura proposit. 14.

Propositio 12.

Beati creaturas, quas vident, in Deo 88 prout eas intelligente, & volente; atque adeò etiam speciatim in Verbo diuino, prout earum est Verbum, & in Spiritu sancto, prout earum est amor productus, vident.

Hæc propositio valdè est conformis dictis Patrum sæpe afferentium, & quidem propriissime, creaturas à Beatis in Sapientiâ Dei, & in eius Verbo videri. Probatum autem facillè ex hæcenus dictis. Quia actus diuini intellectus, & voluntatis terminati ad creaturas, quas Beati vident, atque adeò denominantes Deum eas intelligentem, atque volentem, necnon Verbum diuinum prout Verbum talium creaturarum est, & Spiritus sanctus, prout est earumdem amor productus, siue pondus, intrinsecè connectuntur cum ipsis creaturis ex vnâ parte; ex aliâ verò vt sic à Beatis intuitiue videntur, prout q. 3. statuimus. Igitur in eis vt sic visis aptissime omnium videri possunt creaturæ ipsæ à Beatis; de facto, que subinde videri censenda sunt. Nullum quippe medium aptius excogitari potest, in quo viso videatur quoduis obiectum, illo, quod suo præceptu intrinsecè cum tali obiecto est connexum, vt ex dictis in superioribus colligere est. Siquidem illud est, quod aptissime omnium determinat obiectiue intellectum videntis ipsum ad videndum aliud obiectum, cum quo ipsum connexum est. In quo consistit, tale obiectum in ipso videri.

Itaque Beati videntes scientiam, quam 89 Deus habet de creaturis possibilibus, quas ipsi vident, in tali scientiâ vident tales creaturas; & videntes scientiam, quam Deus habet de creaturis existentibus, quas ipsi vident, in tali scientiâ vident tales creaturas; & videntes Verbum diuinum, quatenus vtrarumque est verbum, siue representatio per modum termini, in ipso Verbo vident vtrasque. Pariterque videntes volitiones diuinas terminatas aut ad omnes dictas creaturas, aut ad earum aliquas, & Spiritum sanctum, vt est earumdem volitio producta, siue pondus, in ipsis quoque vident illas.

Sed dicet aliquis. Medium cum alio obiecto 90 connexum, quantumvis intuitiue visum, dumtaxat determinat ad cognoscendum abstractiue ipsum obiectum, vt patet in creaturis connexis cum Deo, quæ ab Angelo viatore intuitiue visæ dumtaxat determinant ipsum ad cognoscendum Deum abstractiue. Igitur Beati ex vi

videndi prædicta media connexa cum prædictis creaturis abstractiue tantum in illis, non vero intuitiue cognoscunt creaturas ipsas. Distinguo antecedens. Quando intellectus determinandus proximè est impotens ad cognoscendum intuitiue tale obiectum; quia non habet comprincipia ad id requisita; concedo. Quando proximè est potens; quia habet; nego. Et nego consequentiam. Itaque medium cum alio obiecto connexum etiam intuitiue visum ex se tantum est determinatum ad tale obiectum cognoscendum siue abstractiue, siue intuitiue. Quia tamen determinatio ista ad intellectum determinandum est respectiua; quando intellectus determinandus proximè est cognoscitiuus obiecti huiusmodi intuitiue, ad cognitionem intuitiuam eius fiet determinatio vi talis medij; ad abstractiuam autem, quando intellectus determinandus abstractiue tantum ipsius obiecti cognoscitiuus proximè est. Et quoniam Angelus ex suis naturalibus in statu via, etsi intuitiue videat creaturas connexas cum Deo, ad ipsum intuitiue videndum comprincipia non habet; creaturæ visæ ad solam abstractiuam Dei cognitionem ipsum determinat. Beati vero, quia titulo status beatitudinis comprincipia sufficientia habent ad intuitiue cognoscendas creaturas prædictas, per media prædicta cum eis connexa ad intuitionem earum determinantur. In hunc modum contra Recentiores quosdam dicemus in tract. de Scientiâ, in quouis medio connexo non abstractiue, sed intuitiue videri à Deo terminum connexionis. De quo ibi plura.

## Propositio 13.

91 Beati creaturas, quas vident, in Deo tanquam in quodam speculo vident.

Sic loquuntur Patres, & Scholastici communiter. Hæc tamen loquutio non importat specialem aliquem modum videndi creaturas in Deo, præter hæcenus commemoratos. Sed iuxta quemlibet eorum dicuntur insuper per quamdam metaphoram desumptam ab analogiâ eorum, quæ in speculo materiali apparent, videri in Deo vt in speculo. Analogia autem in eo stat, quod, sicut oculis corporeis ex vi videndi speculum videntur alia obiecta distincta ab speculo, neutiquam eò modo videnda, si non videretur speculum, ita intellectu beato ex videndi Deum videntur creaturæ distinctæ à Deo, neutiquam eò modo videndæ, nisi Deus videretur. Quidquid sit modò de minoriore, distinctiorem philosophiâ visionis corporeæ specularis; ad metaphoricam enim loquutionem sufficit analogia, siue similitudo dicta. Quocirca S. Th. q. 22. de Verit. art. 6. in corp. ait. *Speculum propriè loquendo, non inuenitur nisi in rebus materialibus; sed in rebus spiritualibus per quamdam transumptionem dicitur per similitudinem acceptam à speculo materiali, vt scilicet in rebus spiritualibus dicatur esse speculum id, in quo alia representantur, sicut in speculo materiali apparent formæ rerum visibilibus.*

92 Appellat autem multi Scholastici Deum speculum voluntarium creaturarum comparatione Beatorum; ad distinctionem scilicet speculi materialis, quod visum naturaliter, & citra omnem libertatem representat alia, quæ in illo apparent: quia Deus saltem vt visus præcisè quoad entitatem non representat necessariò, & citra omnem libertatem alia à se. Cùm sit possi-

bile, videri Deum vt sic, quin vlla in ipso videatur creatura iuxta doctrinam statutam propos. 2.

## Propositio 14.

Quò quis perfectiùs videt Deum, eò plures creaturas in ipso videt. 93

Ita S. Th. 1. p. q. 12. art. 8. & q. 57. art. 5. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. sepeque alibi; & cum eo Thomistæ, alijque Theologi communiter. Probant aliqui, Quia, quò perfectiùs videtur causa in vniuersum, eò plures in eà videntur effectus. Hæc tamen probatio non est efficax, si fit in eà, vt solet, & vt ad propositum debet, sermo de visione causæ præcisè quoad entitatem intrinsecam, vt satis constat ex dictis proposit. 9. Inde ergo probanda propositio est. Quia, vt num. 87. tetigimus, quò quis perfectiùs videt Deum, eò maiorem beatitudinem essentialem habet, eoque maior subinde beatitudo accidentalis ipsi debetur, de factoque confertur. Ad maiorem autem beatitudinem accidentalem spectat, plures creaturas videre. Igitur de primo ad vltimum, quò quis perfectiùs videt Deum, eò plures creaturas in ipso videt. Est quippe sermo in propositione de maiore perfectione intensiua visionis Dei maiorem beatitudinem essentialem constitutente iuxta dicenda postmodum.

Sed obijcitur contra propositionem. Contingere potest, vt habens pauciora merita, atque adeò minorem beatitudinem essentialem, plures creaturas videre debeat, vt pote pertinentes ad suum statum, iuxta dicta proposit. 3. quam habens plura merita, maioremque beatitudinem essentialem, vt pote ad cuius statum pertinent longè pauciores: vt si Fundator religionis, ad quem spectat ratione muneris, cuncta, quæ in tali religione eueniunt, videre, minorem beatitudinem essentialem habeat, quam aliquis Anachoreta incognitus, cui titulo muneris nullius euentus competit intuitio. Igitur nequit esse vniuersaliter verum, eò plures vnumquemque creaturas videre, quò perfectiùs videt Deum, seu, quò beator essentialiter est.

Respondent aliqui, quorum est Fasol. 1. p. q. 12. art. 8. dubit. 22. n. 129. cum, qui, minus beatus cùm sit, plures ratione status, siue muneris creaturas videre postulat, quam, qui magis beatus est, videre quidem illas, non tamen in Verbo, sed per speciales reuelationes distinctas à visione beatificâ, & debitas illi, non vi visionis ipsius, sed vi status beatifici. Atque ita solum esse vniuersaliter verum, à magis Beato videri plures creaturas in Verbo, quidquid sit de pluribus visis extra Verbum interdum à minus Beato. Quo fere etiam pacto respondet Recupit. lib. 6. q. 38. cap. 4. Sed non placent. Primò; quia concedunt, creaturas à Beatis visas titulo status, siue muneris proprii vniuscuiusque non videri ab ipsis in Verbo: quod communi sententiæ Patrum statuta proposit. 6. refragatur haud dubie. Secundo; quia censent, non per visionem beatificam, sed per aliam distinctam videri à Beatis aliquas creaturas, non solum ex numero earum, quæ illis successu temporis notificantur: quod est contra doctrinam à nobis ex sententiâ Patrum deductam proposit. 8. sed etiam ex numero earum, quæ illis notificantur à suæ beatificationis principio; quod communi Theologorum sententiæ

tiz statutz proposit. 7. planè aduersarur. Tertio; quia concedunt, aliquos habentes minorem beatitudinem essentialem plures creaturas videre absolute, quam habentes maiorem: quod communi etiam Theologorum sententiæ in præsentî propositione statutz oppositum est.

96 Respondeo ergo cum Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. n. 19. & 20. vnumquemque Beatum, quantumvis exiguam beatitudinem essentialem habeat, omnes creaturas ad suum statum, ad summe munus pertinentes, quantumvis sint illæ multæ, videre intuitiue: quia id vel infimæ essentiali beatitudini debitum est: easque in Verbo, & per eandem visionem Dei videre iuxta doctrinam stabilitam proposit. 6. 7. & 8. Quoties autem ad statum, aut munus habentis minorem beatitudinem essentialem plures pertinent creaturæ videndæ, quam ad statum, aut munus habentis maiorem, etsi primus ex genere creaturarum ad proprium statum, aut munus pertinentium plures creaturas videat, quam secundus; secundus tamen ex alijs generibus tantò plures videt, quam primus, quantò necesse est, vt secundus eadem proportione excedat primum, quoad numerum omnium creaturarum, quas vident, atque etiam quoad perfectionem visionis earum, qua excedit ipsum quoad beatitudinem essentialem. Ex quo patet, benè componi, quòd sæpe minus Beatus plures, quam magis Beatus videat creaturas ex genere eorum, quæ pertinet ad proprium statum, aut munus; & nihilominus magis Beatus absolute, & ex omni genere eò semper plures creaturas videat, easque in Verbo, & per visionem beatificam, quam minus Beatus, quò magis, quam ille, Beatus est.

97 Est tamen animaduertendum, bifariam posse dici Deum perfectius videri. Primò intensiue, vt quando visio in se clarior, intentior, aut alio quouis modo perfectior est alià visione habente idem prorsus obiectum. Secundò veluti extensiue, vt quando visio Dei ad plura eorum, quæ ad Deum pertinent, se extendit, ipsumque prout connorantem illa, siue prout subest illis tangit; nimirum ad plures actus intellectus, & voluntatis diuinæ, ad pluresque creaturas factibiles, & factas à Deo. Perfectius enim vnum quodque cognosci dicitur, quando non solum quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia, quibus illud subsistat, cognoscitur, tantòque perfectius, quantò quoad plura; etiam quoad intrinsecam perfectionem cognitiones æquales sint. Prædicta autem, quæ ad Deum pertinent, ad instar accidentia sunt comparatione substantiæ eius. Et propositio quidem data, vt iam adnotauimus, de maiore perfectione intensiua visionis Dei, quæ sola facit magis beatum essentialiter, tractat. Ex eà tamen constat, quo quis perfectius intensiue Deum videt, eò perfectius etiam extensiue videre illum: in hoc namque recidit iuxta, dicta eò plures in Deo viso creaturas videre. Et hæc quidem de facto. Quòd si ex duobus Beatis primus aut æquè, aut minus perfecte intensiue, perfectius verò extensiue videret Deum, quam secundus, (vt suppositis dictis hætenus, possibile est citra omne dubium); primus quidem aut æquè, aut minus beatus essentialiter, magis verò beatus accidentaliter, quam secundus, esset, vt satis, superque ex dictis liquidum est. Id tamen de facto non euenit: quia beatitudo accidentaliter connaturaliter essentiali

proportionari debet. Ad Deique prouidentiam spectabit, earum proportionem taxare, computatis etiam vnicuique beatitudinis accidentalibus, quæ sunt vnicuique Beato successu temporis obuenturi.

Rogabit hic aliquis; qua ratione sit verum, quòd sæpe dixit August. & cum eo alij, creaturas perfectius, seu melius videri à Beatis in Verbo, quam in se ipsis? Respondeo, id verum esse: quia cognitio naturalis de creaturis in se ipsis, quam de facto habent Beati, longè imperfectior est vndeque cognitione supernaturali, quam habent de creaturis in Verbo realiter indistinctam à visione beatificâ. Etenim tam Angelis, quam hominibus, siue animabus separatim intra, tum extra statum Viæ independenter omnino à visione beatificâ, & ab statu beatitudinis debentur naturali iure, naturaliterque subinde conferuntur de facto cognitiones tum intuitiua, tum abstractiua multarum creaturarum, quibus illæ in se ipsis ab eis cognoscuntur; vltra quas insuper nouo beatitudinis titulo, quo donantur, sublimior aliqua supernaturalis intuitio earundem creaturarum connaturaliter debetur; conferiturque de facto indistincta à visione Verbi, per quam illas vident in Verbo ipso, vt constat ex dictis. Ex quo patet, verissimè dici ab August. melius, perfectiusque videri à Beatis in Verbo creaturas, quam in se ipsis; eas nimirum, quæ de facto à Beatis tum in se ipsis, tum in Verbo videntur, quales sunt illæ, quarum cognitio naturalis independenter ab statu Beatitudinis illis debetur, de factoque conferitur. Vltra quas multas alias vident tantum in Verbo; eas scilicet omnes, quarum cognitio iure nature non debebatur; debetur tamen, atque conferitur iure dumtaxat beatitudinis.

#### Propositio 15.

Quidquid de cognitione intuitiua, 99 quam Beati habent creaturarum, in præcedentibus propositionibus traditum est, vniuersaliter venit intelligendum de cognitione intuitiua, quam habent quarumlibet veritatum obiectiuarum distinctarum à Deo.

Quaquam enim, vt morem gereremus Autoribus, de cognitione intuitiua, quam Beati habent creaturarum, indefinitè simus loquuti, doctrina tamen tradita vniuersaliter conuenit cognitioni intuitiua, quam habent quarumlibet veritatum obiectiuarum distinctarum à Deo. Quippe Beati eisdem tribus ex titulis, ob quos aliquas creaturas tum existentes, tum possibles cognoscunt intuitiue iuxta doctrinam statutam, proposit. 3. aliquas ex veritatibus obiectiuis distinctis à Deo cuiusuis omnino generis cognoscunt pariter, iuxta vniuersalem diuisionem veritatum obiectiuarum à nobis datam, & latè expositam in Pharo Scient. totà disp. 10. Itaque Beati intuitiue imprimis cognoscunt eas positiuas veritates tum quiditatiuas, tum existenciales, tum conditionatas, tum absolutas creaturarum possibile, quarum intuitiua notitia propter aliquem ex tribus dictis titulis spectat ad ipsos. Deinde cognoscunt pariter intuitiue positiuas veritates tum quiditatiuas conditionatas, & absolutas, tum existenciales conditionatas chymærarum impossibili.

sibilitum, quarum similiter intuitiva notitia propter aliquem ex eisdem tribus titulis ipsis debetur. Præterea cognoscunt itidem intuitivè eas veritates negativas tum absolutas, tum conditionatas tam creaturarum possibilem, quam chymararum impossibilem, quarum intuitiva notitia non minus pertinet ad ipsos ob aliquem titulum ex prædictis. De quibus speciatim iterum redibit sermo infra disp. 21. n. 65. Ad veritates autem conditionatas cuiusvis ex generibus dictis reducuntur veritates disunctivæ ipsis correspondentes iuxta universalem doctrinam loco citato Phari Scient. traditam.

<sup>100</sup> **Quæ omnes obiectivæ veritates eadem omnino ratione dicendæ sunt cognosci intuitivè à Beatis tum per visionem ipsam beatificam, tum in Verbo, aut in Deo, &c. ac dictæ sunt in præcedentibus cognosci creaturæ, quarum ad ipsos pertinet notitia intuitiva. Quoniam doctrina in præcedentibus tradita pro intuitione talium creaturarum pro intuitione talium omnium veritatum obiectivarum facit etiam omnino. In quibus minutis explicandis non est, cur diutius moremur.**

## DISPUTATIO XXI.

### De passionibus Visionis intuitivæ Dei.

**S**ermo erit in hac disputatione de passionibus præsertim metaphysicis tum proprijs, tum communibus Visionis intuitivæ Dei iuxta divisionem passionum cuiusvis essentia traditam in Pharo Scient. disp. 17. q. 18. nimirum de æqualitate, & inæqualitate, similitudine, & dissimilitudine, identitateve, & diversitate specificæ, de perpetuitate, & alijs huiusmodi.

## QVAESTIO I.

*Vtrum visio Dei in Beatis omnibus sit æqualis, aut inæqualis.*

**C**um Beatitudo essentialis videntium Deum aut unice, aut principaliter in eius visione consistat, perinde ferme est de æqualitate, & inæqualitate visionis Dei, atque de æqualitate, & inæqualitate Beatitudinis, qua Beati gaudent, differere.

**I**gitur omnes omnino videntes Deum æqualiter esse beatos, æqualesque subinde habere visiones beatificas, error Ioviniani fuit, ut scribit Hieronimus lib. 2. adversus eundem, & epist. 17. ad Damasum. Cuius etiam mentionem facit August. hæresi 82. & S. Th. opusc. 19. cap. 6. & referunt Castro adversus hæreses verbo *Beatitudo*, & Sanderus lib. 7. de Visibili Monarch. hæresi 87. In eundemque errorem inciderunt Lutherus, & sequaces, licet ex diverso fundamento, ut referunt, & impugnant Hofius in Confess. cap. 87. Vega in Trid. lib. 10. cap. 3. Sor. lib. 2. de Natur. & gratiâ cap. 20. & in 4.

dist. 49. q. 3. art. 2. Et sequutus est Calanus lib. 3. Institut. cap. 15. Et ex Catholicis Durand. in 4. dist. 49. q. 2. n. 27. addens tamen statim n. 28. melius, & fecerius esse adicere oppositum. Catholica verò sententia est, multos ex videntibus Deum inæqualiter esse beatos, inæqualesque subinde habere visiones beatificas.

In oppositum extremum declinarunt Palud. in 4. q. 1. Et Recentiores quidam innominati apud Ægid. Lusit. lib. 12. de Beat. q. 9. art. 3. asserentes, omnes omnino videntes Deum inæqualiter esse beatos, inæqualesque proinde habere visiones beatificas. Contraria tamen sententia, quam tradunt Maldon. in illud Marh. 20. *Acciperunt & ipsi singulos denarios*. Soar. 3. p. q. 62. art. 4. disp. 7. sec. 5. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 9. sect. 1. Ægid. Lusit. supra, & reliqui omnes Theologi, certa est. Addit tamen Recupit. 1. p. lib. 6. q. 34. cap. 5. ut quid verisimile, omnes Beatos in gloria accidentali habente se concomitanter ad visionem beatificam esse inæquales, qualem putat esse, quæ ad statum individualement vniuscuiusque pertinet, ut sunt, inquit, aureolæ, visio futurorum, & gaudia quædam accidentalia.

Suppono ut certum ex dictis disp. 20. visiones beatificas omnium beatorum, quantum est ex parte obiecti primarij, quod est entitas Dei cum omnibus suis prædicatis realiter identificatis, æquales esse, quatenus omnes idem habent huiusmodi obiectum primarium, ut ibi q. 1. statutum est. Nec fieri potest, ut non habeant, iuxta doctrinam statutam q. 2. Quare questio præfens, quæ de visionibus potissimè prout respicientibus prædictum suum obiectum primarium, à quo habent esse beatificas, differit, solum est de æqualitate, & inæqualitate earum quoad perfectionem ipsi intrinsecam, ratione cuius eas habentes, etsi omnes videant vnam, & eandem, & totam entitatem Dei, inæqualiter tamen vident eorum multi, inæqualiterque proinde ab eâ visâ beatificantur.

### Propositio I.

Non omnes videntes Deum sunt æqualiter beati. Proindeque neque omnes habent æquales quoad perfectionem visiones beatificas. Sed multi inæquales.

Propositio est de fide. Definita enim est in Concilio Florent. sess. vlt. in litteris vniõnis dicente. *Beati intuentur clarè ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est; pro meritum tamen diversitate alius alio perfectius*. Planèque inferitur ex Trid. sess. 7. dum definit. *Iustificatos bonis operibus verè mereri gloria augmentum*. Supra eam scilicet, quam acciperent, si cum iustitiâ acceptâ decederent ante alia opera patrata. Refertur etiam à Vazq. 1. p. disp. 47. cap. 2. pro eadem veritate Concilium Thelense sub Sixcio Papa. Sed ibi nihil de hæc causâ tractari, crudité probat Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 20. n. 6.

Constat deinde eadem veritas ex Scripturâ, cuius multa testimonia congerit Hieronimus supra contra Iovinianum. Potissima sunt illud Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multe sunt*. Vbi apertè sermone esse de diversitate gloria Beatorum, concors Patrum sententia est apud Soar. supra n. 3. & Ægid. Lusit. lib. 12. de Beat. q. 9. art. 1. Tum illud 1. ad Corinth. 15. *Sicut stella differit ab stella in claritate, sic erit resurrectio mor.*

*mortuorum*. Vbi agens Paulus de inæqualitate gloriæ corporum Beatorum planè supponit, inæqualitatem gloriæ essentialis, in qua illa fundatur, iuxta communem etiam Patrum expositionem. Tum illud Jerem. 31. *Omnes cognoscant me à minimo usque ad maximum*. Ob gloriæ scilicet inæqualitatem vt Hieron. exponit supra. Nec non omnia in quibus pro ratione meriti promittitur præmium, vt in parabola de fructu trigesimo, sexagesimo, & centesimo Matth. 13. & in parabola Talentorum Matth. 20. & Matth. 7. *In qua mensurâ mensi fueritis, remetietur & vobis*. Et Matth. 16. *Tunc reddet unicuique secundum operam eius*. Et 1. ad Corinth. 13. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Et 2. ad Corinth. 9. *Qui parè seminat, parè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Sapeque alibi.

8 Vnde prima ratio theologica pro eadem *re* desumitur. Quia de fide est, Beatitudinè, & ari iustis in præmium suorum meritorum, & tanquam mercedem eorum, & coronam iustitiæ. Sed merita iustorum in multis eorum sunt inæqualia, vt ex fide etiam, atque ex manifestâ experientia constat: Deusque in illis præmiandis iustitiam seruat distributiua, vt fides itidem, atque manifesta ratio suadent. Ergo, Beatitudinem iustorum in multis eorum esse inæqualem, necesse est.

9 Secunda autem ratio etiam theologica inde desumitur. Quia non omnes Damnati sunt æquales in poenâ, vt constat ex Apocalyp. 18. Ergo neque omnes Beati sunt æquales in gloriâ. Pro veris que enim militat eadem lex distributiua iustitiæ.

10 Opponitur tamen pro hæreticis contra veritatem statutam parabola illa operariorum Matth. 20. Vbi dominus vineæ tantundem mercedis contulit serò venientibus, & vnâ horâ dumtaxat laborantibus, quantum venientibus primo mane, & laborantibus per totum diem. Quo videtur significari, præmium vitæ æternæ in omnibus Beatis æquale fore; siue multum, siue parum in vineâ Domini, quæ Ecclesia est militans, laborauerint. Eiusmodi enim præmium iuxta omnes Patres, & Scholasticos significat ille parabola denarius ex æquo omnibus operarijs collatus.

11 Respondeo, duas esse celebres, & valde diuersas huius parabola expositiones. Prima, significari per illam inter omnes vocatos ad gratiam, & gloriam multos, qui videbantur in hac vitâ primi, & electi, in die Iudicij futuros nouissimos, ac reprobos: alios vero, qui in hac vitâ nouissimi, & reprobi videbantur, futuros in die Iudicij primos, & electos. Hanc cum Iansenio sequitur & latè explicat Vazq. 1. p. disp. 47. cap. 3. & 4. Secunda, significari per illam, inter ipsos met electos ad gloriam multos primos tum in uocatione; quia prius tempore vocati sunt; tum in longitudine temporis, quo in eâ uocatione perdurarunt, futuros in die Iudicij nouissimos, hoc est, æquale gloriæ præmium accepturos cum nouissimis, qui & tardius vocati sunt, & breuiori tempore laborarunt. Hæc longè probabilior est. Vtpote fere omnium Patrum, & Scholasticorum. Videatur latè explicata apud Maldonat. in cap. 20. Math. citatum, Salmer. tom. 7. tract. 33. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 20. Fasol. 1. p. q. 12. art. 6. dubit. 1. Recupit. lib. 6. q. 34. cap. 2. & apud alios ab eis citatos.

12 Igitur, stando in primâ expositione, comperitur est, nihil contra statutam veritatem ex parabola inferri posse. Cum in eâ iuxta talem

expositionem nulla æqualitas præmij, seu gloriæ inter Beatos significetur, sed tantum antepositio, & electio ad gloriam eorum, qui, vt res in statu præsentis oculis hominum apparent, postponendi, & reprobandi videbantur, & postpositio, reprobatioque eorum, qui anteposendi videbantur, & eligendi. Stando verò, vt certe stari debet, in expositione secundâ, fatendum est, per denarium parabola ex æquo collatum laborantibus inæqualiter aliquam gloriæ æqualitatem significari inter Beatos, qui in vineâ domini pro statu præsentis inæqualiter laborarunt vel quoad diurnitatem temporis, vel quoad operum multitudinem, vel aliâ ratione. Hæc tamen gloriæ æqualitas per denarium parabola significata, aut tantum est gloriæ obiectiua, in qua omnes Beati sunt æquales; quia omniū obiectum est vnus, & idem Deus; non item gloriæ formalis, in qua multi sunt inæquales, vt censet S. Th. 2. 2. q. 5. art. 2. ad 1. & lib. 3. contra Gent. cap. 58. & cum eo alij Scholastici. Aut tantum est gloriæ quoad durationem in omnibus Beatis æternam, non quoad perfectionem visionis inæqualem in multis, vt censent communiter Patres. Ex quibus Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum multo ante finem ait. *Vnus denarius non vnus est præmium, sed vna vita, & vna de gebennâ liberatio*. Et Anselm. in cap. 20. Math. *Ipsa vita æterna pariter erit omnibus æqualis, & vnus denarius omnibus attributus*. Explicatis verò August. tract. 67. in Ioan. circa medium. *Quo utique denario, inquit, vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo vinit: quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura*. Et lib. de sanctâ Virginitate cap. 26. optimo exemplo declarat dicens. *Si enim cælum significaretur illo denario, non ne in Cælo esse omnibus est commune Syderibus? & tamen alia est gloria solis alia luna, alia stellarum. Ita, quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est: quia verò in ipsa vitâ æternâ distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem; ac per hoc in denario quidem non impari non vinit alius alio prolixius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs*. Aut certe, si per denarij æqualitatem omnimoda æqualitas gloriæ Beatorum, qui inæqualiter visi sunt laborasse, significetur, vt satis verisimiliter censeretur potest, sensus erit, multos in die Iudicij fore, qui in vineâ Domini aut diuturnius, aut extensius visi sunt laborasse, quàm alij: quia tamen hi abundantiori gratiâ præuerti breuiori tempore, aut etiam paucioribus operibus intensius, feruentiusque patris quoad meritorum valorem aut æquales illis, aut præstantiores euaserunt; aut æquali subinde gloriâ, aut præstantiori, quàm illi, donati sunt.

Adde, factâ comparatione inter veteris, & noui Testamenti Saluandos, ad quam potissimum respexit fortasse parabola, multos illorum haud dubie fore, qui multos horum superantes quoad merita ex opere operantis, aut æqualem cum his gloriam, aut etiam minorem sunt adepturi; quia gratia habitualis ab his per nouæ legis Sacramenta, quibus illi caruerunt, ex opere operato acquisita vnâ cum eorum meritis, etsi paucioribus, æquali eos, aut etiam maiori gloriâ dignos efficiet. Ex quibus omnibus apparet, nihil aduersum veritati catholicæ in propositione statuta ex operariorum vineæ parabola deduci posse. Quomodo autem contra eam nihil aliunde, quod sit momenti, possit opponi, ex dicendis in sequentibus apparebit.

Pro.

## Propositio 2.

14 Non omnes videntes Deum sunt inaequaliter beati. Proindeque neque omnes habent inaequales quoad perfectionem visiones beatificas. Sed multi aequales.

Hac propositio certa est apud omnes Theologos, excepto fortasse Paludano, & innominatis commemoratis n. 4. Quia certum imprimis est, omnes paruulos cum sola gratia baptismali, cui gloria proportionem respondet, ex hac vita decedentes aequaliter beatos esse: quia talis gratia in omnibus aequalis est. Ut supponit August. tract. 6. in Ioan. ante medium dicens. *Quare ergo si vnus ab illo verbi gratia in isto sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentia, inferioris vitae; vnus tamen, & par, & aequale est, quod acciperunt; nisi, quia hic est, qui baptizatur.* Et docent communiter Theologi in tract. de Baptismo. Vbi ad rem plura. Deinde est certum, esse possibile etiam moraliter, vt aliqui adulti cum aequali gratia habituali vndeunque partem decedant, aequalemque subinde gloriam fortiantur. Quo posito, aliquos tales esse de facto in tanto Beatorum numero, valde credibile, imo moraliter certum esse videtur.

15 Et haec quidem, quod attinet ad beatitudinem essentialem, atque etiam accidentalem essentiali proportionatam, sine controuersia evidetur. Ego vero censeo contra Recapitulum, vera itidem esse quoad beatitudinem accidentalem integram, atque adeo eam etiam partem comprehendentem, quae vnicuique ratione peculiaris status confertur. Quia, vt constat ex doctrina data disp. praeced. q. 4. proposit. 14. integra beatitudo accidentaliter proportionatur essentiali in quouis Beato; atque ita nequeunt non esse quoad integram beatitudinem accidentalem aut aequales, aut inaequales inter se, qui quoad essentialialem tales sunt.

16 Stat itaque ex dictis, tam quoad beatitudinem essentialiam, quoad perfectionemque subinde visionis beatificae, quam quoad integram accidentalem aliquos Beatos inter se inaequales, & aliquos inter se aequales esse. Restat examinandum modo, vnde in illis huiusmodi inaequalitas, aut aequalitas ortum ducat. Quod vt distinctius fiat, quaestiones aliquot oportet praemittere, vt sequitur,

## QVÆSTIO II.

*Vtrum omnes omnium Beatorum visiones beatificae sint inter se comparatae eiusdem speciei.*

17 Negant cum Maiore Heric. 1. p. disp. 49. cap. 3. & 4. Arriag. disp. 12. Quiros disp. 29. sect. 3. Vvadingus de Incarnat. disp. 6. dub. 3. Ripalda disp. 36. de Ente supern. sect. 3. Ouedo 1. 2. tract. 1. contr. 4. punct. 2. & alij Recentiores. Qui censent, visiones representantes simul cum Deo creaturas specie diuersas eo ipso esse specie diuersas. Necnon visiones respicientes intellectus specie diuersos, vt sunt visiones Angelorum tum inter se, tum cum visionibus hominum compa-

ratae. Addunt tamen plerique, omnes visiones theologicè consideratae sub conceptu videlicet beatitudinis essentialis, quae non habent quatenus representantes Deum, eiusdem speciei esse dicendas: quantumuis sint diuersae physice, seu metaphysicè consideratae. Quo sensu interpretantur Doctores stantes pro sententia opposita communissima. Qui tamen absolute, & abique limitatione tenent, omnes visiones beatificas esse eiusdem speciei. Ita Molin. 1. p. q. 12. art. 6. disp. 5. Zumel dub. vlt. Vazq. disp. 47. cap. 5. Soar. lib. 2. cap. 19. Fafol. dub. 2. Amic. disp. 9. sect. 15. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 9. Valen. disp. 1. q. 5. punct. 3. Medin. q. 5. art. 4. Henr. lib. vlt. de Fine homin. cap. 10. cum S. Tho. & alijs Thomistis, Scot. & Scotistis ab eis relatis, ceterisque communiter. Imo Soar. Salas, Fafol. & alij putant, visiones beatificas specie diuersas omnino impossibiles esse.

## Propositio 1.

De facto omnes visiones beatificae quoad suam intrinsecam entitatem non solum theologicè, seu quoad conceptum beatitudinis essentialis praecise, sed simpliciter, & absolute sunt eiusdem speciei.

Ita sine dubio, praeter paucos Recentiores principio cum Maiore relatos, sentiunt omnes Theologi, dum absolute, & simpliciter docent, omnes visiones beatificas esse eiusdem speciei. Malèque hi proinde exponuntur ab illis, quasi loquuti de sola identitate specifica visionum quoad praedicatum beatitudinis essentialis, in quo illi conueniant. Perperam quippe pronunciant Theologi absolute, & sine limitatione, omnes visiones beatificas esse eiusdem speciei propter conuenientiam earum in praedico beatitudinis essentialis, si sentirent earum aliquas ab alijs praedicatis habere, esse specie diuersas. Sicut perperam pronunciant absolute, & simpliciter, hominem, & leonem esse eiusdem speciei propter conuenientiam, quam habent in praedico animalis, sentientes planè, esse absolute, & simpliciter specie diuersos à differentijs rationalis, & rugibilis, quas insuper habent. Itaque propositio nostra omnium Theologorum esse videtur, si paucos praedictos excipias.

19 Probanda autem inde venit. Quia, vt constat ex generali doctrina tradita à nobis in Pharo Scient. disp. 16. q. 4. visiones non euadunt dissimiles, proindeque nec specie diuersae quoad suam intrinsecam entitatem ex eo, quod sint terminatae ad obiecta specie diuersa, vt sunt quae simul cum Deo representant creaturas diuersas specie; neque ex eo, quod sint relatae ad intellectus specie diuersos, vt sunt visiones Angelorum tum inter se, tum cum visionibus hominum comparatae. Aliundeque visiones, quae dantur de facto, ex modo tendendi, siue respiciendi aut sua obiecta, aut sua subiecta, siue principia non sunt dissimiles, proindeque neque diuersae specificè: quia talis dissimilitudinis nullum vel lenè extat indicium; omniaque praedicata, quae in illis intrinseca nominibus, similia sunt, nimirum, esse cognitiones Dei in se, & creaturarum in Deo, intuitiuas, iudicauas, claras, certas, &c. Ergo visiones omnes, quae dantur de facto, eiusdem speciei censendae sunt esse simpliciter, & absolute.

Dein.



Deinde etiam probatur propositio ab absurdo. Quia, si ab intellectibus, aut ab obiectis dissimilibus euaderent visiones dissimiles, etiam ab intellectibus, aut ab obiectis inæqualibus euaderent visiones inæquales, ut est notissimum. Inde autem fieret, ut habentes æqualia merita sæpe haberent inæqualem visionem, atque adeo etiam inæqualem gloriam; quia sæpe citra dubium habent intellectus inæquales, aut etiam obiecta secundaria inæqualia. Quod tamen erroneum est: cum sit certum secundum fidem, præmium gloriæ meritis commensurandum esse. Quam malè autem Aduersarij ab hoc argumento se expediant q. sequente constabit. Quæ autem ab ipsis contra nostram propositionem opponi possunt q. illà 4. Phari citatà satis superque in vniuersum diluta sunt.

Propositio 2.

31 Possibiles sunt visiones beatificæ quoad suam intrinsecam entitatem dissimiles, atque adeo diuersæ specificè.

Possunt enim tales esse ex intrinseco modo tendendi in sua obiecta, quidquid sit de extrinsecà identitate, aut diuersitate specificà ipsorum obiectorum; à quibus non specificantur intrinsecè iuxta dicta propositione 1. ex dictis latius in illà q. 4. Phari citatà. Possibiles quippe sunt citra dubium duæ visiones, quarum alterà videatur in se ipsis, atque adeo concomitanter, & æquè primò Deus, & Petrus, alterà verò videatur Deus in se, & primariò, Petrus verò in Deo, & secundariò: quæ quidem diuersum modum tendendi habebunt in sua obiecta adæquata; diuersæque proinde intrinsecè, atque specificè erunt. Possibilis etiam est sine dubio visio affirmatiua Dei, quæ nullius obiecti distincti à Deo sit negatiua, quæ quidem à visionibus, quæ dantur de facto, & aliquorum obiectorum sunt citra dubium negatiuæ, (eo quòd Beati omnes non solum aliquas positiuas, sed etiam aliquas negatiuas veritates, utpote ad ipsos pertinentes, vident in Deo iuxta dicta supra disp. 20. q. 4. proposit. 15. dicendaque infra q. 6. n. 65.), ex modo tendendi est specificè diuersa: cum omne iudicium negatiuum, & affirmatiuum ex diuerso modo tendendi, recessiuo scilicet, & ad hæsiuo, discriminentur iuxta doctrinam statutam etiam in Pharo disp. 2. q. 4. Pariterque aliæ visiones beatificæ possibiles excogitari poterunt, quæ aliter sint diuersæ specificè ex modis tendendi diuersis.

QVAESTIO III.

*Vtrum ex intellectibus perfectione inæqualibus visiones beatificæ debeant euadere inæquales, quando cætera, quæ ad eas concurrunt, æqualia sunt.*

22 Affirmant Molin. 1. p. q. 12. art. 6. disp. 2. Heric. disp. 49. cap. 4. Alarc. tract. 1. disp. 3. cap. 6. Egid. Luit. lib. 12. de Beat. q. 11. art. 3. Lessius lib. 2. de Summo bono n. 57. Scotistæ cum scoto apud Smising. de Deo vno disp. 6. q. 6. & plures

alij ex antiquioribus relati ab eis, & à Ripald. disp. 37. de Ente supernat. sect. 1. Quibus ex parte consentiunt ipse Ripald. sect. 2. & seqq. Oued. 1. 2. tract. 1. contr. 4. punct. 2. Quiros tom. 1. de Deo disp. 29. sec. 2. quatenus censent, ex inæqualitate intellectuum, cæteris paribus, inæqualitatem visionum oriri posse, non tamen oriri necessariò, atque adeo nec de facto in Beatiss. Opposita tamen sententia communior est. Quam tenent S. Th. 1. p. q. 12. art. 6. & lib. 3. contra Gent. cap. 58. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 21. Vazq. 1. p. disp. 47. cap. 6. Arrub. disp. 22. Fasol. q. 12. art. 3. dub. 3. Valent. punct. 4. Gran. contr. 1. disp. 8. Gonzal. disp. 29. sect. 2. Zumel. disp. 1. Becan. tract. 1. cap. 9. q. 10. Derkennis disp. 7. cap. 8. Tann. disp. 1. q. 4. dub. 1. Amic. disp. 9. sect. 16. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 7. Henr. lib. vlt. c. 10. Et alij plures tum apud ipsos, tum apud Ripal. & alios pro primà sententià relatos. Quibus adde Mœratiuum, Recupitum, Machin, Iosephum Augustinum, & Petr. Huit. apud Quiros supra. Itaque hi omnes censent, inæqualitatem intellectuum ad inæqualitatem visionum beatificarum nihil conferre, sed dumtaxat inæqualitatem luminum gloriæ, aliorum ve supernaturalium comprincipiorum: atque adeo, quantumuis intellectus sint inæquales, omnino æquales euadere visiones beatificas, quotiescunque lumina gloriæ ipsos intellectus ad tales visiones eleuantia inter se æqualia sunt.

Pro clariore resolutione suppono primò, hic 32 duas quæstiones confundi posse, de factoque confundi ab aliquibus ex Auctoribus primæ sententiæ. Prima est, vtrum visiones ab intellectibus inæqualibus idcirco debeant euadere inæquales; quia respectu intrinseco eos respiciunt, ab iisque propterea specificantur. Qui enim putant, ab intellectibus dissimilibus perinde, atque ab obiectis dissimilibus, debere visiones euadere dissimiles propter respectum intrinsecum, quem habent ad tales intellectus perinde, atque ad talia obiecta, ut vidimus q. 2. consequenter tenere debent, ab intellectibus inæqualibus perinde, atque ab obiectis inæqualibus, debere visiones euadere inæquales propter intrinsecum respectum, quem habent ad tales intellectus perinde, atque ad talia obiecta. Nos verò, qui statuimus ibi, visiones non debere euadere intrinsecè dissimiles ex eo, quòd respiciant intrinsecè aut obiecta dissimilia, aut dissimiles intellectus, ex vniuersaliori doctrinà traditâ in Pharo Scient. disp. 16. quæst. 4. hic pariter ex eadem statuimus, visiones non debere euadere intrinsecè inæquales ex eo, quòd respiciant intrinsecè aut intellectus inæquales, aut obiecta inæqualia. Quare circa quæstionem istam nihil est amplius, quod dicamus, præter ibidem dicta. Altera quæstio impresentiarum examinanda est. An intellectus perfectione inæquales instructi æquali lumine gloriæ virtutem inæqualem habeant causatiuam visionum, visionesque subinde inæquales conaturaliter debeant causare, siue illæ respectum intrinsecum habeant ad tales intellectus, siue secus. Sicut sol, & ignis virtutem habent inæqualem causatiuam caloris, caloresque subinde intensiuè inæquales causant: tametsi calores causati ad illos intrinsecum respectum non habeant.

## Propositio. I.

24 Inæqualitas intellectuum Beatorum nihil confert ad inæqualitatem visionum Dei. Quare ab intellectibus perfectione inæqualibus cum æquali lumine gloriæ visiones perfectione æquales debent euadere.

Hæc propositio imprimis colligitur ex definitione Concilij Florent. adductâ q. 1. proposit. 1. Dum enim in solam meritorum diuersitatem refert Concilium, quod alius Beatus alio perfectius videat Deum, planè supponere videtur, diuersitatem intellectuum, quam non à meritis, sed à naturâ habent Beati, ad id prorsus nihil conferre posse. Deinde colligitur propositio ex definitione Concilij Vniuersalis adductâ disp. 17. q. 8. & disp. 19. q. 2. qua decernit, intellectuum creatum absque eleuatione supernaturali factâ per lumen gloriæ impotem esse ad videndum Deum. Si enim ad Dei visionem eger natura eleuatione sibi indebitâ; utique ad perfectiorem visionem perfectiore eleuatione indebita etiam sibi indigebit: quia, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, vt fert vulgatum axioma. Nequit ergo natura per propriam, atque adeo sibi debitam maiorem perfectionem, ad maiorem perfectionem visionis quidpiam præstare. Quod est, à perfectiore intellectu cum æquali lumine visionem non posse euadere perfectiorem.

25 Hinc sumitur ratio à priori nostræ propositionis; quæ in hunc modum formari potest, & declarari. Visio beatifica supernaturalis est, atque adeo prorsus indebita intellectui creato; ad eamque proinde cauendam aliter, quam per potentiam obedientialem auxilio supernaturali eleuatam intellectus nequit concurrere. Ergo ad æquata virtus causatiua visionis ex entitate intellectus, & ex auxilio supernaturali resultans, cui visio ipsa connaturalis, & debita sit, penes perfectionem dumtaxat auxilij supernaturalis eleuantis merienda est; quidquid sit de magnâ, aut parua, de maioreve, aut de minore perfectione intellectus eleuati; atque adeo penes maiorem, aut minorem perfectionem auxilij eleuantis dumtaxat debet euadere perfectior, aut imperfectior visio causata, siue sit maior, siue minor intellectus eleuati perfectio. Antecedens secundum fidem certum est, vt constat ex locis citatis. Consequentia autem probatur. Quia si ab intellectu perfectiori cum æquali auxilio eleuante perfectior visio nasceretur, talis visio tali intellectui nec supernaturalis, nec prorsus indebita esset quoad eum perfectionis excessum, vt pote debitum, atque adeo connaturale ipsi intellectui, non titulo supernaturalis auxilij, sed titulo propriæ, connaturalisque perfectionis, ad quem proinde ipse intellectus non vt potentia obedientialis supernaturaliter eleuata, sed vt potentia connaturalis concurreret. Quæ sunt absurda contra antecedens ex fide statutum.

26 Confirmatur primò. Quia, si intellectui perfectio vt sex cum lumine vt quatuor debita esset visio perfecta vt sex, cum tamen intellectui perfectio vt quatuor cum lumine vt quatuor sit tantum debita visio perfecta vt quatuor; debitum ad visionem vt sex non in solâ gratiâ lumi-

nis supernaturalis, sed in super, in ipsâ naturâ intellectus perfecti vt sex fundaretur, vt est notissimum. Igitur talis visio tali intellectui secundum naturam considerato non prorsus supernaturalis, & indebita, sed ex parte debita, & connaturalis esset contra dogma fidei statutum. Non igitur intellectui perfectio vt sex cum lumine vt quatuor est debita visio perfecta vt sex, sed dumtaxat perfecta vt quatuor, æquæ, ac intellectui perfectio vt quatuor cum lumine vt quatuor. Cumque eam tantum visionem possit intellectus lumine eleuatus connaturaliter causare, quæ ipsi prout eleuato debita est, Conscitur à perfectiore intellectu cum æquali lumine nequiquam posse connaturaliter nasci visionem perfectiorem, quàm ab intellectu minus perfecto.

Confirmatur secundò. Quia habentibus 27 æqualia merita gratiæ æquale prorsus supernaturale præmium gloriæ debitum est, vt constat ex fide: quantumuis illi sint inæquales quoad perfectionem naturæ. Sed vt comparatur præmium gloriæ ad naturam prout habent merita gratiæ, ita comparatur quiuis effectus supernaturalis ad naturam prout eleuatum ad illum per supernaturale auxilium, siue principium, vt satis ex se est notum. Igitur naturis habentibus æqualia auxilia siue principia eleuantia æqualis effectus supernaturalis est debitus; quantumuis illæ sint inter se perfectione inæquales. Intellectibusque subinde æquale habentibus lumen gloriæ æquales debite sunt visiones beatificæ; quantumuis perfectione inæquales sint illi inter se. Ab intellectibus igitur perfectione inæqualibus, si æquali lumine gloriæ prædicti sint, æquales visiones beatificæ debent nasci connaturaliter. Siquidem sic ab eis nasci dumtaxat possunt, vt nuper dicebam, quæ illis prout instructis lumine debite sunt.

Confirmatur tertio. Quia si alicui titulo 28 maioris perfectionis naturæ daretur maior quantitas gloriæ, quàm meritum eius exigebat, ille utique excessus non daretur vt debitus merito, sed vel vt debitus maiori perfectioni naturæ, vel præter omne debitum. Ergo, si alicui intellectui titulo maioris perfectionis naturalis daretur visio beatifica magis perfecta, quàm eius lumen exigebat, ille utique excessus non daretur vt debitus lumini, sed vel vt debitus maiori perfectioni naturæ, vel præter omne debitum. Alit vt debitus maiori perfectioni naturæ dari non posset; quia iure supernaturalitatis toti naturæ indebitus est. Ergo daretur præter omne debitum. Nequit ergo perfectiori intellectui cum æquali lumine perfectior visio debite, & connaturaliter dari. Quod est, à perfectiore intellectu cum æquali lumine visionem perfectiorem connaturaliter nasci non posse.

Præterea propositio nostrâ probatur ab 29 absurdo. Ex opposito namque fieret, habentes æqualia merita, & inæquales intellectus non obtinere de facto æquales visiones beatificas, atque ita neque esse æqualiter beatos. Quod est contra fidem statuentem vnicuique iuxta mensuram meritorum conferri præmium gloriæ, vt satis constat ex dictis q. 1. Respondent Molin. Vazq. Arrub. supra, & alij, casu, quod habentes merita æqualia habeant intellectus inæquales, fore, vt Deus non conferat illis æquale lumen gloriæ, sed magis intensum habenti intellectum imperfectiorem, habenti autem perfectionem minus intensum, vt tandem visiones omnium euadant æquales.

Sed contra primò; quia lumen gloriæ etiam est præmium respondens meritis, non solum quatenus vile ad visionem, sed etiam quatenus ornatum quoddam Beati reddens illum Dei, formem. Ergo, habentibus æqualia merita lumina inæqualia conferri, dici non potest. Contra secundò; quia etiam habitus charitatis minuendus erit in eo, qui perfectiorem, augendus autem in eo, qui imperfectiorem habet voluntatem; ne inæqualiter ament Deum, & eo fruantur; inæqualiterque proinde beati euadant habentes merita æqualia. Cumque habitus charitatis aut sit indistinctus realiter à gratiâ sanctificantem, aut eius mensuram sequatur; fiet utique, ut sæpe æqualibus meritis inæquale gratiæ sanctificantis respondeat præmium. Quod, præterquam quòd ex se est absurdum, aliunde coherere non potest cum eo, quòd æqualibus meritis respondeat æquale præmium gloriæ. Siquidem iuxta certam Theologiam mensura gloriæ iuxta mensuram gratiæ sanctificantis confertur.

30 Propterea Molin. ad argumentum factum, responderet aliter; habentibus scilicet inæquales intellectus, & merita æqualia conferre quidem Deum æqualia lumina; præbere tamen suum concursum inæqualem, quo, eâ compensatâ inæqualitate, visiones eliciantur æquales. Sed contra primò; quia hoc videtur effugium ex occasione questum ad euadendam difficultatem. Contra secundò; quia maior concursus à Deo exhibitus imperfectiori intellectui vel est indebitus ipsi prout tanto lumine instructo, vel debitus. Si indebitus; duo sequuntur absurda. Primum est; Deum cum tali intellectu miraculosè cooperari per integram æternitatem. Secundum est; Deum per talem concursum ex parte eleuare ipsum ad visionem, ad quam per lumen sufficienter eleuatus non erat, contra Concilium Vienne, absolute definiens, intellectum Beati per lumen eleuari ad videndum Deum, atque adeò loquens citra dubium de sufficiente eleuatione. Si autem debitus; potiore iure debitus erit intellectui perfectiori instructo æquali lumine, qui proinde miraculosè defraudabitur per integram æternitatem eo excessu concursus collato imperfectiori. Quod non minus absurdum est. Præterquam, quòd concursus Dei ad visionem pars præmij meritum est; atque adeò habentibus merita æqualia non debet inæqualis præberi, cæteris paribus; ne tandem integrum præmium æqualium meritum sit inæquale.

31 Aliter denique Heric. Ripal. Alarc. Ouied. Quiros, & alij respondent ad argumentum factum, habentem intellectum perfectiorem cum æquali lumine elicere quidem posse visionem, entitatiuè perfectiorem; quin sit propterea magis beatus, quam habens intellectum minus perfectum, atque adeò etiam visionem minus perfectam entitatiuè: quia visio in ratione beatitudinis non crescit per quoduis perfectionis augmentum, sed per illud tantum, quod ei conuenit, in quantum beatitudo est, scilicet, in quantum est representatio obiecti beatifici. Itaque, inquit, tunc visio facit magis beatum, quando est expressior, clarior, certior, ac demum quauis aliâ ratione perfectior visio, siue representatio Dei; secus, quando aliunde est perfectior entitas; vel quòd perfectioris intellectus est actus, vel aliâ de causâ. Verum contra hanc solutionem etiam est primò; quia, quoties maior perfectio potentie ad maiorem perfectionem cognitionis conducit, ad

maiores utique perfectionem cognitionis, ut est cognitio, expressioque obiecti conducit; ut cernere est in cognitionibus naturalibus, quæ à perfectiore potentia cum æquali specie magis expressæ magis claræ, & magis perspicaces procedunt. Ergo si maior perfectio intellectus Beati ad maiorem perfectionem conducit visionis beatificæ, ad maiorem utique perfectionem eius, in quantum est visio, & expressio Dei, atque adeò in quantum est beatitudo, conducatur, necessarium est. Contra secundò; quia intellectus Angeli non solum in ratione entis, sed etiam in ratione intellectiui est perfectior, quam intellectus hominis. Esse autem perfectius intellectiui, est perfectiorem intellectionem prout talem posse, cæteris paribus, procreare. Quare, si Angelus, & homo æqualibus instruantur speciebus ad videndum obiectum aliquod naturale, expressus, clarius, & perspicacius, atque adeò vndeunque perfectius videbit Angelus, quam homo, ut nemo negabit. Si ergo de Angelo, & homine instructis æquali lumine in ordine ad visionem beatificam pariter est philosophandum, ut Aduersarij philosophantur, dicendum necessariò venit, talem Angelum perfectius vndeunque videre Deum, quam talem hominem; atque adeò beatiorem etiam, quam illum, esse. Contra tertio; quia, si in perfectione expressionis Dei non crescit visio beatifica ab intellectu perfectiori, cæteris paribus, neque est, cur crescat in perfectione alterius cuiusvis prædicati. Siquidem, ut statimus principio quæstionis, nullum prædicatum visionis respiciens talem intellectum est eo titulo perfectius, quam, si respiceret imperfectiorem; alius autem titulus præter eiusmodi respectum non adest, cur aliquod prædicatum visionis præ alijs euadat à tali intellectu perfectius, quam euaderet ab alio, cæteris paribus. Imo verò, quia respectus huius visionis ad hunc intellectum omnia eius prædicata manifestè transcendit: eo quòd illa quoad omnia omnino est huius intellectus præ alijs. Si propter respectum ad hunc intellectum perfectiorem aliquod prædicatum eius esset perfectius, omnia utique perfectiora essent: subindeque vel ex hoc titulo perfectior esset beatitudo, quam visio intellectus imperfectioris, cæteris paribus. Contra denique quartò; quia visio Dei non per formalitatem aliquam à nostrâ ratione præcisam, sed per totam suam physicam entitatem est à parte rei beatitudo. Ergo vndeunque euadat entitatiuè perfectior, euadet perfectior beatitudo. Si ergo ab intellectu perfectiori, cæteris paribus, entitatiuè perfectior euadit, ut Aduersarij consentuntur, euadat perfectior beatitudo, necesse est.

32 Ex quibus omnibus concluditur, necessariò fore, ut habentes æqualia merita, & inæquales intellectus inæquale beatitudinis præmium habeant, si inæqualitas intellectus aliquid confert, cæteris paribus, ad inæqualitatem visionis. Absurdum: quod contra Aduersarios inferebat, & adhuc post omnes eorum solutiones infert argumentum à nobis factum. Quibus subinde satis, superque manet propositio nostra probata.

Propositio 2.

33 Ex inæqualitate intellectu, cæteris paribus ex parte luminis eleuantis, inæqualitatem visionum connaturaliter oriri, impossibile est.

Adijcio hanc propositionem propter Ripald. Oued. & Quiros tenentes oppositum. Ea tamen per argumenta facta pro prima probata iam est. Vitore qua non solum probant, propter intellectuum inaequalitatem in ijs, qui habent merita aequalia, neququam visiones beatificas euadere inaequales de facto; quod Auctores isti fatentur. Sed neque posse connaturaliter tales euadere; quod ipsi negant. Ut perpendenti argumenta ipsa manifeste innotescet. Quare in hac iterum propositione probanda non est, cur speciatim moremur.

34 Hoc ex illa infero contra eosdem Auctores. Nullum actum supernaturalem in vniuersum posse perfectiorem euadere connaturaliter propter maiorem perfectionem potentiae naturalis, a qua oriuntur, quando supernaturale auxilium, sive principium illam eleuans ad talem actum perfectus non est. Argumenta enim facta a nobis pro visione beatifica pro omnibus actibus supernaturalibus, sua seruata proportione, habent eandem vim. Itaque perfectio summa connaturaliter possibilis cuiusvis actus supernaturalis penes perfectionem dumtaxat principij supernaturalis, quidquid sit de perfectione potentiae naturalis, a quibus nascitur, taxanda est. Quare, si actus est necessarius, tantam perfectionem sortietur de facto, quanta supernaturali principio praecise considerato proportionata, atque adeo etiam connaturaliter debita est. Si autem sit liber, perfectionem proportionatam supernaturali principio secundum se considerato nequibit excedere: potest tamen a potentia libera cum minori perfectione nasci de facto; quia supernaturalia principia actuum liberorum quoad suum influxum arbitrio libertatis subdita sunt; atque ita pro maiori, vel minori conatu arbitrario potentiae liberae maiorem, vel minorem actiuitatem praestant in tales actus infra summam, quam valent praestare; perfectioresque subinde, vel imperfectiores simul cum potentia ipsa producant infra summam etiam mensuram perfectionis eorum, ad quam possunt extendi.

35 Verum contra utramque propositionem obijcitur primo. Inaequales intellectus cum aequali specie impressa inaequales cognitiones naturales producant. Ergo inaequales intellectus cum aequali lumine gloriae inaequales visiones Dei producant supernaturales. Concedo antecedente, Nego consequentiam. Discrimen est: quia ad cognitionem naturalem sibi proportionatam habet per se intellectus ius naturale ultra id, quod participat ab specie; ad supernaturalem autem visionem nullum ius per se habet ultra id, quod participat a lumine. Vnde fit, vt perfectior intellectus cum aequali specie perfectiorem sibi vendicat cognitionem naturalem, perfectiorem vero visionem supernaturalem cum aequali lumine non item. Atque inde etiam patet aniuersaliter, cur effectus omnibus, & singulis causis partialibus sui connaturalis eo perfectior euadat, quo quauis earum, ceteris paribus, perfectior est: secus effectus supernaturalis alicui earum, aut aliquibus. Nam hic eo dumtaxat euadit perfectior, quo causa supernaturales perfectiores sunt: quid quid sit de maiore, aut minore perfectione causarum, quibus est supernaturalis.

36 Secundo obijcitur. Perfectiores intellectus cum aequali habitu fidei perfectiores semper actus fidei eliciunt in Via, quam intellectus minus perfecti, vt experientia ipsa videtur notum. Viri

enim ingensosi, & perspicaces, & litteris culti melius intelligunt, & penetrant, explicantque sibi, & alijs mysteria fidei, quam rudiores, & rustici. Ergo perfectiores intellectus cum aequali lumine gloriae perfectiores actus visionis elicient in Patria. Nego antecedens quoad actus fidei supernaturales oriundos ab habitu infuso. Hi enim in habentibus aequales habitus nequeunt euadere inaequales, si eliciantur secundum summam actiuitatem, quam tales habitus praestare valent. Ita enim elicit aequales in perfectione debent semper euadere; quantumuis inaequales sint intellectus, a quibus simul, & ab habitibus eliciuntur. Quia tamen habitus fidei eorum genere sunt, qui arbitrio voluntatis subduntur quoad suum influxum, iuxta doctrinam factam nuper n. 34. saepe continget, vt habentes aequales habitus inaequales actus eliciant pro inaequalitate conatus voluntatis, quem adhibent ad eos eliciendos, infra summam tamen quantitatem perfectionis, ad quam se tales habitus possunt extendere. Euenietque etiam, vt aliquando a perfectiore, & aliquando ab imperfectiore intellectu eorum, qui aequales habitus habent, pro maiori conatu exhibito perfectior actus eliciatur. Ea autem perfectior intelligentia, & explicatio rerum fidei, quam regulariter experimur in hominibus magis ingeniosis, & doctis, non actuum supernaturalium fidei, sed apprehensionum, discernitumque naturalium, qui inter credendum miscetur, effectus est. Qui quidem actus naturales semper in huiusmodi hominibus sunt perfectiores, quam in rudiores, & indoctis; non vero item actus supernaturales fidei. Qui vel experientia etiam deprehenduntur saepe sapius magis perfecti in rudiores, & indoctis hominibus, quam in litteratis, & ingeniosis. Siquidem saepe illi tenacius, firmiterque, quam hi, rebus fidei adherent; quod proprium actus fidei est: tamen illas non ita bene concipiunt, penetrent, & explicent ob rudem, imperfectamque intelligentiam naturalem, quam de illis habent.

Tertio obijcitur, Quo perfectius est instrumentum, ceteris paribus, eo perfectius euadit opus artificiosum. Sed intellectus humanus veluti instrumentum se habet respectu visionis beatificae. Ergo, quo ille, ceteris paribus, perfectior fuerit, eo haec perfectior euadet. Respondeo, opus artificiosum ab instrumento perfectiori, ceteris paribus, perfectius euadere; addere etiam, si placet, & opus naturale ab instrumento naturali: quia haec instrumenta vel peculiariter, & sibi proprium influxum exercent in effectum, praeter influxum principalis agentis, vel licet exerceant eundem, virtute naturali operantur, naturaleque subinde ius proprium habent, vt eo perfectior prodeat effectus, quo ipsa sunt perfectiora, ceteris paribus. Intellectus vero respectu visionis beatificae vt summum dici potest instrumentum obedientiale; quod nullum ius proprium ad perfectionem effectus habet, praeter id, quod a principio se eleuante participat: proindeque perfectio effectus perfectioni talis principij dumtaxat debet commensurari: quidquid sit de maiore, vel de minore ipsius instrumenti perfectione, vt satis ex dictis notum est. Ex quibus etiam quisque dilucet caetera, si qua opposita fuerint, contra nostras propositiones.

QVÆSTIO IV.

*Vnde proveniat in Beatis æqualitas, aut inæqualitas visionis beatificæ; atque adeo beatitudinis eorum.*

38 **R**esolutio huius quæstionis ex dictis in præcedentibus ferme iam constat. Imprimis enim ex dictis q. 1. est certum, æqualitatem, aut inæqualitatem beatitudinis tanquam ex causâ morali, & magis remota provenire in Beatis ex æqualitate, aut inæqualitate meritum, aut certè ex æqualitate, aut inæqualitate gratiæ sanctificantis, cum qua decedunt; siue ea per opera meritoria, siue per sacramenta, siue aliter ab illis sit in statu Viæ acquisita. Quod dogma catholicum est. Deinde ex dictis q. 2. & 3. constat, æqualitatem visionis beatificæ, & consequenter beatitudinis tanquam ex causâ efficiente proximâ provenire in Beatis ex æqualitate, aut inæqualitate solius luminis gloriæ elevantis intellectus eorum ad Deum videndum; quidquid sit de æqualitate, aut inæqualitate, de identitate, aut diversitate specificâ intellectuum ipsorum. Præterea ex dictis disp. 20. q. 1. & 2. constat, Beatos ex parte obiecti primarij suæ visionis, totalisquæ suæ beatitudinis essentialis prout distinctæ ab accidentali, quod est entitas Dei, nullam inæqualitatem fortiri: quia omnes vident unam, & eandem, & totam entitatem divinam, ut sub initium etiam q. 1. huius disp. notavimus. Imo neque ab obiectis secundarijs suæ visionis ad suam beatitudinem accidentalem pertinentibus ullam eos inæqualitatem fortiri, ex dictis dicta disp. 20. q. 4. proposit. 14. constat. Quare, totam inæqualitatem beatitudinis in Beatis ad inæqualitatem perfectionis intrinsecæ visionum beatificarum eorum reduci tandem, liquidum est. Quam subinde perfectionem qui æqualem habuerint, simpliciter, & absolutè erunt in beatitudine æquales. Possè autem visiones ex præciso modo tendendi in idem penitus obiectum esse perfectione inæquales, quin vlla earum quidpiam talis obiecti tangant, aut detegat, quod non tangant, aut detegant reliquæ, indubitabile sanè est apud plerisque; etsi nonnulli contradicere videantur. Quis enim dubitet, idem omnino obiectum per unam cognitionem expressius, & clarius, aut etiam aliter perfectius, quam per aliam, posse cognosci? Vnde postremò constat, æqualitatem, aut inæqualitatem beatitudinis tanquam ex causâ formali provenire in Beatis ex ipsâ visionum beatificarum inæqualitate quoad perfectionem, quoad claritatem, seu expressionem obiecti visi realiter ab eis indistinctam.

39 Quod vertunt hic aliqui in dubium, est, an esse unam visionem beatificam magis, aut minus claram, siue expressam, atque adeo magis, aut minus perfectam, quam aliam, sit, esse eam magis, aut minus intensam, siue plures, aut pauciores partes, siue gradus intentionis habentem; vel potius sit, eam à peculiari suâ, indivisibilique naturâ talem ab aliâ differentiam, seu diversitatem habere. Hoc secundum assunt Recupit. lib. 6. de Deo q. 27. Quirous tom. 1. in comm. art. 8. q. 12. S. Th. n. 79. Derkennis disp. 7. de

Deo cap. 9. n. 72. & alij Recentiores contra sententiam communissimam Antiquiorum tenentem primum, ut videre est apud Fasol. 1. p. q. 12. art. 6. dubit. 2. plurimos referentem pro illâ, idemque censetur communiter in utraq; sententiâ de cæteris actibus intellectus, aut etiam voluntatis. Inter affirmantes autem secundum nonnulli dicunt diversitatem magis, aut minus claræ, siue perfectæ in visionibus, alijsque intellectioibus non posse non esse specificam absolutè, & simpliciter.

Ego verò contra hos censeo primò, dato, quòd inæqualitas quoad claritatem, siue quoad quamvis perfectionem in actibus intellectus, aut etiam voluntatis non sit physica, penes maiorem scilicet, aut minorem multitudinem partium, intensiois eorum, sed metaphysica dumtaxat, siue æquivalens, utpote reperta inter extrema expertia partium, siue indivisibilia, iuxta dicta de quantitate metaphysicâ rerum supra disp. 10. adhuc necessarium non esse, quòd extrema ita inæqualia sint inter se absolutè, & simpliciter specie diversâ. Nam, ut in eadem disp. 10. & antea in Pharo Scient. disp. 16. statuimus, benè possunt esse inæqualia extrema, quæ non sunt dissimilia, ut in duobus circulis, aut quadratis, aut triangulis prorsus similibus, & inæqualibus cerne licet. Ea autem dumtaxat sunt simpliciter, & absolutè specie diversa, quæ inter se dissimilia sunt, ut ex dictis in eadem Pharo disp. 17. liquidum est. Non ergo est necesse, quòd actus intellectus, aut etiam voluntatis inter se perfectione inæquales sint inter se specie diversi absolutè, & simpliciter; dato etiam, quòd eorum inæqualitas non physica, sed metaphysica solùm sit, siue æquivalens.

Deinde censeo cum communi, inæqualitatem visionum Dei quoad claritatem, & expressionem (& idem est de alijs actibus intellectus similibus inter se ex modo tendendi) physicam esse, consistentem scilicet in eo, quòd aliæ ex pluribus, aliæ ex paucioribus partibus intensiois compositæ sint; quemadmodum inæqualitas luminum, calorum, colorum, aliorumque huiusmodi qualitatum physica est eodem modo: (suppono enim ex Philosophiâ contra quosdam Thomistas intensioem accidentium per additionem gradus ad gradum, siue partis ad partem fieri). Etenim, quemadmodum lux eò clarior est, quò intensior, & calor, & color, & cætera huiusmodi qualitates eò sunt intra suam speciem perfectiores, quò sunt intensiores, siue ex pluribus intensiois partibus coalescentes. Ita pariter visiones beatificæ, & aliæ cognitiones eò clariore, quò intensiores, ex pluribus ve partibus intensiois coalescentes censendæ sunt. Non enim est, cur de his accidentibus titulo actuum vitalium, aut etiam expressionum, siue representationum formalium suorum obiectorum aliter, quod ad rem attinet, philosophemur. Maximè, cum visiones, & aliæ sensationes corporeæ, quæ tales etiam sunt, eò perfectiores auadant, ut experientiâ noscimus, quò ab intensioribus speciebus, cæteris partibus, procreantur; eoque proinde perfectiores asserendæ sint proculdubio, quò sunt etiam in se intensiores, prout ex doctrinâ sensuum traditâ etiam in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. facillè potest quisque colligere. Et quidem lumen gloriæ, quemadmodum habitum gratiæ, & cæteros habitus infusos ex partibus intensiois constare, eoque proinde esse Beatorum lumina perfectiora, siue maiora, quò

quò sunt intensiora, seu plures partes intensio- nis habentia, communis, & certa sententia Theo- logorum est. Cur ergo visio beatifica, pro qua causanda datur lumen, ex partibus itidem inten- sionis non erit pariter composita?

42 Dices cum Derkennis. Quia visio est re- presentatio obiecti, quæ non à pluralitate par- tium, sed à peculiari modo representandi illud euadit melior, vt in imagine materiali cernere est: non enim melius representatur Cæsar per suam picturam ex eò, quòd huic plures partes intensiois addantur, aut plures pictura eiusdem Cæsaris in eodem loco penetrant. Non tamen bene. Quia representatio imaginis materialis obiectiua est, consistensque in eius similitudine physica cum suo prototypo, quæ non semper maior fit, siue exactior per additionem intensio- nis. At verò representatio visionis, & cuiusvis actus cognitionis est formalis, & instar cuiusdam potentis lucis aperientis, siue manifestantis obiectum potentis cognoscitiuæ concipienda est, quæ, vt in luce euenit materiali, eò clariùs manifestabit, quò fuerit intensior.

43 Dices rursus cum Quirós. Dux cognitio- nes eiusdem obiecti non clariùs, meliùsque noti- ficant illud, quam vna sola. Ergo neque dux, vel plures partes intensiois eiusdem. Nego antece- dens. Quia habens aliunde notitiã de aliquo obie- cto meliùs illud cognoscit si tali notitiã accedat si- des de eodem, aut vice versã, vt constat experien- tiã. Aqua potius confirmatur sententia nostra.

44 Dices denique, Maior claritas scientiæ diuinæ non consistit in maiore intentione par- tium. Ergo neque maior claritas cognitionis creatæ. Nego consequentiam. Quia neque maior sanctitas Dei consistit in maiore intentione partium, vel maior sanctitas creaturæ. In Deo quippe omnis perfectio est indiuisibilis; cum ta- men multe in creaturis sint diuisibiles, vt est cer- tissimum. Fortasse est etiam possibilis cognitio creatæ clara indiuisibilis quoad intentionem ad in- star diuinæ. Sed, cum diuisibilis etiam possibi- lis sit iuxta dicta, tales censendæ sunt, quæ dan- tur defacto à paritate saltem aliorum accidentium similium, de quibus constat, talia esse,

#### QVÆSTIO V.

*Verum visio beatifica perpetua sit. Et qua ratione.*

45 **S**uppono primo tanquam certum secundum fi- dem, beatitudinem Iustorum in Patria per- petuam, siue æternam fore. Id enim passim Scripturæ sacræ contestantur, vt Psal. 36. *Et heri- ditas eorum in æternum erit.* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuunt: & apud Dominum est merces eorum.* Math. 25. *Ibunt in supplicium æternum.* *Iusti autem in vitam æternam.* 2. Corint. 4. *Æter- num gloriæ pondus operatur in nobis.* Ad Gal. 6. *De Spiritu metet vitam æternam.* 1. Petr. 5. *Qui vocauit nos in æternam suam gloriam, &c.* 1. Ioan. 2. *Et hæc est promissio, quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.* Et aliàs sæpissimè. Et tradunt omnes Patres etiam passim. Omnesque Theologi cum Magist. in 4. dist. 19. & S. Th. 1. 2. q. 5. art. 4.

46 Suppono secundò, dissidium inter Theolo- gos esse, an perpetuitas de essentiã beatitudinis sit. Negant Montef. 1. 2. disp. 7. q. 2. Gran. tract.

3. disp. 3. sect. 1. & alij. Affirmant Soar. 1. 2. disp. 14. sect. 3. Vazq. disp. 21. cap. 2. Gasp. Hurt. disp. 2. diff. 14. Onied. tract. 1. contr. 3. Curiel. Salas, & alij interpretes S. Th. q. 5. art. 4. citato. Sed controuersia hæc, vt quibusdam placet, fere est de modo loquendi. An scilicet ea operatio, in qua consistere dicitur beatitudo, nomen beati- tudinis recipitur, non solum, quando in æternum est duratura, sed etiam, quando aliquando finienda est. Affirmat prima sententia. Secunda verò longè communior negat. Et merito. Pri- mò; quia, vt ait Arist. lib. 1. Ethic. cap. 2. *Per nec vna facit irundo, nec vnus dies: & beatum homi- nem eodem modo nec vnus dies, nec breue vllum efficit tempus.* Omne autem tempus est breue com- paratione æternitatis. Secundò; quia beatitudo communi omnium conceptione id bonum est, quod, quantum est ex se, & appetitum satiare, & omnem anxietatem habentis illud depellere, siue impedire valet. Tale autem non est bonum, quantumuis magnum, aliquando finiendum; vt pote quod neque appetitus semper fruendi se est satiatuum, neque impedituum anxij timoris se aliquando amittendi. Tertio; quia beati- tudo formalis in possessione, aut etiam fruitione, stat summi boni: non censetur autem summum bonum comparatione possidentis, quod tantum ad tempus possidetur; quandoquidem maius esset bonum illius, possidere in æternum. Sed dicunt Aduersarij. Visio Dei beatificans hodie eadem esset, eodemque modo afficeret habentem illam, eodemque modo possideretur ab illo hodie, etsi esset aliquando finienda. Ergo etiam casu, quòd esset finienda, beatificaret illum hodie. Consequentia videtur bona. Quia vi- dens Deum per id solum bonum, quod hodie ha- bet, efficitur hodie beatus, non item per id, quod non habet. Sed id totum quod hodie habet, habe- ret hodie eodem modo, etsi esset cessatura eius visio. Ergo. Didinguo primum antecedens. Visio Dei beatificans hodie eadem esset, &c. phy- sicè; concedo. Veluti moraliter; nego. Et ne- go primam consequentiam. Distinctaque pariter probatione eius; nego etiam secundam. Itaque visio Dei, etsi physicè sit eadem, eodemque mo- do se habens hodie, siue sit semper duratura, siue sit finienda aliquando; veluti moraliter ta- men est diuersa, diuersoque modo se habens pro diuersitate horum casuum: quia visio duratura semper ab eã extrinsecã denominatione æternæ suæ durationis euadit quasi moraliter hodie bo- num longè præstantius, & longè magis estimabile, atque adeò aliter amabile, quàm, si ali- quando finienda esset. Quo fit, vt quando in æternum est duratura, sit beatitudo; qualis non- esset, si esset aliquando finienda.

Suppono terciò tanquam certum, Beatos 47 de facto clarè cognoscere suæ beatitudinis, atque adeò suæ visionis beatificæ perpetuitatem. Ita enim docet August. tom. 3. in Enchiridio cap. 29. dicens, *Placuit Vniuersitatis Creatori, vt multitu- do Angelorum, quæ cum Deo præexistat, de sua certissimè cognita semper felicitate futura gauderet.* Et tom. 5. lib. 11. de Ciuit. cap. 32. *Angelos, in- quit, sanctos in sublimibus Cali sedibus de sua ju- perna, & verã felicitate securos, & certos esse, ne- mo ambigat.* Et Cyprian. lib. de moralitate sine ait, *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum frequens nos, & copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate secuta, & ad huc de nostra salute sollicita.* Constatque ex certâ Theo-

Theologorum omnium doctrinâ statuta à nobis disp. 20. q. 4. proposit. 3. qua asseritur, Beatos, quæcunque ad se, ad suumque statum pertinent, intuitivè videre. Nihil autem magis ad Beatos, ad eorumque statum pertinet, quam ipsorum beatitudinis, atque adeò visionis beatificæ perpetuitas, ut est notissimum.

48 Dissidium autem est inter Theologos, an cognitio de perpetuitate visionis beatificæ spectet ad conceptum, siue ad essentiam beatitudinis, Negabunt imprimis, qui negant, ipsam visionis perpetuitatem ad essentiam beatitudinis pertinere. Ex alijs verò negant etiam Vazq. 1. 2. disp. 2. 1. c. 3. Soar. disp. 14. sect. ult. Cardin. Palavic. disp. 2. de actib. q. 2. art. 9. & alij. Affirmant tamen Less. lib. 3. de Summo bono c. 9. n. 110. & 111. Arriag. tom. 2. disp. 48. sect. 5. Amic. to. 3. disp. 2. sect. 9. Requies. lib. 1. disp. 3. sect. 7. Derkennis de Deo disp. 7. c. 9. n. 81. Esparza q. 3. de actibus hum. art. 9. & alij. Quibus ego subscribo sequutus S. Th. lib. 3. contra Gent. cap. 62. & 2. 2. q. 18. art. 3. Vbi ait. *Requiritur ad veram beatitudinem, ut aliquis certus sit de sua beatitudinis perpetuitate: alioquin voluntas non quietaretur.* Etenim perpetuitas visionis Dei aliter, quàm mediâ sui cognitione, eâque omnino certâ, satiare nequit appetitum Beati, eumque securum, & quietum reddere, omni penitus anxietate, timoreque tantum bonum amittendi depulsis. Spectat autem ad beatitudinis conceptum, hæc omnia, perse immediatè, ac veluti in genere causæ formalis præstare posse, de factoque subinde connaturaliter præstare, nullum secum in mente Beati metum, nullam anxietatem, nullam inquietudinem, nullum mororem compatiendo; nisi fortasse diuinitus aliquando impediatur. Ex quo patet, in ipso conceptu beatitudinis cognitionem omnino certam includi de ipsius perpetuitate. De quibus omnibus plura dicenda in tract. de Beatitudine.

49 Quoniam autem communi Theologorum consensu conceptus beatitudinis essentialis, de qua sermo est, ex solis actibus Beati, qui circa Deum summum bonum versantur, constare potest, quicunque censent, ad talem conceptum pertinere notitiam prorsus certam de ipsius beatitudinis perpetuitate, consequenter censent, eiusmodi notitiam ab ipsâ visione Dei distinctam, non esse; sed per eandem prorsus visionem, qua Beatus videt Deum, videre quoque suæ beatitudinis perpetuitatem. Id quod aliunde etiam venit probandum ex doctrinâ tradita à nobis supra disp. 20. q. 4. Ibi enim statuitur, quæcunque obiecta distincta à Deo videntur intuitivè à Beatis titulo suæ beatitudinis, per ipsam visionem, beatificam in Verbo videri. Constat autem huiusmodi obiectorum potissimum ipsius beatitudinis, ipsiusque proinde visionis perpetuitatem, seu durationem æternam esse.

50 Restat tamen adhuc examinandum, quomodo fieri possit, ut per ipsam visionem beatificam ipsius visionis perpetuitas, siue duratio æterna videri possit. Cum enim visio beatificæ titulo intuitionis clarissima, & supernaturalis omnium suorum obiectorum essentialiter vera sit, atque adeò metaphysicè, siue essentialiter connexa cum ipsis suis obiectis, ut apud omnes est confessò; si suam perpetuitatem, siue durationem æternam haberet pro obiecto, eo ipso semel producta essentialiter esset indestruibilis, siue incorruptibilis; Deusque subinde adhuc de potentia absoluta non posset illam per totam æternitatem destruere, siue corrumpere; ut non posset illam adhuc de potentia abso-

luta falsificare. Quod tamen videtur absurdum. Quia creatura suapte essentiâ indiuisibilis à Deo, ipsiusque subinde dominio quoad destructionem sui non subiecta chymærica prorsus esse videtur.

51 Nonnulli ex præcæcitatis Auctoribus non grauantur concedere, esse possibilem creaturam, quæ semel à Deo producta indestruibilis sit essentialiter titulo connexionis sui essentialis cum suâ æternâ duratione; talemque proinde censent esse visionem beatificam de facto; utpote quæ ex vnâ parte pro obiecto habet præter Deum æternam durationem sui; ex aliâ verò essentialiter vera, essentialiterque proinde connexa cum omni suo obiecto est. Ita sentiunt Arriag. Amic. & Esparza vbi supra. Consentuntque Ouied. 1. 2. tract. 1. contr. 3. punct. 3. & alij Recentiores. Ego vero sententiam hanc reiici supra disp. 8. q. 3. à n. 58. vniuersaliter ostendens ex communi sententiâ Patrum, & Theologorum esse, impossibilem creaturam, quæ semel producta titulo aliquo per tempus vltimum diuisibile, nedum infinitum, siue æternum, essentialiter durans, à Deoque subinde interim indestruibilis, siue incorruptibilis esset. Recognoscantur ibi dicta; quibus ad rem non opus est addere quicquam.

52 Propterea ab alijs Recentioribus varij excogitati sunt modi, quibus componantur hæc tria. Primum, quòd per ipsam visionem beatificam Beatus reddatur conscius, & prorsus certus, atque securus de æternitate suæ beatitudinis. Secundum, quòd visio ipsa beatificæ essentialiter vera, essentialiterque subinde connexa cum omni suo obiecto sit. Tertium, quòd nulla sit nihilominus creatura essentialiter incorruptibilis semel producta; sed quælibet post primum suæ existentia instans in quolibet alio ex sequentibus possit destitui, siue corrumpi à Deo.

53 Primum modus indicatus ab Esparzâ vbi supra, & ab alijs traditus est, si per visionem beatificam certissimè cognoscat Beatus, se in æternum beandum non ipsâ eadem visione determinatè, sed aliquâ vage. Hoc namque ex vnâ parte sufficit, ut Beatus sit prorsus securus de suâ æternâ beatitudine, ex aliâ verò non exposcit, quòd per hanc determinatam visionem in æternum beatur, sed tantum, quòd beatur per hanc, vel per quamlibet aliam. Quo locus superest, ut tam hæc, quàm quælibet alia, non obstante suâ essentiali veritate, maneat à Deo corruptibilis pro quolibet temporis instante ultra primum suæ existentia; subrogatâ tamen pro eodem aliâ simili illi. Non diffiteor, modum hunc simpliciter esse possibile. Existimo tamen non ita euenire de facto. Nam, cum pertineat ad Beatum titulo talia ea omnia videre, quæ ad ipsum spectant, uti reipsa sunt in se, iuxta communem, & certam Theologorum sententiam statutam disp. 20. q. 4. vnumque eorum sit citra dubium æternitas suæ beatitudinis, planè consequitur, Beatum titulo talis ipsam eandem æternitatem beatitudinis, quam est habiturus, debere videre de facto, uti reipsa in se est futura determinatè, (siquidem à parte rei non potest quidpiam esse vagum iuxta dicta in Pharo Scilicet disp. 10. q. 2.), idque in Verbo, & per visionem beatificam, prout etiam in prædicta q. 4. disp. 20. statutum est. De facto igitur Beatus titulo talis videre debet, se in æternum beandum, non solum per aliquam visionem Dei vage, sed etiam per eam ipsam visionem determinatè, per quam reipsa beandus est. Quo reciditur in difficultatem vitandam. Nam si visio vera essentialiter, & in æternum duratura suam determinatam

æternitatem pro obiecto habeat, eo ipso erit essentialiter indestruibilis, ut constat ex superius dictis.

54 **Secundus ergo modus traditus à Quiros tom. 1. de Deo disp. 33. sect. 5. est, si visio beatifica qualitas quædam sit absoluta secundum se, tum ab intellectu Beati, tum ab obiecto; ex qua & ex intellectu Beati aut solis, aut aliâ interpositâ qualitate pariter absoluta coalescat denominatio videntis tum Deum, tum durationem æternam ipsius visionis. Ut sic enim nulla creatura erit in tali complexo non destruibilis à Deo; quia nulla erit connexa essentialiter cum duratione æternâ sui; tametsi denominatio videntis, utpote essentialiter vera, connexa essentialiter sit cum æternâ duratione visionis. Hic tamen modus etiam est reiiciendus primò; quia philosophiam inducit alienam à communi, ponendo denominationem intelligentis semiextrinsecam intellectui Beati, & coalescentem ex entitatibus penitus inconnexis. Secundò potissimum; quia non vitat difficultatem vitandam; quandoquidem denominatio videntis ab ipso complexo indistinctâ indestruibilis essentialiter manet, utpote cum essentiali veritate notificans intellectui Beati suam æternam durationem, prout debet, ut reddat illum securum de ipsius beatitudine. Respondet ad hoc secundum Quiros, impotentiam destruendi dictum complexum nullius absurdi esse; quia est impotentia consequens, utpote oriunda ex suppositione, quòd Deus voluerit eius partes coniungere. Sed contra est, quia eodem prorsus modo est consequens impotentia destruendi quamlibet aliam simplicem creaturam cum æternâ suâ duratione connexam, utpote pariter oriunda ex suppositione, quòd Deus voluerit dare existentiam tali creaturæ; & tamen hanc tanquam absurdam, & impossibilem repudiat Quiros. Etenim prædictum complexum creaturæ quædam complexa est; idemque est prorsus velle Deum coniungere illius partes, ac velle dare illi existentiam, ut constat. Quis autem non videat, impotentiam destruendi creaturam ex suppositione, quòd Deus voluerit dare illi existentiam, æquè antecedentem, aut consequentem, æquè impossibilem, aut possibilem esse; siue talis creatura simplex, siue complexa sit? Cum planè nihil ad rem intersit differentia ista, Videantur dicta ad rem supra loco citato ex disp. 8. q. 3.**

55 **Tertius modus traditus etiam à Quiros disp. 33. citatâ sect. 6. & 7. est, si visio beatifica aut non sit affirmatio in abstracto æternæ durationis suæ, aut non reddat intellectum Beati affirmantem in concreto illam, nisi ingrediente de connotato, siue in obliquo in conceptu talis affirmationis decreto Dei de eadem æternâ duratione. Ita enim fiet, ut non ex suppositione visionis adhuc prout intellectui vnitæ, sed solùm ex suppositione decreti Dei sit necessaria illius æterna duratio; eo quòd solùm est necessaria ex suppositione, quòd per visionem affirmetur; & non affirmatur, nisi ex suppositione decreti intrinsicè constituentis de connotato talem affirmationem. Esse autem necessariam æternam durationem visionis ex suppositione, quòd Deus decreverit, eam in æternum durare, nihil prorsus imminuit libertatem, siue dominium diuinæ voluntatis, ut est manifestum. Huic modo est affinis alius, quem idem Quiros adiungit sect. 8. nempe, si visio beatifica in ratione affirmantis æternam durationem sui per ipsam æternam sui durationem constituatur intrinsicè de connotato. Quænammodum in sententiâ com-**

muni complectente actus Dei per extrinsecam connotata scientia affirmatiua, quam Deus habet de existentia creaturæ, in esse talis constituitur de connotato per ipsam existentiam creaturæ. Itaque namque constitutâ affirmatione visionis, idem erit, æternam durationem eius esse necessariam ex suppositione talis affirmationis, ac, esse necessariam ex suppositione sui. Quo difficultas, quam veramus, penitus cessat, ut est notum.

56 **Ceterum philosophia, quæ hic supponitur, de intellectione creatæ, qualis est visio beatifica, prorsus videtur inaudita, alienaque à cogitatione, nedum à consensu communi. Quis enim hæcenus cogitavit, nedum asseruit, intellectiõnem aliquam creatam per decretum Dei de obiecto suo, aut per obiectum ipsum constitui in esse intellectiõnis iudicatiuæ ipsius obiecti? Certè, siquæ ita constitueretur, denominatio ea esset extrinsecæ, aut summum semiextrinsecæ comparatione intelligentis, ut patet: cum tamen omnis intellectio creatæ quæ talis iuxta sententiam omnium sit actus vitalis, atque adeò immanens in intelligente ipso prorsus intrinsicè. Nec perceptibile videtur, quomodo per decretum Dei, aut per obiectum extrinsecum, & sæpe sæpius nondum existens (vti eueniret in proposito) exercitium, actuale intelligendi intra mentem intelligentis constitui posset. Quare actualis intellectio sic constitutâ haud dubie est censenda impossibilis iuxta conceptum, quem omnes hæcenus formarunt de quidditate actualis intellectiõnis. Iam si qua eiusmodi semel adstrueretur possibilis inter intellectiõnes creatas, omnes asserendæ essent tales: siquidem omnes conueniunt, similesque proinde sunt in conceptu intellectiõnis creatæ. Unde præterea sequeretur, nullam creatam intellectiõnem posse esse falsam: quia nulla posset constitui per suum obiectum, aut per decretum Dei de illo, quando verè non essent; vti deberent verè non esse ad hoc, ut illa falsa esset. Paritas autem intellectiõnum Dei per extrinsecam connotata constitutarum iuxta sententiam Connotantium non iuvat ad propositum, Tum quia vel ob id etiam inter alia multa ea sententia est prorsus falsa, prout videbimus in tractatibus de Scientiâ, & de Voluntate Dei: nam tale genus intellectiõnis etiam in Deo est imperceptibile; impossibileque subinde censendum est. Tum quia, licet in Deo admittatur ob suam infinitudinem, & eminentiam, vti admittuntur alia parum à nobis pro statu præsentis intelligibilia; non statim debet illud admitti in creaturis infinitis infinite distantibus ab eminentiâ Dei. Ex quibus omnibus concluditur, prædictos modos à Quiros ex occasione cogitatos ad euadendam difficultatem, quam circa visionem beatificam in præsentem veramus, neutiquam ad rem idoneos censendos esse.**

57 **Superest igitur, ut quem nos censemus idoneum, exhibeamus. Qui sanè eò minus debet esse suspectus, quò magis independenter à præsentem difficultatè iam dudum in Pharo Scient. statuimus fundamentum, cui nititur. Ibi enim disp. 2. q. 4. consect. 6. & disput. 10. q. 3. proposit. 4. omnem intellectiõnem creatam iudicatiuam (præsertim quando ea est de obiecto prout aliquando existente) tum per alienam, tum etiam per propriam speciem habitam suapte essentia esse alligatam vnico instanti temporis, in quo producit; atque ita, quoties intellectus creatus per tempus aliquod diuisibile perseverat in iudicando aliquod huiusmodi obiectum, necessariò esse tale**



tale iudicium suapte essentia successuum, coalescensque tanquam ex partibus ex totidem iudicijs quasi partialibus, quot sunt instantia, ex quibus pariter coalescit ipsum tempus, ita, ut singulis instantibus singula iudicia quasi partialia realiter inter se distincta respondeant, & vnumquodque eorum per vnicum dumtaxat instans temporis dureret, siue in eo vnico dumtaxat temporis instanti existat, cui suapte essentia alligatum est. Cuius doctrina potissimum fundamentum est; quia obiecta aliquando existentia penes tres status, quos possunt habere, de presenti scilicet, de præterito, & futuro, tres necessariò veritates obiectiuas sortiuntur comparatione intellectus creati, non aliter, quam successu temporis, & ex certis, determinatisque instantibus ab eo verè iudicabiles: in quibus subinde instantibus solis, & non in alijs debent iudicia eius existere ad hoc, ut sint vera. Vnde pro iudicijs essentialiter veris, qualis est visio beatifica, de qua modò agimus, adhuc est certior doctrina ista. Vide illam latè expositam, & demonstratam locis citatis; ne iam actum agamus. Itaque visio, qua Beatus iudicat de presenti, *Deus existit nunc*, puta in instanti presenti A, nec potuit existere ante instans A, nec poterit perseverare post ipsum: quia nequit existere nisi affirmando existere Deum in instante A prout presenti, cum sit id de sua essentia; & nequit aut ante instans A, aut post ipsum affirmare, existere Deum in instanti A prout presenti: quin falsa sit: quod ei repugnat. Siquidem affirmatio de existentia Dei in instanti A prout presenti indirectè saltem est affirmatio de presentia ipsius instantis A: planeque est falsum, affirmare de instante A, quòd presens est, aut antequàm presens sit, aut, postquam præterijt. Similiter visio, qua Beatus iudicat de futuro, *Ex nunc* (puta ex instanti presenti A) *per totam sequentem æternitatem videbo Deum, & ero beatus*, nec potuit existere ante instans A, nec poterit perseverare post ipsum: quia, cum sit per essentiam suam affirmatio de futuritione aternà beatitudinis incipiente ab instanti A prout presenti, & consequenter de ipsà presentia instantis A, existens ante, vel post ipsum necessariò falsa esset: quòd ei repugnat, ut dictum est in priori casu. Concluditur ergo, visionem Dei per quoduis tempus diuisibile seu finitum, seu infinitum duraturam non posse, non esse successiuam, compositamque ex tot visionibus quasi partialibus, quot sunt instantia talis temporis; quarum vnaquæque vnico, & proprio instanti suo per suam essentiam ita sit alligata, ut in eo solo possit existere. Id quòd nobiscum tenent (licet ex diuerso, haud dubie tamen minus solido, fundamento) Card. de Lugo disp. 19. de Incarnat. sect. 1. n. 20. Ignat. Derkennis disp. 7. de Deo cap. 9. n. 69. & alij. Supponimus autem in presenti, quoduis tempus continuum, ex solis instantibus indiuisibilibus constare. Id quòd supra demonstratum reliquimus disp. 8. q. 4. n. 100. & 112. rursusque disp. 10. q. 4. à n. 233.

58 Hoc posito fundamento, iam facile apparet, quomodò Beatus per ipsam visionem beatificam essentialiter veram æternitatem suæ beatitudinis videre possit; quin detur vlla creatura essentialiter indestruibilis. In quorum trium coniunctione itabat difficultas vincenda, & n. 52. proposita. Nempe per vnamquamque visionem partialem & essentialiter veram earum, ex quibus constat integra visio beatifica successiua, & æter-

na, clarissimè videt Beatus tum Deum, tum ipsam eandem visionem partialem, tum cæteras omnes suo ordine futuras, atque etiam præteritas, nullà demptà. Sicque fit, ut per suam integram, & æternam visionem beatificam essentialiter veram totam eandem visionem beatificam videat. Tantumque abest, ut hic interueniat creatura aliqua indestruibilis, ut potius nulla sit, quæ non debeat necessariò destitui ultra primum instans suæ existentia. Quæ omnia, suppositis dieis, satis conspicua sunt.

59 Ex quibus etiam apparet, quomodò per visionem beatificam possint à Beato videri successu temporis aliqua creatura, quæ ab eo non fuerant visæ à principio, prout supra disp. 20. q. 4. proposit. 8. statuimus. Cum enim singulis temporis instantibus visiones partiales corresponderent, nihil est, quòd prohibeat, visiones correspondentes instantibus sequentibus suapte essentia esse visiones, præterquam Dei, aliquarum creaturarum, quarum non fuerunt visiones correspondentes instantibus antecedentibus. Nec est necessarium propterea, quòd sint posteriores diuersæ speciei à prioribus, etiam si obiecta creata posteriorum ab obiectis creatis priorum sint diuersæ speciei: omnesque proinde eiusdem speciei prorsusque similes quoad suas intrinsecas entitates sunt asserendæ; prout constat ex doctrinà statuta q. 2. sunt itidem asserendæ prorsus æquales quoad claritatem, omnemque intrinsecam perfectionem; non solum, quatenus sunt visiones Dei, quo pacto constituunt beatitudinem essentialem, quæ in Beatis successu temporis nec crescit, nec decrescit; sed etiam, quatenus sunt visiones creaturarum, quo pacto constituunt beatitudinem accidentalem; quæ quoad perfectionem etiam intrinsecam essentiali proportionatur. Verum quidem est, à perfectione veluti extrinsecà obiectorum eò meliores, siue æstimabiliiores visiones euadere, quo plurium, & meliorum obiectorum visiones sunt, cæteris paribus. Quo titulo subinde Beatus eò maiorem habebit indies accidentalem beatitudinem, quòd plura, & meliora obiecta creata ipsi successu temporis per ipsam visionem beatificam modo dictò notificentur. Tametsi integra accidentalis beatitudo per totam æternitatem obuentura vnicuique Beato cum ipsius beatitudine essentiali proportionanda sit iuxta ea, quæ dicebamus supra disp. 20. q. 4. proposit. 14.

60 Porro omnes prædictæ visiones partiales, quas vnusquisque Beatus successu temporis est habiturus, tametsi, præterquam Dei, diuersorum obiecterum creaturam sint futuræ visiones, quemadmodum ab eodem intellectu, ita & ab eodem lumine gloriæ ipsi à principio infuso, & inuariabiliter permanens sunt producendæ. Cum enim lumen gloriæ ex parte intellectus se habeat, ad ipsumque eleuandum detur, ut possit connaturaliter causare visionem iuxta dicta disp. 19. q. 3. tale infundetur à principio, quale ex parte suà fuerit sufficiens inuariatus ad causandas omnes visiones ad quas etiam ex parte suà per totam æternitatem concausandas intellectus Beati sufficiens erit: aut certè ad concausandas eas, quas Deus præuiderit ab ipso intellectu per totam æternitatem, concausandas de facto. Diuersitas autem requisita ex parte principiorum adæquatorum visionum diuersarum, siue habentium diuersa obiecta creata ex diuersitate specierum impressarum se habebit, quæ ad illas etiam concausandas dabuntur de facto, iuxta doctrinam etiam datam dicta disp.

disp. 19. q. 8. Quamquam enim, ne per plura fiant, quae fieri possunt per pauciora, species impressa Dei cum lumine gloriae erit de facto identificata iuxta dicta ibi q. 9. aut etiam fortasse eodem titulo species impressa creaturarum, quae simul cum Deo à principio, & per totam aeternitatem à Beato videndae sunt per visionem beatificam: pro creaturis tamen successu temporis videndis oportebit, ut earum species indies infundantur à Deo, quae simul cum alijs principijs concurrant ad hoc, ut connaturaliter causentur visiones partiales, quae, praeterquam Dei, aut etiam aliarum creaturarum antea visatum, earum insuper, quae sunt indies successu temporis videndae, visiones sint.

### QVÆSTIO VI.

*Quenam alia circa passiones visionis intuitivae Dei in presenti disquiri soleant, aut etiam possint.*

61 **Q**uia leniora sunt, quae de passionibus visionis intuitivae Dei restant in presenti tractanda, sub isto vniuersaliore titulo per breues aliquot quaestiones agam de illis.

62 **Q**uæritur enim primò, vtrum visio beatifica sit reflexa supra se ipsam, siue se ipsam notificet intellectui Beati. Negant Petr. Hurt. disp. 5. q. de Incarn. sect. 4. subsect. 5. & sect. 6. subsect. 2. Mart. tom. 1. disp. 20. sect. 1. & disp. 21. sect. 3. Moncaus disp. 2. Theol. cap. 9. & 12. & Veken. disp. 14. de Deo cap. 5. Affirmant verò Sear. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 9. Arriag. & Ribas apud Veken. & alij. Recipit, autem lib. 6. de Deo q. 26. docet, visionem Dei signatè non posse esse reflexam respectu sui, esse tamen exercitè. In qua differentià explicandà latè se extendit. Ego breuiter censo primò, visionem beatificam non posse non per se ipsam præbere intellectui Beati experimentalem notitiam sui, siue illi sese per se ipsam experimentali modo notificare. Id quod commune est omni cognitioni respectu suæ potentiae cognoscitivæ iuxta doctrinam traditam in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. hypoth. 28. Quia tamen, vniuersè loquendo, potentiae cognoscenti minùs clarè solet cognitio isto experimentali modo per se innotescere, quam per ipsam innotescit obiectum, ut constat ex dictis in hypoth. citatà, & seqq. Idcirco censo secundò, visionem beatificam ex suà peculiari natura tam clarè, & perfectè videri à Beato per se, quam per ipsam ab eodem videtur ipsius obiectum. Quia ex vnà parte non est, vnde repugnet cognitio ita sui notificatiua per se; cum talis sit citra omne dubium de factò scientia diuina: ex alià verò parte, qua claritate, & perfectione per visionem vnà cum Deo videntur ceteræ creaturæ ad Beatum spectantes iuxta dicta disp. 20. q. 4. eadem potiore iure debet videri visio ipsa, quae ipsarum creaturarum potissima, aut vnà ex potissimis est: & nequit sic videri per aliam visionem, saltem ut præsens, ne abeat in infinitum; proindeque ut talis per se ipsam sic necessariò videnda est. Itaque iuxta doctrinam nostram q. præced. statutam de necessarià successione visionis beatificæ singulæ visiones partiales singulis instantibus temporis correspondentes, dum præsentis sunt, sese

ut præsentis per se ipsas claritate, ac perfectione prædicta notificant intellectui Beati: (nam si vnàqueque, dum præsens est, per aliam reflexam in eodem instanti præsentem esset notificanda, pro hac requireretur alia in eodem instanti præsens, & pro hac alia, abireturque in infinitum; quod est absurdum). Insuperque singulæ, dum præsentis sunt, ceteras tam præteritas, quam futuras; quo ordine illæ sunt præteritæ, vel futuræ, eidem intellectui eadem claritate notificantur atque ita vnàqueque, dum præsens est, se ipsam ut præsentem quasi reflexè, & ceteras omnes directè ut præteritas, & ut futuras pro obiecto habet.

Secundò quaeritur, vtrum visio beatifica sit complexa, vel incomplexa. Idque triplici sensu. Primò, an sit composita ex partibus intentionis, vel prorsus quoad intentionem simplex, siue indiuisibilis. Et de hoc iam actum est supra q. 4. Secundò, an sit composita ex partibus extensionis aut subiectivæ, aut obiectivæ. Et circa hoc omnes supponere videntur, simplicem & indiuisibilem esse; quod est verissimum. Subiectivè quidem: quia eius subiectum, nempe intellectus aut Angeli, aut animæ humanæ, indiuisibile est. Obiectivè vero: quia, quatenus veritatur circa Deum, obiectum habet indiuisibile, ut constat: ad creaturas autem non se extendit per aliquam partem sui non attingentem Deum; aliàs hæc non esset pars visionis beatificæ; sed per se totam indiuisim est visio Dei, & creaturarum in Deo modis ex postis disp. 20. q. 4. Vnde distinctio ista obiectorum neutiquam facit eam compositam ex partibus obiectivæ extensionis. Tertio, an ita sit complexa, ut formet in obiecto suo propositiones obiectivæ complexas, siue, compositas ex prædicato, & subiecto veluti asserendo, *Deus est bonus*, *Deus est sapiens*, *Deus existit*, &c. quo pacto iudicium humanum complexum, seu complexiuum est pro statu præsentis, prout statutum, & explicatum est à nobis latè in Pharo Scient. disp. 2. q. 4. hypoth. 2. & 3. Circa quoad concors est etiam omnium sententia, visionem beatificam non sic complexam, seu complexiuam esse, utpote quæ citra omnem omnino complexionem subiecti, & prædicati simplici quodam obtutu percipit in obiecto suo omnes veritates, quas homo pro statu præsentis percipit per multa iudicia complexiuam, multique interuenientibus terminorum, formalitatumque distinctionibus. In quam rem faciunt, atque videri possunt, quæ latè habemus scripta in Pharo Scient. disp. 13. q. 11. & 12.

Hinc quaeritur tertio, an visio beatifica sit indicatiua, an tantum simpliciter apprehensiuam. Recipit. lib. 6. de Deo q. 27. latè contendit, non esse indicatiuam formaliter, sed tantum æquiuocè, & eminenter; eo quod, vti nuper statimus, quemadmodum iudicium nostrum, complexiuum non est. Sed contendit in quaestione de nomine. Et malè loquitur. Quia certum est, visionem beatificam esse perfectissimam scientiam, qua intellectus Beati clarissimè scit obiectum eius, deque illius obiectivæ veritate spanditur, & sententiam fert. Tendere autem in obiectum modo isto scientifico, suasio, & determinatione, id ipsum est iuxta communem acceptionem, atque consensum, obiectum, seu de obiecto iudicare formaliter: siue id per actum abstractiuum, & complexiuum fiat; siue per intuitiuum, & simplicem. In quo amplius non oportet morari. Videantur dicta à nobis latè in Pharo Scient. de aequiditate iudicij humani disp. 2. q. 2. 3. & 4.

Hinc

65 Hinc rursus quæri potest quartò, an visio beatifica sit iudicium purè affirmatiuum, vel etiam aliquo modo sit negatiuum. Dico, esse iudicium affirmatiuum simul, & negatiuum respectu diuersorum obiectorum, circa quæ versatur. Affirmatiuum quidem respectu obiectorum, circa quæ versatur per modum accessus, seu potiùs positionis, atque adeò affirmando. Negatiuum verò respectu obiectorum, circa quæ versatur per modum recessus, seu potiùs remotionis, atque adeò negando, iuxta differentiam iudiciorum affirmatiui, & negatiui expositam pro iudicijs nominis abstractiuis in Pharo Scient. disp. 1. q. 4. propos. 3. & 4. Quæ eadem est, quod ad rem attinet, etiam in intuitiuis. Etenim eo ipso, quòd Beatus per visionem beatificam videt, iudicatiuèque subinde cognoscit, non solum Deum, sed eas insuper veritates obiectiuas distinctas à Deo, quæ fide diuinà credit in statu Viæ, quæ ad ordinem pertinent Vniuersi, & quæ ad se ipsum spectant aliquo modo, prout supra disp. 20. q. 4. propos. 3. ex communi sententiâ Patrum, & Theologorum statutum est; non potest non iudicatiuè cognoscere, præter veritates positiuas, quæ ad tria ista capita pertinent, multas insuper veritates negatiuas, quæ cum illis miscentur iuxta dicta in eadem q. propos. 15. quarum veritatum priores per iudicium affirmatiuum; posteriores autem per iudicium negatiuum sunt iudicabiles à Beato, & non aliter. Nam, qui cognoscit per species proprias, non aliter veritates positiuas, quam per iudicium affirmatiuum, neque aliter veritates negatiuas, quam per iudicium negatiuum, iudicare potest, vt ostendimus in Pharo Scient. tum loco nuper citato, tum maxime disp. 9. q. 3. Itaque Beatus per visionem beatificam affirmatiuè iudicat imprimis omnes veritates obiectiuas identificatas cum Deo, quas nos per varia iudicia affirmamus, & apud ipsum vna simplicissima veritas, eaque positiuæ est: deinde affirmatiuè etiam iudicat omnes veritates obiectiuas identificatas cum creaturis ad prædicta tria capita pertinentibus quatenus positiuè veris aut quiditatiuè solùm, aut insuper existentialiter; idque vel conditionatè, vel absolutè iuxta doctrinam generalem de statibus rerum traditam etiam à nobis in Pharo Scient. disp. 10. Negatiuè autem iudicat imprimis omnes veritates negatiuas, quas fide credidit in Viâ; vt non esse alium Deum præter eum, quem videt; Mundum non extitisse ab æterno; Christum non fecisse peccatum, &c. Deinde omnes veritates negatiuas ad Mundi ordinem pertinentes; vt non esse vndecim cœlos solidos, & cætera alia, præter solem, lumen non habere à se ipsis; non esse elementa plura, quam quatuor, &c. Præterea omnes veritates negatiuas, quæ pertinent ad se; vt se iam non habere peccatum vllum, neque tristitiam, neque dolorem; ex suis aliquos nondum esse beatos, aliquos non esse in statu gratiæ, alios non esse diuites, &c. Iudicat autem Beatus per visionem beatificam veritates positiuas ponendo, hoc est, tendendo in id, quod affirmat, per modum positionis: veritates autem negatiuas non ponendo, sed remouendo, hoc est, apprehendendo simpliciter id, quod negat, tendendoque insupermet per modum remotionis, iuxta differentiam iam statutam affirmationis, & negationis. Qui quidem duo modi tendendi licet, absolutè loquendo, comparatione eiusdem obiecti inter se oppositi, atque incompatibiles sint vel in eodem

intellectu, nedum in eodem actu; comparatione verò distinctorum obiectorum, vt in eodem intellectu, ita etiam in eodem actu sunt absque dubio compatibiles. Addidi, absolutè loquendo: quia dicti duo modi tendendi comparatione eiusdem obiecti sunt compatibiles, atque compatiuntur de facto in eodem intellectu, prout alibi diximus, quoties ille ex faciâ hypothese impossibili conditionatè, & verè indicat vtrumque contradictionis extremum, vt pote necessariò verum ex eiusmodi hypothese, idem scilicet ex tali hypothese simul affirmando, & negando. Nimirum sic. Si Petrus existeret simul, & non existeret, ille vtiq; simul existeret, & non existeret. Si existeret quæuis chymara impossibilis, illa vtiq; simul existeret, & non existeret. Pariterque in similibus.

66 Quintò quæritur, vtrum visio beatifica sit cognitio practica, an speculatiua. Circa quod Recupit. lib. 6. de Deo q. 28. relatis quinque sententijs, vt suam statuat, multa, & latè diserit in genere de practica, & speculatiua cognitione. Quia tamen nos iam de illis, quod satis est, habemus scriptum in Pharo Scient. disp. 22. q. 4. nu. 89. & quæstio est de solo nomine, breuissimè eam ex ibi dictis vno verbo resolvimus. Dicimus itaque, visionem beatificam, prout tendit in eas solas veritates, quæ sunt opera factibilia à Beato, in quæ ipsa potest influere, practica esse; prout verò tendit in Deum, & in cæteras veritates, esse speculatiuam. Quia ea dumtaxat cognitio debet practica nuncupari, quæ praxim cognoscens, in quam ipsa valet influere, pro obiecto habet. Cætera autem cognitiones speculatiuæ dicendæ sunt, prout loco citato statutum est. Vbi cætera ad propositum pertinentia videri poterunt.

67 Sextò quæritur, vtrum visio beatifica omni aliâ cognitione creatâ euidentiore, atque etiam certior sit. Recupit. lib. 6. de Deo q. 19. latè examinat quæstionem hanc, supponens multa de certitudine, & euidentiâ cognitionum, me quidem iudice, vel parum congrua, vel minùs vera; sed quæ refellere nec vacat, nec expedit. Ego ea supponens, quæ circa terminos istos scripta iam habeo in Pharo Scient. disp. 4. & 5. breuiter dico primò, visionem beatificam omni aliâ cognitione creatâ euidentiorem esse. Id namque significatur in Scripturis, dum dicitur videndus Deus per illam, sicuti est. 1. Ioan. 3. & facie ad faciem. 1. Corint. 13. manifestandusque. Ioan. 14. dumque illius claritas commendatur Sap. 10. Ioan. 17. 2. Corint. 3. Apocal. 21. & alibi. Supponuntque, aut etiam affirmant communiter Patres, atque Theologi. Et ratio suadet. Quia visio beatifica omnium aliarum cognitionum creatarum est finis vltimus, illeque beatificans, & plenè satians intellectum creatum, quo titulo omnium aliarum cognitionum creatarum præstantissima, atque adeò clarissima, euidentiissimaque esse debet. Et quidem, cum eius euidentiâ sit intuitiua, nequit non omni euidentiâ abstractiua præstantior, & excellentior esse. Et, cum sit supernaturalis, oriundaque à supernaturali principio, quod per quamdam antonomasiam lumen gloriæ appellatur, omni etiam intuitiua euidentiâ naturali debet esse præstantior. Cum denique sit de obiecto increato, & infinitè intelligibili, consentaneum vtiq; est, vt omnem aliam euidentiâ etiam supernaturalem, & intuitiuam de quouis obiecto purè creato multum excedat. Hinc dico secundò, visionem beatificam omni aliâ cognitione creatâ certior esse certitudine subiectiua, con-

stente in immunitate à formidine opposita: quia hæc certitudo potissimè nascitur ex euidentiâ actus: eoque proinde maior est, quò euidentiâ actus est maior, atque adeò ab opposita formidine magis exempta, siue immunis, iuxta doctrinam latius traditam in eà disp. 5. Phari citatâ. Tertio dico, visionem beatificam omni aliâ cognitione creatâ esse etiam certiozem certitudine formali, consistente in infallibilitate actus, siue necessitate veritatis. Quia, quò excellentior est visio beatifica omni aliâ cognitione creatâ, eò maiorem habet necessitatem veritatis ob strictiorem, quam habet, connexionem cum illâ. Nec refert, aliquas alias cognitiones creatas, vt actus fidei diuinæ, aut etiam alia supernaturalia iudicia habere necessitatem metaphysicam veritatis, ita, vt contradictionem implicet, eas falsas esse: quia etiam inter necessitates metaphysicas datur inæqualitas, aliæque proinde alijs maiores sunt, vt in eadem Pharo disp. 11. q. 4. ostensum est: maioremque necessitatem veritatis titulo suæ maioris perfectionis censenda est habere visio beatifica, quam quælibet alia creatâ cognitio habens etiam metaphysicam necessitatem eius. Vnde inferitur contra Recapitulum decentem oppositum vbi supra, visionem beatificam non solum certitudine subiectiuâ, de quo nullum est dubium, sed etiam certitudine formali esse certiozem, quam est actus fidei diuinæ: quamuis hic cum metaphysicâ etiam necessitate verus, & infallibilis est. Hæc omnia dicta sunt loquendo de facto. Si enim de possibili sermo sit, possibiles haud dubiè censendæ sunt aliquæ intuitiuæ visiones creatæ, quæ aliquibus intuitiuis visionibus Dei possibilibus sint euidetiores, atque certiores.

68 Septimò queritur, an visio beatifica sit subdita libertati Beati, atque adeò operatio libera eius. Hanc questionem tractat Recapit. lib. 6. de Deo q. 30. Resoluitque, quod apud omnes est certissimum, visionem scilicet beatificam operationem esse omnino necessariam Beato tum quoad inceptionem, tum quoad æternam continuationem. Cuius ratio est: quia lumen gloriæ (quod iuxta sententiam nostram etiam est species impressa Dei) statim, ac infunditur à Deo intellectui Beati duraturus in æternum, longè efficacius necessitat illum ad producendam visionem Dei, quam necessitat oculos nostros ad producendam visionem coloris huius species illis impressa. Vnde sicut, dum species ista in oculis nostris perseverat, nullatenus potest voluntas nostra vel directè, vel indirectè impedire oculis nostris visionem coloris. Sic longè potiori iure, dum in intellectu Beati perseverat lumen gloriæ, nullatenus potest per voluntatem Beati ipsi impediri visio Dei, vel directè, vel indirectè. Aliundeque nec potest per voluntatem Beati vnquam impediri, siue tolli lumen ipsum, vti potest per voluntatem nostram impediri, siue tolli species impressa coloris. Quo fit, vt nullo modo visio beatifica aut quoad inceptionem, aut quoad æternam continuationem Beati voluntati subdita sit. Id quod ad maiorem beatitudinis firmitatem, constantiam, securitatemque oportebat citra omne dubium. Ob idque Beatis talis naturæ, talisque conditionis lumen tribuitur. In quo non est, cur amplius moremur.

69 Octauò queritur, an Beati per visionem beatificam videant, aut aliter cognoscant omnia attributa Dei extrinseca, & semextrinseca. De intrinsicis cum Deo omnino identificatis diximus disp. 20. q. 1. & 2. Q. autem 3. de diuinis

actibus intellectus, & voluntatis. Modò est sermo de reliquis attributis, quæ per aliquid distinctum à Deo aliquo modo constituuntur, vel complentur in suo conceptu formali, iuxta attributorum Dei diuisionem expositam disp. 2. q. 1. 2. & 3. De quibus sanè iuxta doctrinam traditam supra disp. 20. q. 4. proposit. 3. vniuersaliter videbatur dicendum, omnia, quæ fide diuinâ à Viatoribus credi possunt, per ipsam visionem beatificam videri à Beatis. Quod tamen aliunde dici non potest. Quia, Deum esse absolutè omnipotentem, siue potentem omnia, & fide diuinâ à Viatoribus credibile, & attributum semextrinsecum est, completum in conceptu suo per possibilitatem intrinsecam, atque adeò per quiditatem omnium creaturarum possibilem, iuxta doctrinam à nobis statutam in Pharo Scient. disp. 8. q. 5. proposit. 5. Quam tamen omnium creaturarum possibilitatem, & quiditatem Beati non vident iuxta dicta etiam in illâ proposit. 3. citatâ; & consequenter neque attributorum ipsorum constitutum per illam. Quemadmodum etiam attributum sapientis, siue omnia scientis, etiam credatur in Viâ fide diuinâ, in Patriâ à Beatis non videtur, vt potè ignoratibus multos actus scientiæ Dei inclusos in illo, iuxta doctrinam statutam supra dictâ disp. 20. q. 3. Similiter, esse Deum omnium entium excogitabilem optimum, ad fidem pertinere iuxta dictâ disp. 16. q. 3. Et tamen Beati non videntes cetera omnia entia excogitabilia talem conceptum illa includentem videre nequeunt. Dum ergo in illâ proposit. 3. q. 4. disp. 20. ex communi Patrum, & Theologorum sententiâ diximus, videri à Beatis in Patriâ, quæ in Viâ fide diuinâ crediderunt, assertio ista indefinire, prout ibi est posita, à Patribusque, & Theologis intellecta, sumenda est. Ad cuius subinde veritatem fat est, quòd Beati videant aut aliqua præcipua, & particularia fidei obiecta, quin videant omnia etiam vniuersalissima complectentia suis conceptibus aut omnia, aut pleraque, aut nimis multa intelligibilia; aut certè omnia fidei obiecta quoad id peculiare, quod singuli eorum conceptus important directè, & in recto; quidquid sit de multitudine aliorum, quæ sæpe insuper important de connotato, & in obliquo. Vnde fit, vt ex dictâ assertione nihil certum desumi possit pro quæstionculâ propositâ resoluendâ.

Dicendum ergo ad illam censeo id, quòd 70 attributa prædicta concrete sumpta important in recto, siue directè, estque apud nos formalitas quædam Dei ab ipso realiter indistincta, videri intuitiuè à Beatis, vt potè intuitiuè videntibus totam Dei entitatem iuxta dictâ disp. 20. q. 1. Cetera verò extrinseca, siue distincta à Deo, quibus illa de connotato, vel aliter constituuntur, siue complentur in conceptibus suis, tunc videri etiam intuitiuè à Beatis, quando ad eos pertinet videre illa titulo alio, iuxta dictâ etiam eadem disp. 20. q. 4. tunc verò abstractiuè tantum, siue per alienas species ab eis cognosci, quando nullum alium titulum habent ad illa intuitiuè videnda. Itaque Beati videndo intuitiuè Deum, & alia entia ad quæ videnda titulum habent, intuitiuè vident, Deum esse dominum talium entium: quòd attributum quoddam eius semextrinsecum est includens de connotato in conceptu suo entia ipsa. Videndo verò intuitiuè Deum, & abstractiuè cognoscendo cognitione quadam confusâ omnia possibilem, partim intuitiuè, & partim abstractiuè cognoscunt, Deum esse omnipotentem, siue abso-  
lutè

lutè potentem omnia; quod attributum est etiam semiextrinsecum eius includens pariter omnia ipsa possibilis in conceptu suo, prout numero precedente statuimus. Similiterque euenit in similibus.

71 Hinc nonò specialiter quæri potest, quomodo cognoscantur à Beatis æternitas, & immensitas Dei, quatenus attributa sunt semiextrinseca eius completa in conceptu suo; primum quidem per tempus à parte ante, & à parte post infinitum, quod imaginarium appellant; secundum verò per spatium locale circumquaque infinitum, quod etiam imaginarium dicunt, iuxta doctrinam latè expositam supra disp. 6. q. 6. & disp. 9. q. 4. Circa quod censeo dicendum primò, Beatos à primo instanti suæ beatitudinis intuitiue videre æternitatem Dei à parte post prout includentem in suo conceptu totum tempus infinitum à parte post, hoc est, intuitiue videre Deum prout exiturum in toto tempore à parte post infinito, atque adeò videre etiam, seu per speciem propriam cognoscere tempus ipsum; quod in quiditate cuiusdam seriei essentialiter successiue, & à parte post infinitæ durationis possibilium consistit reipsa, prout supra disp. 8. q. 2. explicatum est. Ratio huius asseri est: quia, vt statuimus q. 5. intuitiue vident Beati à primo suæ beatitudinis instanti ipsam suam beatitudinem fore æternam, atque adeò per totum tempus infinitum à parte post duraturam. Sed ad talem beatitudinem intrinsecè pertinet non solum visio beatifica, qua Deus possidetur, sed etiam, & potiore iure, Deus ipse possessus, vt modò tanquam certum supponimus ex tract. de Beatit. Igitur intuitiue vident Beati à primo suæ beatitudinis instanti non solum, se Deum per totum tempus infinitum à parte post intuitiue visuros, sed etiam, Deum ipsum toto eo infinito tempore sine fine exiturum. Hæc autem à Beatis videri per ipsam visionem beatificam, ex doctrinà iam statuta q. 5. constat.

72 Hinc sequitur primò, Beatos per visionem beatificam non solum videre Deum vtcunque, & insuper totum tempus infinitum à parte post, in quo toto Deus est exiturus; (poterant quippe hæc duo videre, quin viderent Deum prout exiturum in tali tempore, videndo scilicet Deum præcisè vt præsentem, & insuper videndo ipsum tempus, qua ratione futurum est); sed videre Deum reduplicatiue prout exiturum in toto ipso tempore, quæ veritas obiectiua est de futuro tam ex parte Dei, quam ex parte ipsius temporis diuersa ab alià, quæ ex parte Dei esset veritas de præsentem, & ex parte solius temporis de futuro. Vt enim constat ex doctrinà supposita q. 5. n. 58. & latius tradita in Pharo Scient. locis ibi citatis, Deum existere de præsentem, & Deum exiturum esse de futuro, diuersæ veritates sunt obiectiue comparatione cuiusvis intellectus creati diuersis iudicijs siue intuitiuis, siue abstractiuis indicabiles; quarum alterutra proinde bene posset sine alterà iudicari. De facto tamen per eandem visionem, quam in singulis instantibus temporis Beati habent (iuxta dicta n. illo 58. de successione visionis beatificæ, deque compositione eius ex visionibus partialibus instantaneis), vtramque iudicant; nimirum, & Deum iam de præsentem existere in eo ipso instanti temporis, in quo id iudicant, & Deum in toto etiam tempore post tale instanti futuro sine fine exiturum.

73 Vnde secundò sequitur, Beatos per eam vi-

sionem, quam in singulis instantibus temporis habent, non solum duas, sed infinitas veritates obiectiuas diuersas iudicare, vnam quidem aut certè paucas aliquas de præsentem, & cæteras omnes de futuro. Nam, vt ex doctrinà locis citatis tradita etiam constat, in serie futuritionis cuiusvis obiecti, præter veritates diuersas diuersorum instantium temporis ad talem seriem pertinentium, tot ipsum obiectum sortitur obiectiuas veritates inter se diuersas ratione status, quot sunt ipsa instantia ipsius temporis: quæ omnes proinde infinitæ sunt, quando tempus est infinitum. Itaque quilibet Beatus, dum est in instanti A, per visionem partialem, quam in eo habet, primò iudicat, ipsum instans A præsens esse, seque, & Deum, & ipsam visionem in eo existere de præsentem. Secundo iudicat, instans B immediate post A esse futurum, & in eo exiturum Deum, & se, alteram visionem partialem. Tertio iudicat, instans C tertio loco post A esse futurum, & in eo exiturum Deum, & se, & tertiam visionem partialem. Quarto iudicat instans D quarto loco post A esse futurum, & in eo exiturum Deum, & se, & quartam visionem partialem. Et ita deinceps per eandem visionem partialem correspondentem instanti A iudicat sigillatim de cæteris omnibus instantibus totius temporis infiniti futuri, deque alijs veritatibus de futuro ipsis correspondentibus. Tantumdemque venit dicendum, de qualibet alià visione partiali cuiuslibet aliorum instantium dicti temporis infiniti correspondente.

74 Secundò circa quæstiunculam præsentem, censeo dicendum, Beatos in singulis instantibus totius temporis suæ beatitudinis ultra primum, non solum videre per visionem Dei intuitiue veritates de futuro commemoratas toti tempori futuro, infinitoque correspondentes; sed etiam similes de præterito correspondentes toti tempori præterito, finitoque, & terminato in primo ipso instanti suæ beatitudinis; quarum vna est, in toto ipso finito tempore Deum extitisse. Quoniam iuxta doctrinam statutam disp. 20. q. 3. ad Beatos pertinet videre intuitiue non solum quo, & quanto tempore est duratura, sed etiam quo, & quanto tempore durauit sua beatitudo: ad eamque Deus, vt dictum est, intrinsecè pertinet.

75 Tertio censeo dicendum, Beatos eo ipso, quòd quiditatem Dei intuitiue vident, non posse non euidentissimè cognoscere æternitatem eius à parte ante prout includentem in suo conceptu totum tempus à parte ante infinitum, siue principio carens, cognitione videlicet saltem abstractiua. Vtrum enim aut illi omnes, aut aliqui obiectum istud intuitiue videant, dubium est. Cum illud non videatur esse è numero eorum, ad quæ videnda aliquem vniuersalem titulum habent iuxta dicta disp. 20. q. 4.

76 Pariterque censeo dicendum quartò, Beatos euidentissimè cognoscere immensitatem Dei prout includentem in conceptu suo totum spatium locale circumquaque infinitum, quod in quiditate præsentiarum possibilium infinitè circumquaque extensarum consistit re ipsa, prout supra disp. 5. q. 2. explicatum est. Cognoscunt autem sic hoc obiectum saltem cognitione abstractiua eo ipso, quòd vident Deum. Vtrum autem aut omnes Beati, aut eorum aliqui illud cognoscant intuitiue, etiam est dubium: quia non videtur illud spectare ad eorum numerum, ad quæ videnda aliquem vniuersalem titulum habent iuxta

iuxta dicta disp. 20. c. 4. sæpe citatâ.

77 **C**ætera, quæ hic de visione intuitivâ Dei quæri, & examinari possent, quod magis statum beatificum videntiam Deum videantur concernere, ad tractatum de Beatitudine remittuntur,

## DISPUTATIO XXII.

### De Nominibus Dei.

**A** Dijcimus disputationem hanc cæteris præsentis Tractatus veluti appendicem earum; tum quia dicenda in eâ pauciora sunt, quam ut peculiarem Tractatum possulent; tum quia nominatio, siue loquutio de obiecto cognito quodammodo annexa est cognitioni eius. Congruumque propterea videtur, ut disputationibus de præcipuâ Dei cognitione, qualis visio beatifica est, disputationem annectamus de ejusdem Dei nominatione, siue passivâ eloquentione.

### QVAESTIO I.

*Verum Deus sit innominabilis, siue ineffabilis. Et qualiter.*

**S**uppono primò, nominare obiectum cognitum, siue de eo fieri, seu loqui, aliud non esse, quam per signa vocalia aut ore prolata, aut scripta audientibus, aut legentibus signa ipsa illud significare. Id quod quatuor modis, quod ad rem attinet, potest contingere. Primò, si tam loquens, quam audiens cognoscant obiectum abstractivè, siue per species alienas, ut nos præsentis statu cognoscimus Deum, & alia pleraque. Secundò, si tam loquens, quam audiens cognoscant obiectum intuitivè, siue per species proprias, ut Beati cognoscunt Deum, & alia multa. Tertio, si loquens cognoscat obiectum abstractivè, & audiens intuitivè. Quarto vice versâ, si loquens cognoscat obiectum intuitivè, & audiens abstractivè.

**S**uppono secundò, in mente cuiusvis cognoscentis duplicem solere distingui conceptum, formalem scilicet, & obiectivum. Formalis est ipsa cognitio; obiectivum autem est obiectum per eam cognitum.

**S**uppono tertio ex dictis iam à me in Pharo Scient. disp. 18. q. 2. divis. 1. esse nonnulli, ut Fasol. 1. p. q. 13. art. 1. n. 1. Veken. disp. 15. n. 1. & alij censeant, per signa vocalia primariò, & immediatè significari conceptus formales, obiectivos autem, siue res cognitâs secundariò, & mediâtè; communem tamen, & veram sententiam esse, utrosque significari immediatè: ita tamen, ut obiectivi primariò, & directè, formales verò secundariò, & indirectè significantur, Quod certe non ita intelligendum est, (sicuti multi intelligunt, cum quibus Recupit. lib. 6. q. 4. n. 6.), ut imponentes significationem vocibus solùm intenderint, per eas significare res cognitâs; indeque præter intentionem sequatur, ut ipsas etiam cognitiones significant. Hoc namque falsum est,

Intenderunt etenim commercium hominum iuxta Arist. in Polit. Plat. in Cratyl. & omnes, quod maxime in communicatione, & manifestatione cognitionum internarum consistit. Sed ita intelligendum, ut ex primariâ intentione intendunt significare res prout cognitâs. Quod est, intendisse significare utrumque res scilicet, & earum internas cognitiones, res tamen directè, cognitiones verò in obliquo, siue de connoto. Quod fit, ut voces diverso modo res, atque earum cognitiones significant, pro rebusque subinde, non item pro cognitionibus accipiuntur, ut bene Arist. lib. 1. Elench. cap. 1. Significant itaque signa vocalia conceptus obiectivos directè, formales verò indirectè, siue de connato, utrosque tamen immediatè. In quo differunt à signis scriptis, qui eisdem pariter non immediatè, sed medijs vocalibus significant, ut pluribus loco citato Phari explicatum est.

Suppono quartò, dissidium esse inter Doctores, an perfectio, siue claritas significationis verborum, atque adeò loquutionis taxanda sit penes perfectionem, siue claritatem cognitionis loquentis, an potius audientis. Primum affirmant Soar. Fasol. & alij. Secundum Molin. Vazq. & alij locis infra citandis. Ego cum Vazq. arbitrator primò, dissidium hoc potius esse de nomine, quam de re. Nam apud utriusque sententiæ Auctores supponitur, esse possibile, ut loquens per signum vocale à se prolatur de obiecto, quod ipse cognoscit abstractivè, & obscure, excitet in audiente cognitionem intuitivam, & claram de eodem obiecto; vel vice versâ. Utrum autem huiusmodi signum dicendum sit significare tale obiectum obscure, & aliter, quam est in se; eò quod sic cognoscitur à loquente; vel potius significare illud clarè, & sicuti est in se; eò quod sic cognoscitur ab audiente; vel è converso; duntaxat videtur esse quæstio de nomine. Circa quam arbitrator secundò, rationabilis, & verius loqui Auctores secundæ sententiæ. Quoniam significatio signi vocalis in vi consistit, quam illud ex sui institutione habet ad excitandam in mente audientis cognitionem rei, quam significat, Unde penes cognitionis excitatæ obscuritatem, vel claritatem videtur eius significatio obscura, vel clara dicenda. Cuius enim signum iuxta definitionem receptam ab omnibus ex August. lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 1. & lib. de princip. Dialect. cap. 5. sit, *Quod se ipsum sensu, & præter se, aliquid animo ostendat.* Scilicet illius cognitionem in animo excitando, seu quoquo modo procreando: eò profecto obscurius, vel clariùs dicendum est signum ostendere, siue significare animo id, cuius est signum, quò obscuriorem, vel clariorem illius cognitionem in animo ipso excitaverit, seu quoquo modo procreaverit. Atque ita, quando signum vocale intellectum audientis excitat ad cognitionem intuitivam, & claram rei, quam significat, tunc sanè dicendum est illud clarè eam, & sicuti in se est, significare tali intellectui. Obscurè verò, & aliter, quam est in se, quando ad cognitionem eius abstractivam, obscuramque excitaverit. Quidquid sit in utroque casu de cognitione, quam de tali re habet, qui profert signum, siue loquitur. Nec valet, quod Aduersarij dicunt, per accidens scilicet se habere, quod audiens talem, aut talem cognitionem concipiat de re significatâ per signum: quandoquidem signum in ratione signi non minus, imo magis per se, & essentialiter refertur, ordinaturque ad audientem.

6 **tem.** quam ad loquentem, ut satis ex se est notum. Suppono quinto, diffidium etiam esse inter Auctores, an, quando signum vocale non valet in audiente, excitare cognitionem rei, quam significat, quod illa aliunde supponatur, dici nihilominus possit medio tali verbo cum tali audiente loqui, qui profert illud. Affirmant Vazquez, & Fasolus, Negant Auerſa, & Derkennis ubi infra. Ego autem dico, si proferens signum vocale nullam medio illo cognitionem, valeat excitare in audiente, præterquam ipsius signi, nullatenus dici posse loqui cum eo, quia nihil in tali casu potest illi significare significatione propria signi, qualis ad loquentem requiritur. Cum nihil ei, præter signum ipsum, possit ostendere, ut sitque de ratione signi ostendere aliquid, præter se, iuxta ipsius definitionem, nuper statutam. Si verò proferens signum vocale medio illo valeat excitare in audiente cognitionem, non quidem rei, significatæ per signum, sed conceptus formalis significati etiam indirectè per ipsum, iuxta dicta suppositione tertiâ, quam de re ipsâ proferens ipse in mente habet; tunc quidem ille talem suum formalem conceptum significare audienti, atque adeo eloqui dicitur; non verò rem ipsam. Talisque propterea loquutio veluti dimidiata loquutio erit. His suppositis sit.

## Propositio I.

7 **Certum secundum fidem est, Deum esse ineffabilem.**

Est enim definitum in Concil. Later. prout habetur in cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Cath. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, omnipotens, & ineffabilis.* Et colligitur ex Scripturâ dicente Genes 32. *Cur queris nomen meum? Indic. 13. Cur queris nomen meum, quod est mirabile? Prou. 30. Quod nomen est eius, & quod nomen Filii eius, si nosset.* Et Ecclesiasti 43. *Multa dicemus, & deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus.* Id quod testantur, & prædicant, sapi simèque repetunt Patres; imo & patres Philoſophi. Quorum omnium plurima testimonia congerunt Fasol. 1. p. q. 13. art. 1. dub. 1. Recapit. lib. 6. de Deo q. 41. cap. 1. & Patavi. lib. 8. Theol. dogm. cap. 6. & 7. apud quos poterunt videri.

8 Dicitur autem Deus esse ineffabilis, siue innominabilis, non quia simpliciter, & absolute sit impossibile loqui de illo, siue illum nominare. Cum nihil apud homines sit frequentius, quam de Deo loqui, eum invocare, & multifariam nominare; passimque legantur in Scripturis nomina Dei, de quibus etiam sæpe differunt Patres, integrumque librum scripsit D. Dionysius de diuinis nominibus; sed quia, ut communiter exponunt Theologi, Viatores inter se nec Deum eloqui, nec ipsum nomine aliquo clarè, & sicuti est in se, exprimere, siue significare possunt, hoc ipso, quod nec possunt ipsum, dum sunt in Via, clarè, & sicuti est in se, cognoscere, siue intueri. Quandoquidem ad loquendum de Deo, ipsumque nomine aliquo significandum clarè, & sicuti est in se, aut loquens, aut audiens, aut uterque deberet il-

lum clarè, & sicuti est in se, atque adeo intuitiue videre iuxta dicta suppositione quartâ. Itaque respectu Viatorum tam Angelorum, quam hominum prout colloquentium inter se Deus est ineffabilis, siue innominabilis, siue non significabilis nomine illo clarè, & sicuti est in se. In quo conveniunt omnes Theologi. Alier est præterea Deus omnino ineffabilis prorsusque innominabilis respectu omnium creaturarum, etiam intuentium eum, sicuti est; nomine scilicet significante ipsum comprehensivè. Quia talis significationis incapax est omnis creatura, eo ipso, quod est incapax comprehendendi Deum iuxta articulum fidei statutum disp. 17. q. 5. De qua ineffabilitate Dei loquuntur August. epist. 42. ad Madaurentes post medium dicens. *Est quiddam invisibile, summum, æternum, incommutabile, & nulli effabile, nisi tantum sibi.* Et Damasc. lib. 1. Fidei cap. 16. dicens, *Cum Deus incomprehensibilis sit, nomine quoque prorsus caret.* Anselm. item, dum ait in Monolog. cap. 62. *Deum hæc esse ineffabilem, quia penitus non potest comprehendi.* In quo etiam, præter alios Patres, prorsus conveniunt omnes Theologi.

Est tamen inter illos controuersia primò, an possint Viatores nominare, siue nomine aliquo significare Deum clarè, & sicuti est in se, non quidem alijs Viatoribus, sed Beatis videlicet ipsum, sicuti est. Negant Soar. lib. 2. de Attribut. cap. 31. & in Metaph. disp. 30. sect. 12. Fasol. 1. p. q. 13. art. 1. dubit. 1. Recap. lib. 6. de Deo q. 41. cap. 1. Quiros in comm. dicti art. 1. cum alijs præsertim Thomistis. Affirmant verò cum Scotticis, & Nominalibus Molina. 1. p. q. 13. art. 1. disp. 12. Vazq. disp. 57. cap. 2. Veken. disp. 15. de Deo cap. 1. & alij. Secundo controuertitur, an vice versâ Beati possint eloqui Deum, ipsumve nomine aliquo significare Viatoribus, sicuti est in se. Negant ubi supra Fasol. dubit. 13. Vazq. cap. 3. Recap. cap. 2. Veken. & alij communiter. Neque illum reperiri qui citæ hunc casum doceat oppositum.

Tertiò controuertitur, utrum Beati inter se ipsos possint Deum eloqui, ac nominare, sibi que inuicem nomine aliquo, uti in se est, significare. Affirmant Soar. Vazq. Fasol. Recap. Quiros, & Vekenus locis citatis, alijsque commemorati communiter. Negant tamen quidam Thomistæ relati à Vazq. cap. 3. citato n. 21. & ex Recentioribus Auerſa 1. p. q. 13. sect. 2. Derkennisque disp. 17. n. 133.

Quartò controuertitur, an possit Deus nominari, siue aliquo nomine significari comprehensivè aut à creaturis, aut à se ipso. Conveniuntque omnes, uti iam diximus, tale nomen, comparatione creaturarum dari non posse, utpote à quibus Deus omnino incomprehensibilis est. Comparatione tamen ipsius Dei tale nomen esse possibile, affirmant Martinon disp. 8. de Deo sect. 1. Quiros, atque Vekenus supra. Negant tamen Vazq. n. 23. Fasol. n. 16. & alij.

Porro qua ratione in omnibus prædictis casibus potest Deus creaturis, seu viatoribus, seu beatis per nomen aliquod significari ab alijs creaturis, eadem eisdem posse significari à se ipso certum est apud omnes. Utrum verò Deus possit sibi ipsi, aut à creaturis, aut à se ipso per nomen aliquod significari, sub opinione est positum. Nam id negat Vazq. n. illo 23. & 24. Affirmant verò saltem illi, qui docent, per aliquod nomen

posse Deum sibi ipsi comprehensivè significari.

Propositio 2.

14 Iuxta ordinariam Dei providentiam non possunt Viatores nominare, seu nomine aliquo significare Beatis Deum, sicuti est in se, si visio beatifica est actus permanentens, ut ex citatis Auctoribus censent plerique.

Hæc propositio est contra Molin. Vazq. & alios suæ sententia. Eam tamen non probo, uti Soar. Fasol. & alij, qui illam tenent, ex eo, quod perfectio significationis verborum sit razanda penes perfectionem cognitionis, quam de rebus significandis habet, qui loquitur: eoque titulo Viatores non intuentes Deum, sicuti est in se, neququam eum, sicuti est in se possint vllis alijs, etiam Beatis significare. Non, inquam, probo propositionem ex isto principio, utpote, quod à me est reiectum, & oppositum statutum, suppositione quartâ. Sed eam probo. Quia, iuxta ordinariam Dei providentiam per suam nominationem, siue loquutionem de Deo non possunt Viatores excitare, aut aliquo modo causare in Beatis novam aliquam visionem de Deo, sicuti est in se, distinctam ab eâ, quam ipsi præhabent aliunde (vti supponitur) permanentem. Et dici non potest significare alteri, aut eloqui ipsi rem aliâ significatam per signum is, qui tale signum proferendo non valet in altero vllam novam talis rei cognitionem excitare, siue causare; vt statui suppositione quintâ cum Auersâ, & Derkennis. Qui subinde circa præsentem propositionem pro me stare censendi sunt.

85 Objici tamen contra illam potest ex Vazq. n. 20. & Fasol. n. 15. Vt proferens nomen rei significativum verè dicatur eam audienti significare, de eaque cum ipso loqui, fat est, quod audiens excitetur ad cognoscendum, esse talem rem in mente proferentis nomen, & ipsum nomen esse illius significativum; quin excitetur ad novam aliquam ipsius rei cognitionem, quam ipse aliunde non præhaberet. Igitur poterunt Viatores verè significare Beatis Deum, vt est in se, per nomen aliquod à se prolatum; etiam si ad nullam Dei novam visionem excitent illos. Nego antecedens, Quia, qui per nomen à se prolatum non facit audientem venire in cognitionem rei, cuius illud est signum, ei reuerâ nec significat, nec eloquitur talem rem; tametsi significet, & eloquat conceptum suum formalem, aut etiam nominis significationem de illâ, iuxta dictâ suppositione quintâ. Quæ quidem duo, etsi ad rem ipsam respectiva, deuo ab audiente posse cognosci, ipsâ re non cognitâ deuo, sed cognitione eius antiquâ ad id subseruiente, ex generali doctrinâ de cognitione relationis, & termini traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. consecret. 3. notum est.

16 Dixi in propositione, iuxta ordinariam Dei providentiam. Quia si Deus lege aliqua extraordinariâ provideat, vt per loquutionem Viatoris excitetur in Beato noua aliqua visio Dei, aliâs non excitanda, diuersâ à beatificâ præhabitâ ab ipso, & permanente, iam nihil desiderabitur, quominus Viator propriè dicatur Deum eloqui, & significare Beato, vt constat ex dictis.

17 Dixi etiam, si visio beatifica est actus permanentens, Nam si est actus successiuus, ut ego censeo, & disp. 21. q. 5. probavi, etiam iuxta ordinariam Dei providentiam poterit Viator propriè Deum eloqui, & significare Beato, sicuti est in se: quia poterit suâ loquutione concurrere ad causandam in Beato eam visionem partialem Dei, quæ producitur in ipso Beato quo tempore illi Viator loquitur. Imo de facto ita sape evenire putandam proculdubio est. Saepè enim evenit de facto, vt Viatores suas ad Beatos dirigant orationes, & preces, quibus eorum apud Deum pro aliquibus donis impetrandis intercessionem obtineant, interimque cum illis de Deo ipso loquantur, aut illis attributa eius representando, aut eum laudando; aut aliter ipsum eloquio suo proponendo. Quibus in casibus, cum istæ Viatorum orationes, & loquutiones è genere eorum obiectorum sint, quæ à Beatis successu temporis intuitivè in Verbo videntur, atque adeo per visionem beatificam, iuxta doctrinam stabilitam disp. 20. q. 4. Idque fiat, vt ibi diximus proposit. 8. & rursus disp. 21. q. 5. circa finem, productis in mentibus Beatorum, quo tempore talia obiecta sunt ab eis cognoscenda, visionibus partialibus, quæ Dei simul, & ipsorum obiectorum visiones sint, & ad quas subinde producendas iquent eorundem obiectorum species impressæ: consequens est, vt dictæ orationes, atque loquutiones Viatorum ad eas partiales Dei, & sui visiones concurrant, quibus Deus simul, & illæ à Beatis videntur, quo tempore ipse ad Beatos ipsos à Viatoribus diriguntur. Quo nihil deest, quominus propriè per illas Viatores Beatis dicantur significare, & eloqui Deum, sicuti est in se.

18 Ex dictis circa præsentem propositionem inferitur, Viatores alijs etiam Viatoribus posse nominare, siue nomine aliquo significare Deum clarè, & sicuti est in se, tum quiditativè, tum etiam existentialiter, interueniente aliqua Dei extraordinariâ providentiâ. Quia ex vna parte possibilis est cognitio quiditativa Dei clara, & per propriam speciem habita, quæ non sit strictè intuitiva, neque visio beatifica, vt ostendimus disp. 17. q. 3. Tum cognitio clara, & per propriam speciem habita de Deo prout existente, quæ non sit de eodem vt præente, atque adeo nec visio beatifica, iuxta dictâ ibidem q. 4. Tum denique visio Dei intuitiva, quæ defectu perpetuitatis non sit beatifica, iuxta dictâ disp. 21. q. 5. num. 46. Quibus proinde cognitionibus non extraherentur habentes illas ab statu Viatorum. Ex alia verò parte, nihil est, quod vetet, per providentiam aliquam extraordinariam Dei res ita disponi, vt per loquutionem de Deo alicuius Viatoris cum altero excitetur aliquo modo, seu generetur in audiente aliqua ex prædictis cognitionibus claris, & per species proprias de ipso Deo. Quo casu nihil desiderabitur, quominus talis Viator per talem loquutionem propriè dicatur alteri nominare, significare, & eloqui Deum clarè, & sicuti est in se, aut quiditativè, aut existentialiter, iuxta naturam cognitionis in audiente ipso excitata, vt satis, superque ex dictis comperum est.



Propositio 3.

19 Beati iuxta ordinariam Dei providentiam non possunt eloqui Deum, ipsumve nomine aliquo significare Viatoribus, sicuti est in se.

Ita tenent omnes, vt vidimus n. 10. Ratio autem est. Quia iuxta ordinariam Dei providentiam non possunt Viatores cognoscere Deum, sicuti est in se. Per nullumque signum proinde potest Deus illis, sicuti est in se, manifestari, siue ostendi, siue significari.

20 Vnde infero contra Soar. Fasol. Recup. & alios suæ sententiæ citatos n. 9. incōsequenter eos videri loquutos, dum propositionem istam vnamiter statuunt: cum antea docuerint, vt dicebamus suppositione quartâ, perfectionem, siue claritatem significationis verborum, atque aded loquutionis penes perfectionem, siue claritatem cognitionis non audientis, sed loquentis pensandam esse. Hoc enim posito, consequenter videbatur dicendum, Beatos benè posse Viatoribus eloqui, nominare, atque significare Deum, sicuti est in se: quandoquidem ipsi loquentes eum, sicuti in se est, intuentur; quidquid sit de cognitione eiusdem per loquutionem ipsorum excitandâ in audientibus. Ex quo etiam patet, quàm sit coherentior doctrinâ omnium communi propositionis præsentis ea, quam nos suppositione illâ quartâ elegimus, & statuimus.

Propositio 4.

21 Beati, resumptis corporibus, vicissim per signa vocalia poterunt connaturaliter loqui de Deo, ipsumque sibi inuicem nominare, seu nomine aliquo significare, sicuti est in se. De factoque subinde id præstabunt.

Hæc propositio, quæ fere omnium est Theologorum, probari solet imprimis ex illo Zachariæ 14. *In die illâ erit Dominus vnus: & erit nomen eius vnum.* Loqui enim Prophetam his verbis de statu futuro beatitudinis multorum Interpretum sententia est. E quibus S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 31. ait. *Si ipsam essentiam, prout est, possemus intelligere, & ei nomen proprium adaptare, vno nomine tantum eam exprimeremus. Quod promittitur his, qui eum per essentiam videbunt Zachariæ ultimo. In die illâ erit Dominus vnus: & nomen eius vnum.* Et Lyranus ad eundem locum. *Erit, inquit, nomen eius vnum. In præsentii enim nominatur à nobis pluribus nominibus: quia nominamus eum, sicut cognoscimus: in cognitionem autem Dei deuenimus ex perfectionibus creaturarum, quæ sunt plures, & distinctæ. Sed in Patria videbitur per se ipsum immediatè, & sic nominatur vno simplici nomine ab vna simplici perfectione.*

22 A ratione autem facilè venit propositio probanda, suppositâ sententiâ nostrâ de successione essentiali visionis beatificæ, iuxta dictâ iam in simili circa proposit. 2. Cum enim ex vnâ parte singulis momentis in mente vniuscuiusque Beati nouæ visionis Dei partiales produci debeant; ex aliâ verò per eandem sint ab eo successiuè videntia in Verbo ea obiecta, quorum successiuâ intuitio debetur ipsi ratione status, è quorum nu-

mero sunt loquutiones aliorum. Consequens est, vt loquutiones istæ ad eas visiones partiales Dei, & sui ipsarum concurrant, quæ in mente Beati producuntur, dum ipsæ existunt. Quo nihil desiderari potest, quominus per eas prorsus ipsi Beato alij Deum, sicuti est in se, eloquantur, & nominent, seu nomine aliquo significant.

23 Id quod non facilè potest componi iuxta sententiam, quæ ponit esse permanentem, immutabiliterque semper durantem visionem beatificam. Hoc namque posito, non poterit vnus Beatus, saltem iuxta providentiam Dei ordinariam, suâ loquutione excitare, siue causare in altero nouam aliquam visionem Dei: & consequenter nec ipsi Deum, sicuti est in se, vlllo nomine significare propriè, siue nominare, siue eloqui; prout dictum iam est etiam in simili circa proposit. 2. Quo iure Auerſa, & Derkennis citati n. 11. propriam nominationem, propriamque colloquutionem de Deo, sicuti est in se, negant etiam Beatis. Quod tamen valde durum videtur: tum quia contra consensum communem Theologorum, aut etiam Patrum; tum quia ad complementum beatitudinis hominum videtur, resumptis corporibus, proculdubio spectare, quod inter se conuersantes dulcissima de suo Deo colloquia, eaque propria, cum sibi placuerit, possint miscere. Quo circa, siquidem hoc cum sententiâ nostrâ de successione visionis Dei aptissime coheret, vt vidimus, ea vtrique vel hinc etiam non parum confirmari censenda est.

Propositio 5.

24 Creaturæ rationales siue beatæ, siue viatores benè possunt nominare, seu nomine aliquo significare comprehensiuè Deum ipsi Deo.

Quia ex vna parte possunt loqui cum Deo de Deo ipso, vt est manifestum. Ex aliâ verò parte talis loquutio non poterit non excitare in intellectu diuino actum scientiæ, qui simul, & indiuisim fit comprehensio tum Dei, tum ipsius loquutionis, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam in tract. de Scient. de diuersitate actuum scientiæ diuinæ. Quo nihil deerit, quominus talis loquutio sit loquutio cōprehensiuâ Dei comparatione ipsius Dei illam audientis; prout constat ex dictis. Etenim, vt ex dicendis ibi apparebit, circa quoduis coniunctam plurium obiectorum indiuisim sumptum datur in Deo actus scientiæ, etiam comprehensiuæ, virtualiter distinctus ab actibus singularum partium eius: ad cuius proinde existentiam nequit non concurrere ea pars, quæ adiuncta alijs constituit, & complet tale coniunctum. Vnde ad actum scientiæ comprehensiuæ coniuncti ex Deo, & ex loquutione de ipso ipsa loquutio concurrat, suoque concursu illam excitet in intellectu diuino, necesse est. Quo nihil deerit, vt per eam loquens Deum ipsi Deo significet, & eloquatur comprehensiuè, vt dicebam.

25 Deum tamen, se ipsum sibi per aliquod signum externum significare, siue eloqui, non videtur dici posse, propriè loquendo: quia nullus videtur dici cum proprietate sibi se ipsum, aut quidpiam aliud per loquutionem externam loqui. Tamen vniuscuiusque propriè dicatur per verba interna, siue mentalia mentaliter sibi loqui, quæcunque intelligit. Quo pacto Deus etiam sibi

per suum internum, æternumque Verbum loqui dicitur tum seipsum, tum cætera cuncta, quorum illud est verbum, prout latè exponitur à Theologis in tract. de Trinit.

26

Hic querunt aliqui, vtrum ineffabilitas sit attributum proprium Dei, vel Dei simul, & creaturis commune sumptum abstractè. Ad quam questionem breuiter respondeo primò, ineffabilitatem comprehensiuam respectu creaturarum attributum proprium esse solius Dei. Quia solus Deus est incomprehensibilis à creaturà iuxta dicta disp. 17. q. 5. & disp. 18. q. 13. Solusque Deus proinde respectu creaturæ est ineffabilis comprehensiuè. Respondeo secundò, ineffabilitatem intuitiuam respectu creaturarum in eo gradu, in quo Deo conuenit, etiam esse attributum proprium solius Dei. Quia, licet Deus, & aliqua creaturæ in eo conueniant, quòd intuitiuè sint respectu naturæ ineffabiles naturaliter, & effabiles supernaturaliter: at ineffabilitas intuitiua Dei naturalis duobus ex titulis est præstantior ineffabilitate intuitiua cuiusuis creaturæ. Primò, quòd effabilitas Dei intuitiua longè est remotior à debito, & à proportione naturæ, quàm effabilitas intuitiua cuiusuis creaturæ. Secundò, quòd ea, quæ de Deo sunt effabilia, infinitè excedunt ea, quæ effabilia sunt de quauis creatura: in illorumque effabilitatibus neququam vsque ad comprehensiuam potest ascendi, quemadmodum in horum potest. Quibus ex titulis Deus longè excellentiori modo, quàm vlla creatura, venit censendus ineffabilis etiam intuitiuè. Cæterequin ineffabilitas intuitiua secundum se, & abstractè sumpta non adeò est propria Dei, vt aliquibus creaturis pariter non conueniat: quemadmodum & inuisibilitas intuitiua. Nam, vt Deus respectu Angelorum, & hominum naturaliter, non item supernaturaliter est ineffabilis intuitiuè; ita aliqua supernaturalis creaturæ respectu Angelorum, & hominum naturaliter, non item supernaturaliter sunt ineffabiles intuitiuè: quemadmodum, vt Deus ab Angelis, & ab hominibus naturaliter, non item supernaturaliter est inuisibilis intuitiuè; ita aliqua supernaturalis creaturæ ab Angelis, & ab hominibus naturaliter, non item supernaturaliter sunt inuisibiles intuitiuè.

## QUESTIO II.

*Quanam alia de nominibus Dei impræsentiarum disquiri, examinarique soleant; aut etiam possint.*

27

Quoniam ex dictis tum in præcedentibus disputationibus, tum maximè in Pharo Scient. facillimè expedienda veniunt, quæcunque de nominibus Dei discuti solent, aut etiam possunt, sub isto vniuersaliore questionis titulo per breues quæstionculas illa proponere, atque expedire visum est.

28

Primò igitur queritur, an aliqua nomina substantialiter, siue essentialiter, & aliqua accidentaliter dicantur de Deo. Supposità doctrinà de prædicatis essentialibus, accidentalibusque in vniuersum datà in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 7. Tum doctrinà de concretis adiectiuis, & substantiis, deque eorum abstractis datà etiam in Pharo

disp. 2. q. 4. confect. 3. & 4. sæpeque alias. Necnon doctrinà de prædicatis, siue attributis intrinsicis, semiextrinsecis, & extrinsecis Dei traditã supra disp. 2. q. 1. 2. & 3. Ac demum doctrinà de immunitate Dei ab accidentibus physicis sibi intrinsicis, non verò à metaphysicis traditã etiam supra disp. 11. q. 7. His, inquam, doctrinis suppositis, respondeo primò, nomina attributorum intrinsecorum Dei tum abstracta, tum concreta, & hæc tum adiectiuè, tum substantiuè sumpta substantialiter siue essentialiter dici de Deo, loquendo physicè, seu realiter: quia significant, quòd physicè, seu realiter est indistinctum à substantiã, siue essentiã physica Dei: loquendò verò metaphysicè, seu formaliter, nomina abstracta eorundem attributorum nullatenus dici de Deo; sicut nec concreta sumpta substantiuè; (si nomine Dei, ut solet, subiectum huiusmodi concretorum cum præcisione ab eorum formis significetur); sumpta tamen adiectiuè de ipso dici accidentaliter; quatenus aliquid ipsi formaliter, seu metaphysicè, seu per rationem nostram de connotato adijciunt. Respondeo secundò, nulla nomina dici de Deo accidentaliter intrinsicè, loquendo physicè: quia nullum accidens physicum, & intrinsecum conuenit, aut conuenire potest Deo. Respondeo tertio, nomina attributorum semiextrinsecorum Dei tum abstracta, tum concreta, & hæc tum adiectiuè, tum substantiuè sumpta accidentaliter semiextrinsecè dici de Deo, loquendo physicè, seu realiter: quia, præter id, quòd appingunt Deo ab ipso physicè indistinctum, aliud quid distinctum, & extrinsecum adijciunt ipsi de connotato; loquendo verò metaphysicè, seu formaliter, perinde de his, ac de nominibus attributorum intrinsecorum philosophandum esse. Respondeo quarto, nomina abstracta attributorum extrinsecorum Dei nullo modo dici de ipso, tum physicè, tum metaphysicè loquendo; sicut neque concreta substantiuè sumpta: hæc verò sumpta adiectiuè accidentaliter extrinsecè dici de Deo, tum physicè, tum metaphysicè loquendo: quia vtroque modo adijciunt ipsi de connotato quidpiam extrinsecum. Respondeo quinto, si nomine Dei significetur idem, quòd per aliud quoduis nomen aut vnius, aut plurium attributorum eodemque modo, vt fieri potest, fore vtiq; vt tale vnius, vel plurium attributorum nomen substantialiter, siue essentialiter dicatur de Deo, tum physicè, tum metaphysicè loquendo. Respondeo tandem, nomina, quæ accidentaliter dicuntur de Deo aliquo ex dictis modis, accidentaliter contingentèr dici de illo, quoties id, quòd adijciunt ipsi, contingens est; accidentaliter verò necessariò, quoties est necessarium. Quæ omnia satis superque conspicua sient recognoscanti, & recolenti omnes doctrinas, quas supponimus. Quocirca in eis explicandis non oportet morari.

Secundò queritur, an aliqua nomina dicantur de Deo propriè; idque sumpto propriè tum prout oppositum communiter, tum prout oppositum metaphoricè. Respondeo primò, multa nomina dici de Deo propriè in primo sensu: nempe, quæcunque significant conceptum obiectiuum proprium solius Dei; vt sunt, *Deus, omnipotens, increans*, & alia huiusmodi prout significantia conceptus simpliciter veros, & non communes veris, & fictis iuxta postea dicendã. Sed & multa etiam alia dici de Deo communiter; nimirum, quæcunque significant conceptum obiectiuum deo, & creaturis communem; vt *bonus, sapiens, intel-*

*intellectivus, volitivus, & similia.* Respondeo secundo, multa nomina dici de Deo proprie in secundo sensu; ea videlicet quorum significata formaliter reperiuntur in Deo, ut sunt omnia commemorata. Sed & nonnulla etiam alia dici de Deo metaphoricè; scilicet illa, quorum significata formaliter non reperiuntur in Deo; ipsi tamen nihilominus attribuuntur propter analogiam, quam habent cum eis, quæ in Deo sunt formaliter. Sic Deus leo, & ignis consumens dici solet: sic vice intellectus, quo Deus cuncta intuetur, & percipit, ipsi tribuuntur oculi, tribuuntur & aures: similiter tribuuntur iracundia, poenitentia de factis, & alia huiusmodi; quæ in ipso formaliter non reperiuntur; habent tamen aliquam analogiam cum eis, quæ formaliter ei conveniunt. Videantur ad rem, quæ de analogia rerum diximus in Pharo Scient. disp. 17. q. 22. hypòth. 2. & disp. 31. q. 2. Quod autem nos pro statu præsentis cuncta insensata concipimus per species alienas, atque adeò in substitutis alienis, sicut non obstat, quominus de illis, atque adeò de Deo, & rebus divinis proprias cognitiones habeamus, prout latè explicatum est in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. Ita neque obstat, quominus de Deo, & rebus divinis proprios conceptus mente formemus, vocibusque significemus in duobus sensibus prædictis: tamen obstat, quominus concipiamus ipsum Deum, resque ipsas divinas, prout sunt realiter in se, & còsequenter, quominus formemus de illis conceptus proprios in alio sensu, hoc est, conceptus per species proprias de eisdem, sicuti sunt in se, habitus, quales habent Beati. Quibus proinde, præ nobis Viatoribus, insuper possunt significari, Deus, resque divinæ, sicuti sunt in se, atque adeò proprie in hoc tertio sensu, prout ex dictis in præcedentibus factis est notum.

30 Tertio quæritur, utrum nomina, quæ dicuntur de Deo, synonyma sint. Certum est, apud nos, siue comparatione nostri pro statu præsentis non esse synonyma: quia significant conceptus obiectivos aliqua ratione diversos. Synonyma autem dicuntur ea, quæ cum inter se sint diversa, eundem significant, siue repetunt conceptum obiectivum. Quomodo autem conceptus obiectivi, qui dicuntur de Deo, obiectiva scilicet Dei prædicata, siue attributa, sint inter se diversa, ac distincta, superius disp. 2. q. 1. 2. & 3. tractatum est. De quo etiam uniuersalius, & latius egimus in Pharo Scient. disp. 3. q. 4. & seqq. Vbi ad rem multa videri possunt. Utum autem nomina attributorum Dei comparatione Beatorum, ipsiusque Dei synonyma sint, determinandum superest. Dico, nomina attributorum intrinsecorum Dei tam comparatione Beatorum, quam comparatione ipsius Dei synonyma esse: nomina verò attributorum extrinsecorum, & semixtrinsecorum, atque etiam intellectivorum, & volitionum Dei non item. Ratio prioris partis est: quia significata nominum attributorum intrinsecorum Dei, etsi apud nos diversa, distinctaque sint formaliter, seu per rationem, tam apud Beatos, quam apud Deum videntes intuitivè illa (etiam ex vi significationis nominum iuxta dicta q. 1.) vnum quid prorsus, & idem sunt citra omnem penitus diversitatem, aut distinctionem adhuc rationis, prout supra disp. 20. q. 1. & 2. statutum est ex dictis latius in Pharo Scient. dicta disp. 13. q. 11. & 12. Ratio autem posterioris partis est: quia significata nominum attributorum extrinsecorum, & semixtrinsecorum Dei ratione connotatorum di-

stinctorum à Deo, quæ includunt in conceptibus suis, realiter sunt inter se distincta, & diversa; atque ita etiam apud Beatos, & Deum intuentes illa, prout sunt in se, manent distincta, diversaque: apud quos etiam proinde non sunt synonyma nomina eorum. Intellectiones verò, & volitiones divinæ quoad denominationem consideratae sufficientem item diversitatem habent, ut neque nomina eorum apud Deum, & Beatos synonyma sint, hoc ipso, quod alia sine alijs possunt ab illis ut sic videri intuitivè, prout supra disp. 20. q. 3. expostum est.

31 Quarto quæritur, utrum nomina, quæ de Deo, & creaturis dicuntur proprie, siue non metaphoricè, de ipsis uniuocè dicantur. Respondeo, dici uniuocè, quando accipiuntur pro conceptibus obiectivis communibus Deo, & creaturis præcisè quoad id, quod formaliter habent commune, indifferentemque ad utramque partem. Secus, si accipiuntur pro illis prout aliquo modo determinatis ad partem alterutram. Est dicere si nomen *substantia* significet eam præcisè substantiæ rationem, quæ formaliter, seu per rationem nostram in omnibus substantijs est una, & eadem, tali significatione retentà, de Deo, & creaturis dicitur uniuocè. Secus verò, si quando dicitur de Deo, significet talem rationem prout aliquo modo ad Deum contractam, & quando dicitur de creaturis, eam significet prout aliquo modo contractà ad creaturas. Idemque est de cæteris huiusmodi nominibus. Constat autem hoc ex latius dictis tum supra disp. 11. q. 5. tum antea in Pharo Scient. disp. 17. q. 22. Pro cuius subinde luculentiore intelligentiâ ea loca adeunda, atque recognoscenda sunt.

32 Quinto quæritur, utrum nomina, quæ de Deo, & creaturis dicuntur, per prius dicantur de creaturis, quam de Deo; vel vice versà. Respondeo, nomina, quæ metaphoricè tantum, seu translative de Deo dicuntur, per prius dici de creaturis, unde ad Deum translata sunt, quam de ipso Deo, ut est notissimum. Nomina verò, quæ non metaphoricè, sed proprie de Deo, & creaturis dicuntur, eatenus dici per prius de Deo, quam de creaturis quantum ad rem significatam, quatenus realitas conceptuum obiectivorum, quos significant, Deo, & creaturis communium principalis, siue præstantius in Deo, quam in creaturis, reperitur. Quò respexisse videtur Apost. ad Ephes. 3. cum dixit, *Huius rei gratià selecto genua mea ad Patrem domini nostri Iesu Christi: ex quo omnis paternitas in cælis, & in terrâ nominatur.* Quantum verò attinet ad modum significandi, eatenus talia nomina de creaturis per prius, quam de Deo plerumque dici, quatenus plerumque prius sunt imposita ad significandos suos conceptus obiectivos in creaturis, quam in Deo. Adde tamen, plerumque quia aliquando sunt imposita ad significandos illos æquè primò, prout Deo simul, & creaturis conveniunt, siue prout Deo simul & creaturis communes sunt; aut etiam interdum ad illos significandos prius, prout in Deo, quam, prout in creaturis reperiuntur.

33 Sexto quæritur, utrum nomina, quæ important relationem ad creaturas, dicantur de Deo ex tempore. Respondeo, aliqua dici ex tempore, & aliqua ab æterno. Dicuntur ex tempore, quæ significant denominationes ex tempore convenientes Deo, eo quod ab aliquo extrinseco in tempore eueniente Deo proueniunt; ut, esse creatorem creaturarum, siue creatorem illas, esse earum dominum, esse illis coexistentem, atque localiter, temporaliterque præsentem, esse ab eis

cognitum, amatum, &c. Ab æterno autem dicuntur, quæ significant denominationes convenientes Deo ab æterno; eo quod à fundamentis propeniunt valentibus Deum ab æterno denominare, ut esse omnipotentem, siue potentem facere omnia possibilis esse sapientem, siue omnia scientem, esse volentem, esse providentem, esse prædestinantem, &c. Porro ex denominationibus respectu Deo ab æterno convenientibus aliæ sunt, quæ necessariò conveniunt ipsi, ut esse omnipotentem, esse scientem necessariam, &c. aliæ, quæ contingenter, ut esse scientem contingentem, esse illa amantem, &c. Denominationes verò convenientes in tempore omnes sunt contingentes, præter denominationes existentis, siue præsentis in singulis partibus temporis imaginarij, quæ successivè, necessariòque Deo propeniunt ab ipsis partibus successivè, & necessariò obvenientibus, quæ ratione obveniunt, iuxta naturam talis temporis à nobis explicatam supra disp. 8. q. 2. Iam verò cuiusmodi naturæ sint relationes, quas istæ denominationes siue ab æterno, siue in tempore Deo convenientes important; an scilicet sint relationes connexionis, vel non connexionis; an sint Deo intrinsecæ, vel fecus; an sint reales, vel rationis; & qualiter, ex dictis iam supra disp. 4. q. 2. vniuersaliùsque in Pharo Scient. disp. 1. q. 3. & totâ disp. 14. satis superque notum est.

34 Septimò quaeritur, vtrum nomen *Deus* sit nomen naturæ. Respondeo, etsi nomen *Deus* primitus derivatum sit ab actione vel prospiciendi, vel discurrendi, vel vrendi, prout explicat Vazq. 1. p. disp. 58. cap. 1. dein tamen applicatum esse, deincepsque communiter usurpatum ad significandam naturam, siue substantiam, siue essentiam eius entis, quod appellatur *Deus*. Quoniam verò triplex essentia in eo considerari potest. Prima physica consistens in integrâ ipsius entitate physica realiter indivisibili. Secunda theologica complexens in conceptu suo, quidquid tribus divinis personis commune est, atque adeò solas earum proprietates excludens. Tertia metaphysica consistens in subiecto radicali omnium actuum, siue omnium prædicatorum Dei, prout latè expositum est supra disp. 1. q. 10. scire opus est, nomen *Deus* ad quamlibet harum trium essentiarum directè significandam posse, solereque usurpari. Dico autem directè: nam, cum nos pro statu præsentis non possimus dijudicare, discernereque rerum essentias, nisi per actus obiectiuos illis adiunctos, iuxta vniuersales doctrinas, quas dedimus in Pharo Scient. de modo iudicandi nostro disp. 2. q. 4. de quiditate, atque varietate essentiarum disp. 9. q. 2. de modis que eas definiendi, siue explicandi disp. 27. q. 1. vsu venit, ut nomen cuiusvis essentia non solum usurpemus ad significandam illam præcisè, atque adeò directè, sed sæpe etiam ad significandum concretum ex illa, & ex aliquo, aut ex aliquibus actibus eius, significando illam etiam directè, & talem, aut tales actus in obliquo, aut etiam interdum directè. Sic nomen *Deus* tum pro eâ re, quæ creavit, & gubernat Mundum, tum pro ipso Creatore, Governatoreque Mundi solemus usurpare. Quod est uti eo nomine tum ad significandam essentiam physicam Dei præcisè, tum ad significandum concretum ex illâ, & ex actibus creandi, & gubernandi Mundum. Sic etiam idem nomen solemus sumere tum pro eo præcisè, quod est à se, & cæteris omnibus dat esse, aliasque innumerabiles perfectiones habet, tum pro ente à se, & dante

esse cæteris omnibus, aliasque innumerabiles perfectiones habente. Quod est, uti dicto nomine tum ad significandam essentiam metaphysicam Dei præcisè, tum ad significandum concretum ex illâ, & ex actibus essendi à se, dandi esse cæteris omnibus, & habendi perfectiones alias innumerabiles. Sic denique Theologi idem nomen *Deus* solent accipere tum pro essentia theologica Dei præcisè, tum pro supposito divino dicente, insuper in conceptu suo aut aliquam, aut aliquas, aut omnes tres divinas personalitates. Quæ omnia luculentiora sent recolenti vniuersales doctrinas datas locis citatis.

Octavò quaeritur, vtrum nomen *Deus* sit communicabile. Respondeo primò, metaphoricè, siue per translationem communicabile esse hominibus iustis, utpote qui eo titulo dicuntur participare aliquo modo naturam Dei, iuxta illud Psalm. 81. & Ioan. 10. *Ego dixi Dijs estis*. Respondeo secundò, si nomen *Deus* accipatur pro Deo simpliciter vero, metaphoricè etiam, siue per translationem communicari illud Dijs falsis, siue chymericis, quatenus hi cum Deo simpliciter vero aliquam analogiam habent. Si tamen *Deus* accipatur, ut potest, pro conceptu Dei, qui vel cum exactâ similitudine, & æqualitate, vel etiam cum identitate formali, siue logica reperitur tam in Dijs chymericis, quam in Deo simpliciter vero, iuxta doctrinam datam à nobis in Pharo Scient. disp. 11. q. 6. num. 151. & disp. 12. q. 1. num. 14. tunc cum proprietate communicabitur tam Dijs chymericis, quam Deo simpliciter vero, propriè ut de omnibus, & non metaphoricè dicitur, prout ex dictis in præcedentibus constat.

Nonò quaeritur, vtrum nomen *Deus* de Dijs, quibus communicatur iuxta dicta num. præced. dicatur vniocè. Respondeo de Deo simpliciter verò, & de hominibus iustis analogicè dumtaxat, non vero vniocè dici, ut est notum; quemadmodum etiam de Deo simpliciter vero, & de Dijs chymericis, si pro illo singularim sumatur in significatione propriâ. Si verò sumatur pro conceptu Dei communi omnibus, ut potest, iuxta dicta num. præced. de omnibus dicitur vniocè, ut ex doctrinâ datâ in Pharo Scient. locis ibi citatis constat; quæ ad rem videnda.

Decimò quaeritur, vtrum nomen *Qui est* sit Deo maximè proprium. Respondeo affirmatiue. Quia est maximè aptum ad explicandam, atque adeò ad significandam essentiam diuinam, ut ex sacra Scripturâ, & communi sententiâ Patrum, rationeque ostendimus supra disp. 1. q. 10. propos. 6. Recognoscantur dicta ibi. Vtrum autem nomen *Qui est* diuersum nomen Dei sit à nomine tetragrammaton *Iehoua* tanti habito apud Hebræos, sub controuersia est; quam discutunt Molin. 1. p. q. 13. art. 11. & ibi Falol. & Vazq. disp. 59. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 32. Cornel. in cap. 3. Exodi vers. 15. & in cap. 6. vers. 3. & 4. Barrad. lib. 1. cap. 15. & alij. Concluduntque cum Clemen. Alex. Theodoret. Ioseph. Pagnin. Galati. Lippoma. Eugub. Caiet. Genebr. Bellam. Perer. & alij, vtrumque esse vnum, & idem nomen, quod ad significationem attinet. Probationes, quæ efficaces sunt, apud ipsos videri possunt.

Vndecimò quaeritur, vtrum propositiones affirmatiue possint formari de Deo. Respondeo, posse, & debere. Quia multi articuli fidei ex necessitate credendi per propositiones affirmatiuas, easque non solum veras, sed certas secundum fidem, significantur, atque proponuntur homi-

hominibus, ut eos per iudicia fidei similiter affirmatiua credere possint, ut, Deum esse trinum, & vnum; esse summè bonum; esse omnipotentem, &c. Nec obstat veritati huiusmodi propositionum, & iudiciorum illis correspondentium, quòd eorum obiecta ex subiecto, & prædicato appareant composita, cum tamen à parte rei sint vnum quid simplex omnino: quia huiusmodi compositio merè logica, quæ reipsà non datur, & à nostro modo concipiendi præcisivo, siue abstractiuo, à nostroque modo affirmandi comparatiuo, & compositiuo necessariò venit oriunda, sub affirmationem non cadit, sed id tantùm, quod intellectus noster intendit medià illà affirmare, verissimèque datur à parte rei. Vnde vulgatum illud promanauit Logicorum estatum. *Abstractiuum non est mendacium*. Videantur ad rem dicta in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. & 4. & disp. 13. q. 9. Quomodò autem Beati iudicium affirmatiuum forment de Deo, omnimodis quidem verum, atque formale, sed citra omnem obiectiuam compositionem, superius disp. 21. quæst. 6. expositum est.

39 Duodecimò potest quæri pariter, virum propositiones etiã negatiuæ possint de Deo formari. Respondeo posse: sæpeque formari de facto; ut, cum dicimus, Deus non est creatura; non est corpus, non est materialis, &c. De quo nullum est dubium.

40 Decimotertiò quæri potest, Quare Patres, Theologice communiter dicant, de Deo meliùs sciri, dicique à nobis, quid non est, quàm, quid est. Respondeo; quia ea, quæ remouemus à Deo per propositiones, perque iudicia negatiua; ut, esse creaturam; esse corpus; esse materialem, &c. propinquiora sunt ut plurimum nostris sensibus, eoque iure nobis notiora, quàm ea, quæ Deo attribuimus per propositiones, perque iudicia affirmatiua; ut, esse trinum, & vnum, esse omnipotentem, &c.

41 Decimo quartò quæri potest, cur Patres

communiter dicant, per nomina eorum, quæ de Deo dicuntur, non significari essentiam Dei, sed, quæ circa essentiam Dei sunt, vel in ipsa inspicuntur. Respondeo; quia ex nostro communi modo concipiendi, significandique res, quas concipimus, non imponuntur illis nomina regulariter ad significandas essentias earum nudè, præcisè, & expressè sumptas, sed ad significandam concretam ex essentijs, & ex actibus, siue formis eis logicè superadditis coalescentia; ita tamen, ut formæ expressiùs, siue clariùs, essentiæ verò veluti sub illis contextu confusius, siue obscurius significentur, iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disp. 2. q. 4. consec. 3. & 4. Quo iure talia nomina eiusmodi actus, siue formas, quæ circa essentias sunt, siue in essentijs inspicuntur, non verò ipsas essentias dicuntur significare; expressè scilicet, siue clarè. Videantur loquutiones Patrum, & cætera ad hoc spectantia latè tradita supra disp. 1. q. 10. proposit. 4. & 6. Aliunde tamen iuxta ibi etiã dicta nomen essentiæ, siue significatiuum essentiæ dici illud solet, quod impositum est ad illam significandam directè, tamen non nudam, sed quasi vestitam, & contextam aliquo, aut aliquibus actibus, siue formis, præsertim, quando istæ sunt primæ, vel ex primis proprietatibus eius, prout supra etiã num. 34. dicebamus agentes de nomine *Deus*, quod communiter vsurpatur ad significandam modo dicto essentiam diuinam.

Hæc satis, licet alia de Dei nominibus pos-  
sent inquiri: quippe quæ ex dictis dicendisque  
in hoc opere de prædicatis, siue de attributis di-  
uinis per nomina ipsa significatis facillimam ex-  
peditionem habere possunt. Atque hucusque  
dicta etiã sint satis pro primo hoc claudendo  
volumine. Cætera enim, quæ sub eadem Metho-  
do de Deo prout vno restant dicenda, in secundo,  
quod iam prælo paratur, Deo ipso dante, pro-  
dibunt.

